
Exv
18/e

4.





JOH. CONR. BARCHUSEN

COLLECTA MEDICINÆ PRACTICÆ GENERALIS.

QUIBUS SUBJUNCTUS EST

DIALOGUS DE OPTIMA MEDICORUM SECTA.



AMSTELODAMI,
Apud R. & G. WETSTENIOS.
MDCCXV.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIRIS

NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS

D. JOHANNI van NELLESTEIN. J. V. D.

D. LAURENTIO van LANKEREN. J. V. D.

CONSULIBUS

ET

INCLYTO.

REIPUBLICÆ TRAJECTINÆ

SENATUI

PATRIÆ PATRIBUS

ACADEMIÆ CURATORIBUS

S. P.

JOHANNES CONRADUS BARCHUSEN.

SÆpe *&* multum hoc mecum cogitavi, VIRI NOBILISSIMI & AMPLISSIMI, *bonine, an mali plus attulerit Medicinæ, ſummum obſcuras morborum cauſſas indagandi,*

noVaſque hypotheſes fabricandi, ſtudium, quo tantopere aliqui ex Medicis flagrarunt, ut nihil ſupra. Verum me diu cogitantem, ratio ipſa in hanc potiſſimum ſententiam ducit, ut exiſtimem, eos in hoc deliquiſſe, quod genio ſuo nimium indulſerint. Nam, cum decreta hypotheſeſve Sectæ, cui addicti erant, aliis, quaſi exploratæ rationis eſſent, & Medicina ſine his eſſe non poſſet, perſuadere quoquo pacto conati fuerint, præteriverunt oſcitanter id, quod eos maxime perpendiſſe oportuit; Uſum ſcilicet eſſe præcipue efficaciſſimum Medicinæ magiſtrum: & Medicinam non ab iſtis quæſtionibus, de quibus Medici per tot ſecula inter ſe acriter contenderunt, ſed ab experimentis eſſe deductam. Quæ cum animadverti, ſæpe mecum retractans & reputans, quam turpi plurimorum conſenſu deſerta exoleverit veterum Medicina, quæ in morborum per ſigna cognitione, in eorundemque per explorata remedia curatione, in primis verſabatur: Operæ pretium me facturum putavi, ſi ex Medicorum tam veterum, quam recentiorum ſcriptis ea ſolum, quæ ad morborum cognitionem & curationem univerſalem pertinent, collegero: atque quantulacunque ea, quæ labore ac diligentia videor conſecutus, cum Medicinæ ſtudioſis communicavero. Quandoquidem vero Res Medica nec ſubtiliſſimâ, nec rurſus, quod ajunt, pingui Minerva poteſt adminiſtrari:

ri:

ri: proinde quæſtiones ſubtiles, ac immodicas de abditis morborum cauſſis deque aliis abſtruſis rebus diſputationes (dubitationem enim apud pleroſque relinquunt) prætermiſi. Et ne ſingula nunc intempeſtive perſequar, viſa eſt mihi Medicina eodem modo tractanda, ut ab initio exorta eſt: deducta autem primitus eſt ab obſervatione corporis humani omnifariam affecti, & rerum, quæ ipſi, vel noxæ fuerunt, vel auxilio. Igitur hujus generis obſervationes plurimas, &, quæ ex his facta ſunt placita, monita, cautiones, prædictiones &c. ex compluribus in Medicina præſtantiſſimis collegi, inque præſens volumen retuli. Hoc, qualecunque eſt, Vobis VIRIS NOBILISSIMIS *&* AMPLISSIMIS, *demiſiſſime atque ſubjectiſſime offerre & volui & debui. Etenim, ſi quibuſdam nationibus & gentibus laudi datum eſt, quod more inſtitutoque majorum bello parta Marti dicarent, mari quæſita Neptuno, Meſſem Cereri, Mercurio lucri partem primam dedicarent, & rerum omnium primitias ad auctoris cultum referrent; ac ita gratos erga auctorem, memoreſque beneficii, ſe præberent: ecquibus fas eſt mea ſtudio parta conſecrare, niſi Vobis.* NOBILISS. & AMPLISS. *Muſarum qualiumcunque mearum auctoribus, & conſervatoribus: Quorum clementiæ & benignitati omnem ſalutem meam re-*

refero acceptam. Summiſſe itaque oro atque obſecro Vos, ut hoc exiguum munuſculum, grati animi teſtimonium, a me, maximis beneficii vinculis obſtricto, accipere dignemini; meamque dignitatem & ſtudium, quibus abhinc amplius viginti annis benigniſſime a Vobis factum eſt, inſuper tutelæ Veſtræ commendata habeatis. Æternum Valete URBIS ULTRAJECTI *perennia ac immortalia decora.*

Scribebam in Laboratorio Academico MDCCXV. Ipſos Kalendis Februarii.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Conſideranti mihi ſæpenumero, & memoria Medicinæ primordia & progreſſus repetenti, viſa eſt ea potiſſimum obſervatione rerum homini aut nocentium aut opem ferentium ad culmen fere perveniſſe. Singularis enim ac tanta Mehercule erat veteribus Medicis in obſervando minima quæque, quæ in morborum cognitione & curatione accidebant, induſtria, ſtudium, ac in providendo conſilium, ut mihi, eorum ſcripta perlegenti, videantur totos dies ad morbum quendam pernoſcendum inſumſiſſe. Næ, ſi par in poſteris, atque in illis induſtria fuiſſet, gratularemur jam nobis de majore artis perfectione. Verum illa immoderata recentiorum philoſophandi, novaſque hypotheſes fabricandi cupiditas, & quæſtum faciendi ſtudium, cui plurimi ex Medicis inhiant, moram, impedimentumque Medicinæ intulerunt, ut non ampliorem dignitatem adepta, nec majorem perfectionem hactenus conſecuta ſit. Nam, dum plerique eorum id negotium ſibi modo dant, ut Medicinam Rationalem, ſeu Scientiam Phyſicam facerent, omittunt maxima ex parte ea, quæ ad uberiorem ægrotantis fructum redundant: morbi ſcilicet cognitionem, tempora, judicationem,

prædictiones, curationem, &c. quæ Experientia, rerum magiſtra, oſtendit. Alii vero, dum ob exiguum ſoſtrum familiam honeſte ac liberaliter ſuſtentare nequeunt, omnem curam adhibent, ut quamplurimos ægros una die inviſant: quam negligenter autem hi res ægroti tractent, quoniam tam brevi temporis ſpatio ea, quæ ad morbi naturam pertinent, explorari non poſſunt, me doctiores judicabunt. Nolim tamen Medicinam ſine Ratione eſſe (quî fieri enim poteſt, ut ea, quæ ad morbi cognitionem & curationem attinent, poſſint ab aliquo irrationali tractari) ſed velim ex ea ſubtiles quæſtiones, quippe ad Medicinam faciendam nihil ſpectant, abdicari: harum loco autem oportet contemplari inveſtigareque naturam nocentium & juvantium, i. e. rerum, quæ ſenſibus obviæ ſunt. Tanta profecto harum copia eſt, ut Medicus, quamvis fuerit decrepitus ſenex, non gloriari audeat, ſe ad ſummam artis cognitionem perveniſſe. Equidem aliquis mihi objicere poteſt nullum ſeculum ſterile obſervationum medicarum fuiſſe. Verum deſidero in multis, ut nihil de ſuo, quod hypotheſes redolet, vel quod fictum & ad artis oſtentationem modo facit, ipſis eſſet admixtum; ſed ut ſingula tanta ſimplicitate atque ordine, quanta de die in diem geſta & obſervata fuerint, literis prodita eſſent: nec auctores oblivioni tradidiſſent, ſi quid ſecus, ac putarunt, ſive bonum

ſive

ſive malum fuerit, ægro uſu venerit: vel quoties ex ignorantia in morborum curatione erraverint. Laudamus Hippocratis candorem animi, qui de Morb. Vulg. Libr. V. §. 6. aperte ingenueque fatetur, ſe non animadvertiſſe eum, qui ex capitis vulnere obiit, ſectione indiguiſſe. Verum enimvero, quia in noſtro ævo delicti ſui proprii confeſſio dedecori ignominiæque habetur, nec non alteri alter vitio vertit, ſi in aliqua re deliquerit; idcirco nemo noſtrum delicta ſua profitetur: quæ, ſi fuerint in apricum prolata, non minoris ſane æſtimanda eſſent, quam ea, quæ profuerunt: ſiquidem facerent, ut Medicus ſibi ab iſtis, quæ homini nociva fuere, caveret. Enimvero Medici eſt, ſaluti ægrotantis proſpicere, quo munere fungitur, ſi cuncta, quæ vel mala ſunt vel ſuſpecta, devitarit: adhibuerit autem ea, quæ ipſi ex uſu ſunt. Quantum vero ad iſtas cauſſarum abditarum diſceptationes attinet, de quibus Medici Rationales inter ſe diu ac multum digladiati ſunt, videntur eæ mihi parum ad utilitatem curationemve ægri conferre: quia inter pleroſque cujuſvis Familiæ ſectatores de curatione ægri, cujus ſalus in Experientia potiſſimum nititur, plerumque convenit. Quod ſi cognitio ejuſmodi cauſſarum & aliarum rerum abſtruſarum, quæ tironum Medicinæ animis a profeſſoribus nimis inculcantur, tanti momenti eſſet, oporteret eos, qui his inſtructi

cti ſunt, alios in arte medendi longe longeque præcellere. Verum uſus docuit, ab cuilibet Sectæ addictis ægros ad ſanitatem fuiſſe perductos; in primis vero ab iis, qui obſervatione & uſu multarum rerum inclaruere. Quid? quod & iſti Rationales inter ſe diſſentiunt. Pervolvat modo æquus L. noſtram ante quinquennium in lucem editam hiſtoriam Medicinæ. Neque vero mihi dubium eſt, quin poſt iſtius libri lectionem mihi ſit aſſenſurus, ex tot diſcrepantibus hypotheſibus, quarum mentionem feci, ſin ullam, ſaltem unam veram eſſe. Fieri enim non poteſt, ut ea, quæ ſibi maxime repugnant, inter ſe conſtare poſſent. Illæ etiam Medicorum Chinenſium de cauſſis morborum hypotheſes quam abſonæ quam abſurdæ Europæ incolis videntur; & tamen iſti ex ſuis hypotheſibus æque, ac nos ex noſtris, Medicinam ſatis perite adminiſtrant: quinimo antecellunt nos in doctrina de pulſu, quem adeo exquiſite explorare poſſint, ut nihil ſupra. Ex his dictis colligere poſſumus, quam incerta etiamnunc ſit Medicorum doctrina de rebus Ratione tantum inveſtigandis; quum certum ſit, quod Medicina, ſine harum cognitione recte adminiſtrari poſſit. De quibus cum mihi perſuaſum eſſet, judicavi, e re tironum Medicinæ futurum, ſi ea, quæ ad Praxin Medicam generalem attinent, ex variis in Medicina celebribus auctoribus collegero: ſubceſivæ enim quædam

ho-

horæ mihi ſunt, quas, ut ne perire patiar; duxi, tironum utilitati impendendas. Equidem hoc me non fugit, quod complures, tam veteres quam recentiores, varia ex variis auctoribus collecta monumentis prodiderint. Verum nos omnes non eadem colligimus. Imitamur apes, ex quibus alia mel, alia ceram, ex eadem planta nonnunquam colligit. Neque vero ex unius generis planta duntaxat apes ſeu mel ſeu ceram depromit; ſed ex variis: interdum etiam ex iis, quæ veneniferæ habentur. Improbanda itaque mihi videntur eorum præjudicatæ opiniones, qui nihil admirantur, nihilque approbant, niſi quod unicus Hippocrates expertus eſt & literis mandavit: quaſi vero & poſteris non æqua eſſet data aliquid ſeu inveniendi ſeu obſervandi poteſtas. Is ipſe Hippocrates non omnium, quæ in ſcriptis ſuis memorat, auctor eſt; ſed modo ad quandam diſciplinæ formam redegit, quæ vel ex prædicendi peritis, vel eorum filiis vel diſcipulis, vel ſcriptis hauſit. Ceu conſtat ex Prædict. Libr. II. §. 4. Quin ejus in veſtigiis incedere licet? & nobis id ipſum vendicare, quod illi eſt laudi datum. Nec vero amplitudo Hippocratis a ſcribendo deterruit Oribaſium, Æginetam, Ætium &c. qui integra capita, ex compluribus auctoribus excerpta, perſcripſerunt; nec hi poſterorum ſtudia reſtinxerunt: ſiquidem quolibet fere ſeculo fuerunt, qui aliorum ſcripta ad com-

pen-

pendium contulerunt. Me ipſum in his annumero: præſertim vero in hoc volumine conficiendo functus ſum munere ſcribæ, qui nihil de ſuis, ſed aliorum obſervata & facta, recenſuit. Argenterius quidem, & Proſper Alpinus & Fienus, & plures alii, doctrinam de ſignis incredibili ſtudio, magnaque ſolertia tractarunt; verum, quoniam mihi videbantur multa præteriviſſe: nec non quod eorum opera ob intermixta, de occultis morborum cauſſis ratiocinia, nimium eſſent diffuſa: ideo conſtitui, ea ſupplere, quæ ab iſtis prætermiſſa, & præcidere, quæ ad ipſam artem haud pertinent. Non gloriosius de me ipſo prædicabo, alii, qui mea & aliorum ſcripta, quorum mentionem feci, inter ſe comparaverint, judicabunt de qualicunque mea induſtria. Quam vellem mihi ſimile judicium fuiſſet! De cætero, licet hæc, quæ in hoc volumine continentur, ex fide dignis, inque Medicina inclytis, auctoribus conquiſiverim; nolim tamen, putes, B. L. ſingula ex Oraculo Apollinis Pythii eſſe edita, nihilque poſſe his eſſe verius: ſed conferas, velim, noviſſima tua cum iis, quæ veteres olim obſervarunt. Si diſparia hæc inter ſe offenderis, age refer animum ſis ad indagationem diſſimilitudinis placitorum, & conſidera, quod clima, quæ anni tempeſtates, quæ hominum temperamenta, ſexus, ætas, quodve in victus ratione delictum &c. cauſſa ſit quarundam diſ-

cor-

cordium ſententiarum, a te ita deprehenſarum. Si exploraveris rationem, & hanc non ſemel, ſed iterum ac ſæpe compertam habueris, profer eam, ut artis theorema, in medium. Id ipſum enim non ſingulari quadam, ſed pluribus circa eadem obſervationibus, fundatum ſit, neceſſe eſt. Tandem, ut ad finem properem, B. L. monendum duxi, me in hoc opere concinnando uſum eſſe Hippocrate a Fœſio Francofurti. M.DC.XXI. edito: item & Galeno, quem Frobenius Baſileæ M.D.XLIX. edidit. Indicare hæc debui, ut is, qui loca a me citata conferre volet, facili negotio ea invenire poſſit.

ARGUMENTA
HUJUS LIBRI.

CAPUT I.

De muniis Medici, & de ſignis generatim. Pag. 1

CAPUT II.

De temperamentorum, & partium læſarum notis. 16

CAPUT III.

De morbis, eorundemque temporibus & criſi, & in alios tranſitu, reverſione &c. 30

CAPUT IV.

De variis, quæ ad methodum medendi pertinent. 69

CAPUT V.

De ſignis ex univerſi corporis habitu, motu &c. & ex functionibus voluntariis deſumptis. 128

CAPUT VI.

De ſignis ternarum corporis actionum; de colore, calore & frigore; de dolore. 168

CAPUT VII.

De corporis excrementis. 223

CAPUT VIII.

De ſignificatione eorum, quæ corporis in ſuperficie deprehenſa ſunt. 335

CAPUT IX.

De prædictionibus ex partibus corporis exterioribus. 350
De conſcribendo Dialogo. 403

DIALOGUS,

De optima Medicorum Secta. 409

COL-

COLLECTA MEDICINÆ PRACTICÆ GENERALIS.

CAPUT I.

De muniis Medici, & de ſignis generatim.

§. 1. REputaturo ſecum Artem Medicam non modo circa corporis humani tam ſani quam infirmi cognitionem, verum etiam circa illius conſervationem ac hujus curationem, verſari, patere arbitror, Medicinam, propter tam multijuges res, quæ in ea traduntur, quæque ad ejus finem conſequendum ſcitu neceſſariæ ſunt, tam cito, ut aliqui perperam judicant, addiſci non poſſe. Quid? quod in ea, Hippocrate auctore, (1) firma aliqua doctrina tradi nequit. Siquidem ars Medica & nunc & paulo poſt non idem facit, & ſibi contraria facit, eaque ſibi ipſis contraria: Hæc eſt ratio, quæ Coum noſtrum (2) denique coëgit aperte & ingenue confiteri, ad artis Medicæ ſummam, quantumvis id temporis is fuerit ſenex, neque ſe, neque inventorem ejus Æſculapium, per-

Medicina nequit brevi tempore addiſci.

(1) Libr. de loc. in hom. (2) Epiſt. ad Democr.

perveniſſe. Quare autem Medicina nondum pervenerit ad exploratam rationem in cauſſa partim eſt æger, partim natura morbi. Ille enim doloris cauſſam nec viſu nec auditu, ſed ratiocinatione potiſſimum aſſequitur. In primis vero ſi obſcuro aliquo morbo laborarit, ſi quid Medico de morbo indicare conatur, denunciat id potius ex opinione, quam certa cognitione. Morbus autem, tametſi idem fuerit, variat, prout natura corporum alia atque alia fuerit. (3) Quæ quamvis ita ſe habeant, nemo ex his, concludat, velim, conjecturalem artem eſſe Medicinam, nihilque, quod certum ſit, in ea tradi: Sed cogitet ſecum animo, ſi quid vix in milleſimo corpore aliquando decipit, id notam non habere, cum per innumerabiles homines reſpondeat. Efficitur itaque ex his, Medicinæ eſſe fidem, quæ multo ſæpius perquam multo plures ægros prodeſt. (4)

An conjecturalis?

Medici munia.

§. 2. Ut autem Medicus ſtabilem artis fiduciam ſibi comparet, neceſſe eſt ipſi ſcire, quæ ad morborum curationem pertinent, eorumque modos, quot & quomodo ſe in ſingulis habeant; (5) dein medicamentorum facultates, ac quantitatem, & quo tempore, quo ordine ea ſint adhibenda. (6) Hæc enim cognita Medicus habeat, ne-

(3) De arte & libr. I. de morb. præſtat corpus corpori, ætas ætati &c.

(4) Celſus Libr. II. Cap. VI.

(5) Hippocr. de dec. habit.

(6) Oribaſ. in Prooem. Libr. I. euporiſt. Et *Trallianus* Libr. I. Cap. XIII. monet Medici eſſe quæ juvant aut nocent judicare: In eo enim cardinem rei verti, ſi univerſa moderatè, quantitate, qualitate, ordine & tempore adhibeantur.

neceſſe eſt, cum ad ægrum venerit: cognitum itidem habeat, quid agendum ſit: pleraque quippe non ratiocinatione, ſed auxilio indigent (7). Quomodo autem Medicus ſe adverſus ægrum gerere debeat, hæc officii præcepta dedit Hippocrates. Scilicet ægrotantem Medicus interroget, quænam patiatur, & quanam ex cauſſa, & quamdiu: an venter munere ſuo fungatur; quanam victus ratione utatur. In primis vero conſideret, num morbus ex bile aut pituita, vel ab utriſque ortus: num ſiccitate aut humore indigeat: an morbus per ſuperiora an per inferiora curandus ſit, vel per veſicam; & an morbus increſcat, an imminuatur, an ſolvatur, vel in alium tranſeat (8). Periti item Medici eſt, non protinus, ut venit, apprehendere manu brachium ægroti, ſed primum reſidere hilari vultu, percunctarique quem ad modum ſe habeat, &, ſi quis ejus metus eſt, eum probabili ſermone lenire, tum deinde ejus corpori manum admovere: quoniam animi affectus, ſeu ſolicitudo ægri dubitantis, quomodo ille ſe habere videatur, venas mire moveat (9). Quod ſupereſt, Medicus ſumma cura annitatur, ut præterita enarret, præſentia cognoſcat, & futura prædicat: hæc duo autem effectui det, ut commodum ægro afferat, & ne quid offendat (10). Cæterum ante omnia ſcire

erga ægrum,

& pulſus explorationem.

(7) Hippocr. de decoro.
(8) Libr. de affection. & de morb. vulg. Libr. VI. §. 33. Sect. III.
(9) Celſus Libr. III. Cap. VI.
(10) Hippocr. de morb. vulg. Libr. I. Sect. II. §. 7.

ſcire Medicus debet, quæ inſanabilia ſint, quæ difficilem curationem habeant, quæ promptiorem. Eſt enim prudentis hominis, primum eum, qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpem ejus, ut occiſi, quem ſors ipſius peremit. Deinde ubi gravis metus ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis in difficili ſpem eſſe, ne ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe vel fefelliſſe ſe videatur: Sed ut hæc prudenti viro conveniunt, ſic rurſus hiſtrionis eſt, parvam rem attollere, quo plus præſtitiſſe videatur (11).

Quæ in curatione obſervanda?

§. 3. Quamquam medicatio ſit opus Naturæ, hæcque à nemine edocta, citra ullam diſciplinam ea, quæ conducunt, Hippocrate auctore efficiat: nihilominus tamen idem putat medicationis ſummam eſſe poſitam in affectu reſiſtendo, & in eo, quod contrarium eſt, per contraria tollendo. (12) Fundamentum autem curationis colligendum ex primo ortu, cauſſa, plurimis ægri ſermonibus, atque iis, quæ ſenſim in cognitionem veniunt; deinde perdiſcendum, num ea, quæ apparent, inter ſe ſint ſimilia, an diſſimilia: & ut ex diſſimilitudinibus una ſimilitudo fiat. (13) Equidem Medicum addecet applicare ſe ad contemplationem corporis partium, ſive eæ alias contineant, ſive ab aliis contineantur, ſive in nobis cum im-

(11) Celſus Libr. v. Cap. xxvi. & Conſtant. Afr. Libr. x. Cap. i. de locis Medic.

(12) De morb. vulg. Libr. vi. Sect. v. §. 1. 2. 7. de morbo ſacro in fine.

(13) Ibid. Sect. iii. §. 16.

impetu moveantur; quæ quidem generalia ſunt: verum neceſſe eſt ipſi conſiderare, etiam ſingularia, ut victus rationem, ſi in hac utpote aliqua ſeu exceſſu ſeu defectu peccantur: ſentiendi actus: aerem: quæ per ſomnos ingraveſcunt: tumores: ſuppurationes: conſuetudinem: morbos, cujuſmodi & ex quibus ſint, & ad quos locos converſi, quo tempore inceperint, affuerint, ceſſarint: (14) alvi fluxum, vermes, vocem, oculos, an hæc à natura irato ſimilia (15).

§. 4. Quandoquidem vero compluria morborum genera habentur, ita etiam alia atque alia medendi ratio, ſecundum morborum cauſſarumque varietatem, inſtituenda (16). Statuit enim Hippocrates, quandoque quædam adeſſe, quæ dilatanda rarefaciendave: aliquando quæ conſtringenda: ex humoribus aliquos expellendos: alios exſiccandos, alios autem interdum convenire inferendos, interdum minime: corpus, cutem, carnes extenuare, aliquando vero incraſſare oportere: ex uſu itidem ægri eſſe lenire, exaſperare, indurare, emollire; ſubinde vero minime. Eadem ratio eſt excitandi, aut torporem ægro inducendi. Derivationem uſui eſſe, ubi revulſioni confeſtim aliquid concedatur. Humorem alium, hoc eſt alteratum, concoctum, non prodeuntem autem, qui etiamnum crudus eſt, educendum. Diſſimilia, ſi ſurſum ſublata tendant, per inferiora

Theoremata quædam de Methodo medendi.

(14) De morb. vulg. Libr. VI. Sect. VIII.

(15) Ibid. Sect. VII. §. 6. 7. 10.

(16) De Natura Hum.

riora ſolvenda atque his contraria facere,ut capitis purgationem, venæ inciſionem &c. (17) Oportet enim non augere morbos, ſed properè profligare, id quod cuique morbo eſt maxime adverſarium; abſtinentia utpote eorum, quæ morbo amica vel familiaria ſunt (18). Nihil temere aſſentiendum, neque quicquam negligendum (19). Mutationes cavere oportet, in eoque obſervanda eſt cibi parcitas, & quod laſſitudinem adimit, & quod bibenti ſitim arcet (20). Interdum tamen in quibuſdam ægrotis eſt gratificandum: in primis vero in iis, quæ non magnam noxam inferunt, aut quæ facile ſarciri queat, velut frigida, ſi ea opus eſt (21). Porro Medico, ægro medicinam facturo, neceſſe eſt ſcire, humoribus hyeme & vere corpus abundare: æſtate vero & autumno minus; proindeque pleroſque morbos hiſce anni temporibus, ubi humorum paucitas adfuerit, facilius curari. Nec minus eſt Medici curare, ut ex malo convaleſcens labores haud ſuſtineat, qui vires ſuperent; nec non

(17) *Etenim in directum laterum dolor, præcordiorum diſtentiones, lienis tumores, & ex naribus eruptiones fieri debent. In naribus item directio, & magna ex parte talia in oculis ſpectanda ſunt. Videndum ſane utrum omnia, an ea quidem ab infernis ſurſum in rectum ferantur, qualia quæ juxta maxillas aut oculum aut aurem fiunt, an vero, quæ à ſuperioribus deorſum, non in directum tendant? quamvis anginæ tumores rubicundi & laterum dolores ſecundum directionem fiunt. An quæ ex ſuperioribus partibus infra jecur diſtribuuntur: qualia quæ in teſtes, & varices decumbunt. Hæc namque in conſiderationem adhibenda ſunt, quemnam ad locum ferantur, & ex quo, & quam ob rem?* Hippocr. de morb. vulg. Libr. VI. Sect. II. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 10.

(18) De morbo ſacr. circa finem.

(19) Hippocr. de morb. vulg. Libr. VI. Sect. II. § 17.

(20) Ibid. Sect. III. §. 20.

(21) Ibid. Sect. IV. §. 7.

non utatur victus ratione, cui, antequam ægrotarit, aſſuevit: deſuefacere enim difficile eſt, cui aliquis à teneris conſuevit (22). Sic etiam ſi Medicus omnia recta ratione facit, neque tamen res ex ſententia ſuccedit, ideo non ilico ad aliud eſt progrediendum, ſi manet, quod ab initio viſum eſt (23).

§. 5. Neque vero pigeat ex plebeis ſciſcitari, ſi quid ad curandi rationem conferre videatur. Ita enim, Hippocrates putat, univerſam artem fuiſſe commonſtratam, quod ſingula è fine obſervata, & ad eandem aggregata fuerint. Interea tamen ſi Medicus vulgi audientiam ſibi comparare volet, non valde glorioſe id inſtituat, nec oſtentatione poëtica fiat: quippe induſtriæ impotentiam arguit, & fallax atque ad errorem proclivis eſt aſſeveratio, quæ cum garrulitate conjuncta (24).

Medicus quo modo ſe gerere debet erga plebem.

§. 6. Licet Rhaſis (25) ſtatuerit è re ægri eſſe, ut is unum duntaxat ſibi Medicum eligat, quoniam unius error non magnam inducat infamiam; quin & ægrotum, qui plures Medicos de morbo conſuluerit, frequentiſſime in errorem incidere; uſu venire enim poteſt, ut quadret in ipſum illa infelicis

Num ex uſu ægri, ut complures Medicos conſultet?

(22) Rhaſis aphoriſm. Libr. VI. §. 29. 45. 71.

(23) Hippocr. aphor. Sect. II. §. 52. & Rhaſis aphor. Libr. VI. §. 72. *Decens* eſt, ſcribit, *magiſtrum, ut à cura propria non recedat propter ægritudinis diuturnitatem, nec à cura diei propter malum irrationale, quod acciderit.*

(24) Præception. Hippocr. Imo Medicus garrulus laboranti rurſus morbus eſt, vel ut gnoma Græci poëtæ habet, Ἰατρὸς ἀδόλεσχος, νοσοῦντι πάλιν νόσει.

(25) Libr. VI. aphoriſm. §. 73. & ſeq.

licis monumenti inſcriptio, turba ſe Medicorum periiſſe: (26). Hippocrates tamen (27) ratum habuit, non indecorum eſſe, ſi Medicus in rei præſentis anguſtia circa ægrum verſans alios quoque accerſiri jubeat, quo communi conſilio, quæ ex utilitate ægri ſunt, diſquirantur, & illi ad præſidiorum facultatem operas ſuas una conferant. Non debere autem eos verbis inter ſe de ſtatu ægri contendere, neque de loco vel parte affecta, ne videantur in occulta quæſtione verſari: (28) aliter, ac dixi, ſi fecerint, hos ſe ipſos ludibrio exponere. Et quantum ad Hippocratem attinet, ſe jure jurando affirmare poſſe, ſcribit, Medicum ratione utentem, alterum nunquam ex invidentia calumniaturum: talem etenim animi ſui impotentiam proditurum, & ſe eis, qui forenſem quæſtum ſectantur, aſſimulaturum.

Ut Medicus circa alterum ſe gerere debeat.

Num Medici ſalus à Fortuna dependeat?

§. 7. Equidem ſunt aliqui, qui ſe mirum in modum oblectant, ſi nomine felicis fortunative practici compellantur: verum hos flocci facit Hippocrates. Siquidem ſalutem ejus, qui artis medicæ cognitionem habuerit, hoc eſt ſingulas & conſuetudines & temporum occaſiones didicerit, arbitratur, minime à Fortuna dependere; ſed eundem ſine & cum Fortuna recte artem adminiſtratu-

(26) Cujus Plinius Hiſt.nat. Libr. XXIX. Cap. I. mentionem facit. Ejuſdem ſententiæ meminit Grajus quidam. Πολλῶν Ἰατρῶν εἴσοδός μ' ἀπώλεσε.

(27) Hippocr. præception.

(28) Cæl. Aurel. morb. acut. Libr. II. Cap. XXXIV.

turum. Medicinam totam enim eſſe firmam, præceptioneſque ejus pulcherrimas in tantum, ut fortuna eædem nequaquam indigere videantur. Adde explorata eſſe morborum medicamenta: quæ ſi ſub ditione Fortunæ eſſent, non dignarentur amplius nominatione medicaminum. Igitur hos ſolos vel ſucceſſu potiri vel fruſtrari, qui recte aut male facere aliquid noverunt. Proſpere enim ſuccedere, eſſe recte facere, quod agere eos, qui ſciunt: ſucceſſu autem fruſtrari, eſſe, cum quiſpiam aliquid ad peragendum in animum inducat, quod neſcit (29).

§. 8. Peritiam autem Medici in primis tum prodi, putat Hippocrates, ſi Medicus vehementiores periculoſioreſque morbos curaverit. Nam, quemadmodum nauclerus navim tempeſtate præſente gubernans, tum demum peritiam ſuam oſtendit; ita etiam Medicus in antedictorum curatione. Nec ille, ubi mare tranquillum fuerit: nec hic, ubi leviores ægritudines curarit, jactare peritiam ſuam poteſt: imo uterque poteſt graviſſimos errores committere, citra ut aliquis alterutrius peccata deprehendat. Verum longe alia utriusvis conditio erit, ſi periculum vel naufragii vel vitæ ex iſtis erroribus fuerit (30). *Quis Medicinæ bene peritus?*

§. 9. Ut vero Medicus ſuæ exiſtimationi conſulat, neceſſe eſt ipſi laborem impendere *Ratione morbum ingraveſcentem provideat.*

(29) Hippocr. Libr. de loc. in homin. circa finem fere.

(30) De Priſc. Medicin.

re in providentia acquirenda. Etenim is, qui apud ægrotos tum præſentia, tum præterita, tum futura præſenſerit ac prædixerit, tum ea, quæ ægri omittunt, expoſuerit, res utique ægrotantium magis agnoſcere credetur, adeo ut majore cum fiducia ſe homines tali Medico committere audeant. Quid? quod præſentium cognitione, affectus, cujusmodicunque ſit, invenitur; præteritorum autem cognitione cauſſæ, quæ affectum inducunt, indagantur. Beneficio præſentium non modo morbi genus, facultatumque ſeu imbecillitatem ſeu robur dignoſcimus; verum etiam præſagimus, quorſum morbus tendat, an ad ſalutem, an ad mortem: deinde quo tempore hæc potiſſimum eventura ſint: tandem, quinam modus tum ſalutis tum mortis futurus. Morbum autem cognoſcimus ex loco affecto, ejuſque affectu: facultatem è ſolidorum temperamento & fluidorum. Etenim ſi infirmitates quædam ratione ſpirituum animalium accidant, breves ſunt illæ. Proinde ſi facultas vigori morbi eſt ſuſtinendo, oportet hominem, ſi modo nihil fuerit extrinſecus admiſſum, eſſe ſuperſtitem: ex adverſo, ſi illa impar fuerit, homo moriatur, neceſſe eſt. Evadet autem iſto tempore, ubi morbum ſemel natura ſuperarit: at tunc temporis morietur, quo morbus facultatem adeo proſternet, ut functio aliqua ad vitam neceſſaria pereat. Ex his etiam addiſcimus, quo pacto aliquis ſit moriturus aut in tutum evaſurus. Namque functiones, quarum ad vi-

vitam tranſigendam uſus eſt, quando abolitæ, facultatem vitalem ſeu ſuffocant, ſeu proſternunt, ſeu utrumque inſimul. Suffocant illam affectus, qui ortum ducunt ex thorace, pulmone, aſpera arteria, ſummo gutture ac faucibus: quorum nonnulli quoque ipſum cor ſtatim occupare ſolent. Proſternunt vero dictam facultatem aliqui ex ſtomachicis affectibus, unde ſyncope corripitur: nec non idem efficiunt jecoris ſpleniſque affectus diuturni: & longi ac vehementes ubi ubi oborti dolores: febris hectica &c. Facultatis animalis imbecillitates vitiatam ſeu læſam cerebri conſtitutionem comitantur. Et ut rem ad compendium conferam, qui ſtatum facultatis cujuslibet probe noverit, ut & locum affectum ejuſdemque affectus, is de futurorum prædictione erit peritiſſimus (31). Obſervet tamen velim, non certam eſſe prædictionem, antequam morbus conſiſtat; ſed elapſo tempore hoc enunciare oportet, quicquid præter rationem evenerit (32).

§. 10. Prædictionem præterea, ut Medicus addiſcat, neceſſe eſt ipſi ſcire ſigna, ex quibus illam ſibi comparare poteſt. Signum vero eſt rei, quæ contingere debet, cognitio *Signum quid & quotuplex.*

(31) Prænot. Libr. item Libr. de articul. hæc memoriæ prodidit. *Prædictiones autem ſplendidæ & laude digna ex eo exiſtunt, quod dignoſcimus quonam & quanam ratione, aut quando, res quæque exitum ſit habitura, ſive eo tendat ut curationem recipiat, ſive curationis ſpem adimat.* Et de morb. vulg. Libr. II. Sect. VI. §. 2. Pulchrum autem & ex Medici dignitate fuerit, mortem ipſam aut vehementes dolores prædicere. Galenus de Præſag. ex pulſ. Libr. IV. Cap. 10.

(32) Prædictor. Lib. II. §. 2.

tio (33). Et ſignorum varia dantur genera, ut *diagnoſtica*, ut *prognoſtica*. *Pathognomicum* eſt, ex quo affectus dignoſcitur. Fienus tradit etiam ſigna *anamneſtica*, quæ ſtatum morbi præteritum indicant: item *ſynedrovonta*, quæ interdum morbo adſunt, aliquando autem à morbo abſunt: ita etiam *epiphænomena*, quæ decurſu morbi tandem apparent (34). Differentia porro eſt in ſigno & in accidente, quod Græci ſymptoma vocant. Nam ſignum, neque recedit, & ſemper ſignificato conjunctum eſt: accedens autem, modo advenit, modo recedit (35). Quinimo ſi ſtricte vocabuli ſignificationem perpendamus, indicatur eo aliquis affectus morbo ſuperveniens. De cætero non unum aliquod ſingulare, ſed concurſus plerumque multorum, quem Syndromen Græci appellant, facit ſignum alicujus morbi (36). Hujuſmodi varia ab Hippocrate (37) recenſentur, ut corporis odores, oris, egeſtiones alvi, auris, flatus, urinæ, ulceris, ſudoris, ſputi, naris: lachrymæ, aliique humores: & alia ſeu juvant ſeu nocent, velut fla-

Quæ à Medico ſint animadvertenda.

(33) Finit. Galen. adſcript. Cap. IX. vel ſignum eſt id, quo cognito aliud, quod ignotum nobis erat, deprehenditur. Cicero Libr. I. de Invent. Signum eſt, quod ſub ſenſum aliquem cadit, & quiddam ſignificat, quod ex ipſo profectum videtur, quod aut ante fuerit, aut in ipſo negotio, aut poſt ſit conſecutum, & tamen indiget teſtimonii & gravioris confirmationis. Sic Medici ſigna quædam habent, ſcribit de Divinat. Libr. II. ex venis, & ex ſpiritu ægroti, multisque ex aliis, *quibus non modo præſentia, ſed & futura* præſentiunt.

(34) *Fieni* Semeiotic. Part. I. Cap. II. *Sennerti* Inſtit. P. I. Libr. III. Sect. I. Cap. II.

(35) Cæl. Aur. acut. morb. Libr. II. Cap. XXXIII.

(36) Idem acut. morb. Libr. II. Cap. III.

(37) Libr. de humorib.

flatus, urina, qualis & quanta & quando &c. Videndæ itidem ſunt cauſſæ, ex quibus aliquis laborare cœperit: an morbus v. g. ex auris, vel capitis: an etiam ex lateris dolore initium ſumpſerit. Quibuſdam dentes, quibusdam etiam glandularum tumores, morborum ſignificationem afferunt (38). Obſervanda quoque ſunt quæ offeruntur & qui offert. num ex his æger melius vel gravius ſe habeat. Diſcet præterea Medicus morbi cognitionem ex univerſali & ſingulari aeris conſtitutione, & regionis cujuſque: ex conſuetudine, victus ratione, vitæ genere: ex cujuſque ætate, ægri ſermonibus, moribus, ſilentio, imaginatione, ſomno, vigiliis. Advertendæ etiam ſunt morborum viciſſitudines: ex quibus & in quos ſuccedant, & quinam abſceſſus perniciem, aut ſolutionem portendant. Conſideranda itidem ſudor, rigor, horror, ſternutatio, ſingultus, ructus, Hæmorrhagia, hæmorrhois (39). In morbis acutis in primis ægroti facies animadvertenda, ſit ne ſanorum, privatim vero ſui ipſius ſimilis: hæc enim optima: quæ vero ab eo plurimum recedit, periculum graviſſimum minatur: Cujuſmodi eſt ſi naſus acutus, oculi concavi, collapſa tempora, aures frigidæ, & contractæ, imiſque ſuis fibris inverſæ, cutis circa frontem dura, intenta & ſicca, & totius faciei color ex viridi palleſcens, aut etiam niger, aut

(38) Idem de morb. vulg. Libr. II. §. 12.

(39) Ibid. Libr. I. Sect. III.

aut lividus, aut plumbo ſimilis (40).

Bona morbi ſigna.

§. 11. Antequam ſingularia ægritudinis corporis ſigna tradam, indicanda primum duxi generalia, atque ex his ea, quæ bona communiter habentur; ut noctu dormire, interdiu autem vigilare: ex facili ſpirare: non doloribus conflictari. Cutis circa umbilicum & pubem plana ſit: præcordia non dolentia in utraque parte ſint mollia: corpus æqualiter molle & calidum: ſudores per univerſum corpus æquales ac moderati. Sternutamentum etiam inter bona indicia eſt, & cupiditas cibi vel à primo ſervata, vel etiam poſt faſtidium orta: item vomitus mixtus ex bile & pituita. In urina ſi quoddam album, læve, æquale ſubſideat; ita etiam ſi quæ quaſi nubeculæ eidem innatarint. Alvi excreta ſi naturalibus conveniant: deſcenſus lumbricorum ſub fine morbi (41): His adde ſanam mentem & pulſum ordinatum, & faciem floridam (42) & hæmorrhoidum fluxum in melancholicis, & hæmorrhagiam narium die critico exorientem in abſceſſu vel cerebri vel alterius viſceris (43).

Signa mala quæ?

§. 12. Mala è contrario morbi ſigna ſunt, cubitus ſupinus porrectis manibus & cruribus: ſi reſidere vult æger in ipſo acuti morbi impetu, præcipueque pulmonibus laboran-

(40) Idem Libr. Prænot. & Coac Prænot. §. 212. ubi dictis ſubjunguntur liveſcens palpebra, aut labrum, aut naſus, quæ indicant mortem in propinquo eſſe.

(41) Celſ. Libr II. Cap. III.

(42) Ætius Tetrab. II. Serm. I. Cap. III. Alſaharav. Theoric. Tract. VI. Cap. XVIII.

(43) Haly Theor. Libr. X. Cap. XI.

rantibus: nocturna vigilia: in primis vero ſi ſomnus neque noctu neque interdiu accedit. Somni immodici eadem ratio eſt. Malum itidem eſt crebro vel vehementer ſpirare: à ſexto die cœpiſſe inhorreſcere, pus expuere, vix excreare, dolorem habere continuum, difficulter ferre morbum, jactare brachia & crura, ſine voluntate lachrymare: habere cutem circa umbilicum & pubem macram, præcordia inflammata, dolentia, dura, tumida, intenta: venas vehementer agitatas; Malum porro eſt nimis celeriter emacreſcere, caput & pedes manuſque calidas habere, ventre & lateribus frigentibus, poſt ſudorem inhorreſcere, poſt vomitum ſingultum eſſe vel rubere oculos; poſt cupiditatem cibi poſtve longas febres hunc faſtidire. Mali ſunt ſudores frigidi, & ſudores per totum corpus non æquales. Mali morbi etiam eſt, timere ex ſomno, in prima febre protinus mentem eſſe turbatam, membrumve aliquod eſſe reſolutum. Periculoſus eſt vomitus ſinceræ pituitæ vel bilis, pejorque ſi viridis aut niger eſt (44). De excretionibus alvi & veſicæ paulo poſt agam. His addantur faciei ac temporum collapſio, oculi fixi ac cavi, dentium ſtridor, ſitis inextinguibilis (45): gemitus, abſque ullo tamen notabili dolore: vox acuta cum clangore: ſupercilium convulſum, aut laxum: ſopor hianti ore. Hæc, quamquam univerſim ſint mala, inter ſe tamen

(44) Celſus Libr. II. Cap. IV. vide etiam Galeni Libr. I. Cap. V. de Criſibus.

(45) Ætius Tetrab. II. Serm. I. Cap. IV.

men malignitate diſcrepant: quippe unum ſignum peſſimum multis minus malis plus valet; atque unum aut duo bona multorum malorum vim infringunt (46).

(46) Actuar. Meth. Med. Libr. II. Cap. III. Galen. Comment. II. in Progn. Hipp. §. 55. 56.

CAPUT II.

De temperamentorum & partium læſarum notis.

Quænam optima corporis conſtitutio.

§. I. TRaditis generalibus, pergam ſingularia, ad Semioticam ſpectantia, ſcribere. Sunt enim quædam proprietates hominum, ſine quarum notitia non facile quicquam in futurum præſagiri poteſt. Igitur quantum ad univerſum corporis habitum attinet, Hippocrates auctor eſt, (1) eos, qui oculos grandiores ac ravos habeant, & caput parvum, cervicem tenuem, atque pectus anguſtum, concinnam partium proportionem nactos. Galenus (2) nec nimiam corporis ſeu gracilitatem ſeu obeſitatem probat, ſed mediam corporis habitudinem: cui adjungit decentem partium conſtitutionem: ac ne eos quidem, qui hanc conſecuti, exactiſſimum temperamentum nactos ait: ſiquidem nunquam eodem ſtatu permaneant, ſed, prout ætas omnis generis viciſſitudini obnoxia, ita partes paulatim ad ſiccitatem ſo-

(1) Libr. II. Sect. VI. §. I. de morb. popul.

(2) De ſanit. tuend. Libr. I. Cap. VIII.

ſolito majorem tendere. Alibi (3) monumentis prodidit, quorum corpus mediocriter gracile, craſſum, durum & molle: item calidum, frigidum, humidum & ſiccum, eos temperamento optimo donatos. Oribaſius (4) aliique (5) addunt, ſi omnes homines naturales & animales actiones pariter culpa vacarint: & ſi idem medius fuerit inter glabrum & piloſum: inter nigrum, & album: atque in pueritia rufos magis quam nigros capillos: in florente autem ætate contra ſe habuerit. Celſus autem auctor eſt, (6) corpus tale eſſe habiliſſimum, quod quadratum eſt, neque gracile neque obeſum. Nam longa ſtatura, ut in juventa decora eſt, ſic eam matura ſenectute confici: gracile corpus, infirmum: obeſum vero, hebes eſſe.

§. 2. Quandoquidem temperamentum eſt debita elementorum vel principum qualitatum mixtio: (7) conſequens eſt, ut, ſi præpoſtere fuerit facta illarum mixtio, oboriatur tum quædam intemperies, quam Medicinæ Profeſſores ad octo ſpecies redegerunt, ad quatuor ſcilicet ſimplices, & ad totidem compoſitas. Equidem non ignoro, inter recentiores complures inveniri, qui has

Temperamentum quid & quotuplex.

(3) De temper. Libr. II. Cap. I.

(4) Synopſ. Libr. V. Cap. XLIII.

(5) Ut Æginet. Libr. I. Cap. IX. & Ætius Tetrab. I. Serm. IV. Cap. LIII. & Avicen. Libr. I. Fen. II. Doctr. III. Cap. IV. vide etiam Galeni art. Medic. Cap. LI.

(6) De Re Medic. Libr. II. Cap. I. & Hippocr. aphor. Sect. II. §. 54. *Longa corporis ſtatura, in juventute quidem decenda, liberalis nec indecora, in ſenectute vero inutilis & brevitate deterior.*

(7) Ut habet Galenus in aphor. Hipp. Libr. III. §. 2.

has non admittunt: ſiquidem ejuſmodi elementa vel qualitates, a veteribus inter ea relata, inficiuntur, ac ſtatuunt ea non facere ad corporis conſtitutionem: attamen quia majores, quique eorum veſtigiis etiam nunc inſiſtunt, æque ex ipſorum hypotheſi, ac recentiores ex ſua, ægrotanti medicinam ex ſententia ſæpenumero fecerunt: non ab re ideo duxi, ſi impræſentiarum veterum tradita ſigna, quibus intemperies ejuſmodi agnoſcuntur, indicavero.

Quaternorum temperamentorum notæ.

§. 3. Calidæ itaque intemperiei, quam poſterioris ævi Medicinæ ſcriptores complexionem appellarunt, ſigna hæc ſunt. Homo talis citius creſcit, dentit, tactu calidior, ac minus pinguis, quam alius contrariam intemperiem nactus, eſt; habetque capillos nigros, criſpos, venasque amplas, coloris eſt rubicundi: non ſomniculoſus. caro ei eſt ſolida, motu eſt celer, promptus lingua, vox magna, appetentia cibi, digeſtio ciborum facilis: &, quantum ad animi dotes attinet, eſt docilis, habetque celeritatem ad diſcendum, feſtivus, audax, vanus, inverecundus, libidinoſus.

§. 4. Frigidæ indicia ſunt pilorum defectus, pinguedo, & frigus tactu explorandum: color ejus, ut & capillorum fulvior: &, ubi frigus exceſſerit, lividi vel plumbei coloris: venæ anguſtæ, pulſus parvus vel debilis, debilis item reſpiratio: debiles itidem functiones ejus tum animales tum naturales: lingua gravis, ingenium hebes, formidoloſus eſt, ignavus Veneris miles; habetque

betque appetentiam cibi imminutam, digeſtionem tardam, propenſionem ad ſomnum.

§. 5. Siccæ intemperiei notæ ſunt, ſi corpus ægre mobile, ſi aridum, gracile, ſi aſperum ac durum tactu offendatur, ſi piloſum, ſi laborum fuerit patiens.

§. 6. Humida vero, temperato quidem quodammodo ſimilis eſt, ſed tamen corpus talis hominis mollius eſt & carnoſius, membra ſunt laxa, juncturæ atque oſſa a carne occultantur, ipſumque corpus tactu molle eſt, ſegneque ad laborem quemvis exantlandum, quem, utcunque ſuſtinuerit, inſequitur laſſitudo: proclive item eſt ad ſomnum: glabrum ac pilis fere deſtitutum eſt. Proprium ei eſt ab omnibus humectantibus gravari (8).

§. 7. Quantum ad temperamenta compoſita ſpectat, ſupervacaneum arbitror ea deſcribere; ſiquidem conjugatis antedictis ſimplicioribus ſemper excedentis qualitatis notæ prævalebunt. Eadem eſt ratio præcipuorum quorumlibet corporis viſcerum, quorum indicia temperamentorum quoque a majoribus tradita; verum quoniam hæc hoc tempore uſum non habent, ea de cauſſa horum deſcriptione ſuperſedeo.

§. 8.

(8) Oribaſ. Synopſ. Libr. v. Cap. XLIV. Galenus Art. Med. Cap. LII. & ſeq. Ætius Tetrab. I. Serm. IV. Cap. LIV. Æginet. Libr. I. Cap. LXI. Avicenna Libr. I. Fen. II. doctr. III. Cap. III. & Cantic. Part. I. §. 47. & ſeq. Haly Theoric. Libr. I. Cap. XVII. Rhaſis ad Manſor. Libr. IV. Cap. III. & ſeq. ex quibus hæc ad compendium contuli. Recentiores ſupervacuum habeo allegare: quoniam eadem propemodum tradunt, quæ a veteribus olim tradita fuere.

Humores corporis principes quaterni.

§. 8. Licet animalium corpora omnis generis humoribus, diverſis in receptaculis ſecretis ac collectis ſcateant, ut ſanguine, pituita, bile, melancholia, ſaliva, chylo, muco, ſudore, urina, ſemine genitali &c. (9) quaternis tamen, priori loco dictis, veteres multum tribuebant; & Hippocrates (10) auctor eſt, corporis humani naturam in his poſitam, atque id propter hos, prout omnifariam conſtituti, aut integra eſſe valetudine, aut incommoda. Fuerunt quidem aliqui ante aliquot ſecula, qui eos, qui aliquo dictorum humorum abundarent, dicerent dotatos temperamento cholerico, melancholico &c. ſed id præter probatiſſimorum quorumque tum Græcorum, tum Latinorum, tum Arabum auctoritatem factum; ſiquidem temperamenti vocabulo, ut recte monet Fernelius, (11) indicatur miſtura quædam quaternarum primarum qualitatum, vel elementorum, quæ totius ſubſtantiam compleat: at quia humores in corpore contenti non primo ex elementis, ut temperamenta, verum tum demum, ſi hæc omnimodis inter ſe mixta, exoriantur. Efficitur igitur ex his dictis, humores injuſtè nominatione temperamenti cooptari. Sennertus tamen (12) non adeo ſcrupuloſus ver-

(9) Vide Rufi Epheſ. de appel. part. corp. Libr. 1. Cap. XXXVI. Aretæi Libr. 1. Cap. VIII. de Sign. diut. morb. & recentiorum de Anatomia in lucem editos libros, in quibus plures humorum ſpecies enumerantur.

(10) De Natura humana: item Galeni Comm. 1. §. 19. & 25.

(11) Phyſiolog. Libr. III. Cap. 1. & XI.

(12) Inſtit. Libr. I. Cap. IV.

verborum obſervator putat toleranda ejuſmodi humorum temperamenta; quippe naturam ſanguinis, dum omnes corporis partes nutriat, totius temperies æmulatur.

§. 9. Quandoquidem vero etiam nunc plures, in primis vero plebei, ſi aliquis ex dictis humoribus inter cæteros dominetur, non dubitant conſtitutionem qualemcunque corporis ſignificare per vocabula temperamenti vel cholerici, vel pituitoſi &c. non ab re fore exiſtimavi, ſi eorundem notas, ut a veteribus deſcribuntur, commemoraverim. Sed ad rem. Sanguinem, quem calidæ & humidæ eſſe naturæ, ubi in corpore dominetur, indicari perhibent, corporis univerſi rubore, calore, ſudore, oriſque dulcore, quos ſubinde inſequi ſolet hæmoptyſis, hæmorrhagia narium, angina, febres continuæ, furunculi, oſcitatio, laſſitudo ſine prævio labore, in ſomnum propenſio, rerum rubicundarum ſomnia, tarditas ingenii. Phlegma, quod eſt temperamenti frigidi & humidi, prodi, ubi corpus fuerit pallidum, frigidum, molle, habueritque copioſam ſalivam ſine notabili ſiti; pigrum præterea tale eſt in opere aliquo perficiundo, quoniam facile in labore laſſeſcit: Somniculoſum, & in ſomnio videntur plerumque flumina, nives, pluviæ, frigus &c. obnoxium item eſt tardæ ciborum digeſtioni, febri quotidianæ, paralyſi, nervorum diſtentioni, impetigini, lepræ &c. Choleram porro, quam eſſe calidæ & ſiccæ qualitatis, his notis manifeſtam apparere, ſi

Notæ humoris in corpore abundantis.

corpus flavet, ſi oculi flavent, ſi oris ſapor amarus, ipſumque os ſiccum, atque adeo ſiticuloſum: ſi lingua aſpera, nares aridæ, appetitus proſtratus, nauſea, vomitus materiæ bilioſæ, ſi ſomniaverit res flavas vel citrinas, ignem, rixas &c. Hujusmodi corpus facile corripit febris ardens, eryſipela, jecinoris abſceſſus &c. Melancholiam denique, quam ajunt naturæ frigidæ & ſiccæ eſſe, rerum potiri, ſi corpus fuerit macrum, piloſum, colore fuſcum, fames adaucta, ardor œſophagi: ſi id refertum ſanguine atro craſſoque, & ſomniaverit res tenebricoſas, ac terrificas: ſi citra ſonticam cauſſam habuerit ſollicitudinem. Tale corpus ex facili corripitur febre quartana, ſplenis abſceſſu, ſeu tumore, ſcabie, lepra &c. (13)

§. 10. Hæc, quæ de quaternis humoribus ſcripſi, non accipienda ſunt, quaſi quilibet ita ſeparatim in corpore alicubi collocatus eſſet humor; ſed velim quemvis conſiderandum, ut ſanguini permixtum, qui tum demum, ſi aliquis eorum inter cæteros dominatur, nominationem temperamenti pituitoſi, cholerici &c. ſortitur.

Humidi abundantis notæ.

§. 11. Cæterum, ut generatim quædam amplectar, animadvertendum eſt, ſi corpus ſudori multo calido aut frigido ſemper fluenti ſubjectius eſt, ſignificare humoris co-

(13) Excerpſi hæc ex Haly Theoric. Libr. I. Cap. XXV. & Libr. X. Cap. II. Galen. in aphor. Hipp. Libr. IV. §. II. Avicenn. Libr. I. Fien. II. doctr. III. Cap. VII. Rhaſis ad Manſor. Libr. II. Cap. XX. & ſeq. Alſaharav. Theoric. Tract. VI. Cap. V. & ſeq. Ætii Tetrab. III. Serm. IV. Cap. XV. & ſeq. Conſt. Africani loc. Commun. Libr. X. Cap. II.

copiam huic ineſſe: quam in robuſto per ſuperiora; at in debili per inferiora deducendam. (14) Humor autem abundans bifariam poteſt vitioſus exiſtere, aut craſſior eſt, aut tenuior juſto: hic proditur ab excretis ſeu alvi ſeu veſicæ tenuibus: illum vero a contrariis & ab adjuncto ſopore (15). Quod ſi ſupercilia calveſcunt, & capilli capitis finduntur, indicium hoc eſt, in corpore humores eſſe putridos (16).

§. 12. Hæc de temperamentis deque humoribus ſummatim ſcripſi: ſuperſunt notæ partium vel locorum affectorum deſcribendæ, quas etiam breviter pertractabo. Verum ad rem. Partem aliquam corporis ſe vitioſe habere, varia ſigna produnt, quæ animo haurimus ex actionibus læſis: ut læſa animalis, cerebrum: concoctio læſa, ventriculum: reſpiratio læſa, pulmones: læſa motio, nervos vel eorum principium: mictio læſa vel veſicam, vel renes &c. male ſe habere ſignificant. Notæ hæ, quomodocunque fuerint, non adeo evidentes ſunt, quin exceptionem aliquam admittant: poteſt enim quiſpiam affectus propter conſortium, quod pars cum parte habet, exoriri: v. g. vitiata cum fuerit reſpiratio, non illico ſtatuendum eſt pulmones tantum laborare: poteſt thorax, ejusdemque muſculi, poteſt aſpera arteria, poteſt ſeptum tranſverſum, &c. quæ

Partium corporis læſarum notæ.

(14) Hippocr. aphoriſm. III. §. 48. Sect. VII. §. 63.

(15) Galen. in Libr. III. §. 25. Hipp. de morb. vulg. Com.

(16) Rhaſis aphor. Libr. I.

quæ reſpirationi inſerviunt, vitio aliquo affici. Reliquarum corporis actionum eadem conditio eſt: quæ quidem aliquid, quod veroſimile, non vero quod exploratæ rationis ſit, indicant.

Dolor indicat ſæpe partem affectam.

§. 13. Ita etiam dolor generaliter præſentiam alicujus mali, in corpore oborti, indicat: verum non apparet ex eo, quale membrum, vel particula corporis, ſpeciatim malum ſuſtineat. Attamen viri magna prudentia, uſu & exercitatione præditi multa, quæ ad veritatem proxime accedunt, invenerunt, ut conſtat ex dolorum ſpeciebus. Nam dolor pulſans ſignificat aut arterias ipſas, aut partes illis adſitas, male affectas: dolor pungens vel fodicans membranam inflammatam exhibet: dolor diſtendens juxta longitudinem, & ſpaſticus nervos: ſecundum latus vero & ſtupefaciens, membranam ſub cute: dilanians, membranam, quæ inter carnem eſt: dolor obtuſus & gravans, viſcera & cæteras partes notabili ſenſatione deſtitutas, indicat. Quin etiam cujuslibet differentia, an intrinſecus an extrinſecus dolor ſit, innoteſcit v. g. ſeu pectus ſeu caput tangenti: ſi enim tactu dolor exaſperatur, verſus exteriora: ſin minus, verſus interiora, malum hæret. Ratione ſitus dolor profundus ac pulſans in pectore ad muſculos coſtæ & arteriis vicinos ſpectat: dolor ventris profundus vel in ventriculo vel in inteſtinis; at ſublimis, in muſculis epigaſtrii, eſt: dolor in imo ventre, pectine atque perinæo, veſicæ ægritudinem prodit:

do-

dolor cum gravitate circa lumbos, renes: ſi cuipiam videatur in ventre aculeus infixus, aut ſe à terebello quaſi forari, is dolor inteſtino craſſo proprius eſt. Dolor profundus & quaſi partem frangens & contundens, perioſtium pati indicat. Ratione temporis, quo dolor durat, propalam fit nonnunquam pars affecta. v. cauſſa. ubi inter deglutiendum alimenta dolor percipitur, conjectamus malum in œſophago: ſin vero iſtoc tempore, quo chylus è ventriculo elabi ſolet, vitium in pyloro eſt; ubi vero tam diu ventriculus dolet, quamdiu cibus inibi commorari ſolet, is ventriculus ipſe laborat: ubi manifeſtatis inteſtinorum ulceris ſignis, ſtatim ab alvi dejectione dolor erit, ulcus eſt in craſſis; ſin vero diu ante, in inteſtinis tenuibus. Quin etiam pus & ſanguis ubi fæces præcedunt, inteſtinum rectum eſſe læſum: ubi antedicta aliis rebus permixta, remotiora inteſtina eſſe affecta produnt. Ubi dolor in thorace exacta inſpiratione augetur, præſentiam ulceris iſtic loci ſignificat: ubi poſt mictionem dolor, in veſica ulcus eſt.

§. 14. Ab excretis equidem varia ſigna partis cujuſpiam affectæ deſumuntur: verum & hæc generalia ſunt. Ex. gr. Urina purulenta vel ſanguinea prodit quidem in genere aliquod ulcus in corpore latere; verum non ſingulatim, an in veſica, vel renibus, vel jocinore, vel meſenterio, vel thorace id ipſum ſit: quoniam experientia, cui plurima, quæ in Medicina ſcimus, debemus, *Pars affecta ut ab excretis indicetur.*

docuit, pus, quod in dictis partibus exulceratis genitum, ſæpenumero una cum urina è corpore eliminatum. Singularia autem ſunt, quod ſi caruncula mingendo excernitur, indicat hæc renes: ſi membranulæ, veſicam exulceratam. Pari modo ſe habent membranulæ per alvum excretæ, quod ſi tenues, tenuium, ſi craſſæ, craſſorum inteſtinorum exulcerationes indicant. Ita etiam fruſtula parva tuſſiendo excreta vel vaſa magna, vel carni molli raræque ſimilia, pulmonem: ubi autem fruſtula magna ac vaſa parva, aſperam arteriam eſſe eroſam, ſignificant. Quod ſi vomitu dictorum aliquid ejicitur, vitium in ventriculo eſt; ſi ſcreatu, malum in faucibus aut palato eſt. Quod vero ad retenta, quæ excerni oportet, pertinet, non adeo difficilis eſt horum ſignificatio. Nam menſes, ubi ſubſtiterint, uteri: urina, veſicæ vel renum: fæces, inteſtinorum affectum indicant.

Alia partis affectæ ſigna.

§. 15. Obſervatum quoque à majoribus eſt ruborem genarum in ægris pulmonum inflammationem: flavedinem oculorum & faciei, bilem non rite ſecerni: pallorem mollitiemque totius corporis, jecur vitiatum: decolorem faciem in juvenibus, fœminis uteri obſtructionem; in aliis vero hepatis debilitatem & frigus, ſignificare: narium fœtorem, naſum intrinſecus læſum: oris fœtorem, vel ipſum os, dentes, fauces, pulmonem aut ventriculum male ſe habere. Tumorem itidem ſub dextro, epatis: ſub ſiniſtro hypochondrio, plerumque ſple-

ſplenis: ſub ſterno, ventriculi: in pube, veſicæ affectum, ſignificare. Ita etiam à vehementiori in alterutra thoracis parte calore prodi, ubi empyema lateat. Calorem in vola manus & pedum plantis, ſi ſine febre fuerit, indicare hepar juſto calidius eſſe. Ex murmure ventris nos addiſcere inteſtinorum: ex ructu, ventriculi affectum. Ubi concuſſo corpore ſonitus quidam aquæ fluctuantis in pectore percipiatur, eamſe in thorace; ubi in ventre, in abdominis cavitate ineſſe. (17)

Capitis viſcerumque variorum vulneratorum notæ.

§. 16. Partes corporis principes à cauſſa violenta læſas itidem varia ſigna produnt. v. g. in fractura cranei capilli videntur arrecti, æger per aliquod temporis ſpatium obmuteſcit, nec videt nec audit; indolet autem multum, adeo ut perſæpe manum vulneri admovere cogatur: in ſyncopen nonnunquam incidit, vertigine afficitur. Si cerebrum membranave ejus ſauciata, ſanguis per nares vel aures exit: ſupervenire ſolent febris & bilis vomitus, ſenſus obtuſi, trux vultus, oculi quaſi reſoluti, huc atque illuc moventur, tertio vel quinto die delirium, nervorum diſtenſio. (18) Si in cavitatem

(17) Hæc e Galeni Libr. II. de locis affect. Oribaſ. Synopſ. Libr. VII. Cap. XXIX. & de morb. curat. Libr. III. Cap. XII. Æginetæ Libr. II. Cap. XL. Sennert. Inſtit. Libr. III. Part. II. Cap. IV. & Fieni Semiotic. Part. I. Cap. VIII. collegi.

(18) Vigierii Chirurg. Libr. II. Cap. XVI. Celſus Libr. IV. Cap. XXVI. Ægineta Libr. VI. Cap. LXXXIIX. memoriæ prodidit, ubi membranæ cerebri vulneratæ, dolorem capitis ingentem oboriri, oculorum fervorem, linguæ ruborem ac delirium. Vigierius loc. cit. ſcribit dolorem exaſperari, quando æger cibum dentibus mandit, & maxillas adducat, & ſpiritum contineat. Dictis ce-

tatem thoracis vulnus penetrarit, ſpiritus ore naribuſque obſtructis per id cum ſtrepitu quodam erumpit. (19) Ubi cor percuſſum, ſanguis multus effertur, venæ languescunt, color pallidiſſimus, ſudores frigidi malique odoris, extremæque partes frigidæ. (20) Si pulmo ictus eſt, ſpirandi difficultas adeſt, ſanguis ex ore ſpumans, ex plaga rubens, ſimulque etiam ſpiritus cum ſono fertur: Juvat in vulnus inclinari: & multi tum loqui queunt, ſi in aliam partem, obmuteſcunt. (21) Si ſeptum tranſverſum, præcordia ſurſum contrahuntur, ſpina dolet, ſpiritus rarus eſt, ſanguis ſpumans fertur. (22) An vero ſanguis intra cavitatem thoracis effuſus, produnt reſpiratio difficilis, febris incrementum, anhelitus fœtor, ſanguinis per os excretio, facilis ægri cubitus ſupinus, quin & ſurgere ſubinde appetit, adeſt etiam crebro ſyncope. (23) Si medulla, quæ in ſpina eſt, diſcuſſa, nervi reſolvuntur, aut diſtenduntur, ſenſus intercidit, interpoſito tempore aliquo ſine voluntate inferiores partes vel ſemen, vel urinam, vel etiam ſtercus emittunt. Si Epar vulneratum, multus ſub dextra præcordium parte

cerebri ſauciati notis adjungit Ægineta faciei diſtortionem, humoris albi, craſſi nonnihil, per aures evacuationem, & ſaniei per vulnus. Hippocr. Lib. I. de morb. aphor. 50. Sect. VI. §. 58. Sect. VII.

(19) Vigierus Libr. II. Cap. XXV. & Ægineta ibid.

(20) Celſus d. l. Ægineta addit rigorem, animique deliquium.

(21) Vigierius dictis jungit tuſſim & lateris dolorem.

(22) Vigierius tradit ſenſationem ponderis quaſi, ubi vulneratum eſt, moleſtam, delirium item ægrotantem invadere, ut & dolore acuto torqueri, ejusdemque ilia ſubinde ſurſum convelli.

(23) Idem d. l.

te profuſus ſanguis, præcordia ad ſpinam reducta; dulcedo in ventrem cubandi, punctiones doloreſque uſque ad jugulum, os intentum, nonnunquam bilioſus vomitus accedit. (24) Si lien ictus, ſanguis niger à ſiniſtra parte prorumpit, præcordia cum ventriculo ab eadem parte indureſcunt, ſitis ingens oritur, dolor ad jugulum venit. Ubi ſtomachus percuſſus, ſingultus & bilis vomitus inſequitur. Siquid cibi vel potus aſſumptum eſt; id redditur cito: venarum motus elangueſcunt, ſudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigeſcunt. (25) Jejunum inteſtinum communes notas habet cum ventriculo vulnerato. Cætera inteſtina icta, vel ſtercus vel odorem ejus exhibent. Si renes percuſſi, dolor ad inguina teſticulóſque deſcendit, difficulter urina redditur, eaque aut eſt cruenta, aut cruor fertur. (26) Si meſenterium vulneratum, copia ſanguinis nigricantis erumpit, adſunt acerbiſſimi dolores: nervi circa cervicem ac tho-

(24) Hæc Celſus. Vigierius Cap. XXVI. ſcribit levem tuſſiculam vulneratis ſupervenire, interdum cruentas dejectiones, & urinas: ab aſſumptis cibis præcordiorum gravitatem ſentiri, inquietos evadere, faciem decolorem ac cineraceam fieri, febrem continuam oriri: & ſi vulnus profundum, animi deliquium ſudoremque frigidum præſto eſſe, quæ tandem mortem inſequi.

(25) Vigierius addit appetitum proſtratum, & nauſeam ſupervenire, per vulnus Chylum, vel cibum vel potum aſſumptum aliquando egredi: acerbumque dolorem exoriri, quem ſyncopen ſubinde inducere: frequenter vertiginem adeſſe, præcordia indurari.

(26) Vulnus eſt in dorſo prope vertebras ſub coſtis legitimis, dolor gravis partem affectam affligit: ubi vulnus magnum, aquoſus ſanguis profluit & dolores exacerbantur, ubi parvum, urina in ventris cavitatem effluit, qui tum magno dolore intumeſcit. Hæc Vigierius loco citato.

thoracem diſtenduntur, hinc hujuſmodi partes incurveſcunt. Si veſica, dolent inguina, quod ſuper pubem eſt, intenditur: pro urina ſanguis, aut ex ipſo vulnere urina deſcendit, ſtomachus afficitur. Itaque aut bilem vomunt, aut ſingultiunt, frigus, & ex eo mors ſequitur. (27) Si vulva percuſſa, dolor inguinibus & coxis & femoribus eſt. Pars ſanguinis per vulnus, pars per naturale deſcendit, vomitus bilis inſequitur. Quædam obmuteſcunt, quædam mente labuntur, quædam ſui compotes, nervorum oculorumque dolore urgeri ſe confitentur, morienteſque tandem eadem, quæ corde vulnerato patiuntur. (28)

(27) Idem Vigier. addit urinam ſupprimi, & vulneratos interdum delirare.

(28) Celſus dicto capite.

CAPUT III.

De morbis, eorundemque temporibus, & criſi & in alios tranſitu &c.

§. 1. SUſceptæ inſtitutionis ordo poſtulat quidem, ut cætera, quæ exorſus, & ad Semioticam ſpectant, pertexam: verum, quoniam plura admodum occurrunt, quæ ad morbos generaliter pertinent, quorum tractatio alibi ſi traderetur, dubio procul præpoſteram ſcribendi ordinem efficeret: Idcirco ex uſu lectoris fore, arbitratus, ſi ea, quæ ad univerſalem morborum

rum doctrinam ſpectant, prius ex veterum monumentis deprompſero.

Morbus quid? & ejus ſpecies.

§. 2. Quamvis à multis Medicis alia atque alia ſit morbi deſcriptio tradita, cujus variæ ſpecies à me in Hiſtoria Medicinæ deſcriptæ: hoc loco tamen contentus ero de generali ab Hippocrate tradita morbi deſcriptione. Appellat enim morbum, quicquid homini moleſtiam affert. (1) Et hunc iſti parti ineſſe, ubi ſudor apparet, vel ubi calor aut frigus eſt. (2) Morborum autem aliquos homini eſſe congenitos, ſtatuit Hippocrates: aliquos ratione regionum exoriri: aliquos ex anni temporibus: aliquos vero ex corpore, & vitæ inſtitutis. (3) Morbi congeniti dicuntur etiam hæreditarii, quorum cauſſa creditur cum parentum ſemine in liberos vel poſteros fuiſſe tranſlata: hujus generis ſubinde eſt phthiſis, lithiaſis, arthritis &c. Aliquem vero ex tali cauſſa ægrotare, ſciſcitamur ex ægroto, num parentes ſimili morbo laborarint? Morbi, qui ratione regionum vel locorum exoriuntur, appellantur etiam vernaculi, patrii, vel *endemii*: quibus incolæ talium locorum complures ob communem, iſti loco familiarem, cauſſam quovis anni tempore corripiuntur. Hujus generis eſt ſcorbutus, plagæ Septentrionalis habitatoribus, Rachitis Britannis, Plica Polonis, Struma Alpium incolis, affectus admodum familiaris &c. Differunt ab his

(1) Libro de Flatib. & 39.
(2) Aphor. Sect. IV. §. 38. (3) Hippocrat. de humor.

his *Epidemici*, qui etiam diverſis regionibus proprii ſunt; ſed hi ſolenne hoc habent, ut ſingulari anni tempeſtate, propter aëris quomodocunque contractum vitium, vel etiam propter depravatorum eduliorum & potulentorum communium uſum, homines ingruant. Hujusmodi vocantur quoque populares. (4)

Morbi à ſole, ventis, aquis &c. exoriuntur.

§. 3. Ut autem memorata morborum genera perſpicua omnibus oratione innoteſcant, neceſſe habui horum naturam ex Hippocrate, Rationalis Medicinæ principe, perſcribere. Ratione locorum itaque, iſta Urbs, qua ventis calidis, ut Vulturno & reliquis uſque ad Africum, expoſita aquarum ſubſalſarum abundat: atque hujuſmodi aquæ æſtate plerumque calidæ, hyeme vero frigidæ ſunt. Contra, ac dixi, ſe habet Urbs, quæ Soli & Ventis probe eſt expoſita, atque aquis probis ſcatet. Quæ vero aquam è palude vel lacu habet, ea mutationibus magis eſt obnoxia. Siquidem æſtate, ubi ea fuerit ſicca, morbi ocyus deſinunt: ubi pluvioſa, diuturni morbi, ac phagedænæ exoriuntur: At enimvero ubi hyems frigida fue-

(4) Vide Ætii Tetrab. II. Serm. I. Cap. XCIV. Galenus in Libr. Hipp. de vict. Rat. in morb. acut. Comm. I. auctor eſt, ſi multi uno tempore fiant morbi pernicioſi, eos peſtem appellari: ſin vero mitiores fuerint, epidemios. Epidemios itaque morbos eſſe, qui aliquo anni tempore in cujusdam regionis incolas graſſantur; peſtem vero eſſe epidemiam pernicioſam. Endemium eſſe morbi genus, quod commune multis, eandem regionem incolentibus: nominari alias patrium, vel vernaculum. His autem ſingulis adverſari *ſporades*. i. e. qui ſparſim privatimque homines ſingulos corripiunt, eoſdemque diſcretim fatigant, quique non modo ordinario procedunt.

fuerit, hominum capita abundent pituita, neceſſe eſt: & ex hac cauſſa eorum alvi crebrò perturbantur, atque habitu corporis plerumque ſunt debiliori. In primis vero mulieres morbis & fluxionibus ſunt obnoxiæ, & complures non propter morbum, ſed naturam ſteriles evadunt ac crebro abortiunt. Pueris autem imminent nervorum diſtentiones, & anhelatio: Viris inteſtinorum difficultates; alvi profluvia, febres algidæ, & hybernæ diuturnæ; puſtulæ nocturnæ, epinyctidas appellant, ſanguinis per ora vaſorum profuſio, hæmorrhoidas Græci appellant. Raro autem aliquem laboraturum, putat Cous; morbo quodam acuto, ut pleuritide, peripneumonia, Cauſo &c. Quippe hujuſmodi morbi, ubi alvus liquida fuerit, vix homines corripiunt. Urbs, quæ antedictæ contrarium Cœli poſitum nacta, i. e. quæ ventis Septentrionalibus, ut Phœniciæ uſque ad Corum expoſita, aquas frigidas, duras, ac fere dulces habet. Ejus incolæ evadunt exucci robuſtique: ac plurimum obnoxii ſunt pleuritidi, aliiſque morbis acutis, lippitudini, profuſioni ſanguinis: fœminis vero menſes ſæpenumero deficiunt; &, ſi gravidæ fuerint, ægrè pariture, & à partu eas tabes facile ingruet. Urbs porro, quæ Subſolano expoſita, propter & aëris temperiem, & aquæ, præ aliis ſalubrior eſt. Verum quæ Favonio, ita ut venti ſeu frigidi ſeu calidi leviter tantum eam perflare queant, ea inter omnes maxime inſalubrem ſortita eſt ſitum: aërem atque aquam habet impu-

ram: ejuſdemque incolæ plerumque decolores infirmique: habentque gravem ac raucam vocem. (5)

Tempeſtates anni quos morbos efficiant.

§. 4. Quantum vero ad anni tempora attinet, annum, putat Hippocrates, ſaluberrimum futurum, ſi hyems moderata, i. e. nec calida nimis nec frigida: ſi Vere ac æſtate tempeſtive pluat. Sin vero Hyems ſicca & aquilonia, ver autem pluvioſum & auſtrinum, in æſtate tum febres acutas exorituras, & lippitudines; & dyſenteriam: maxime vero iis mulieres, & quorum naturæ humidæ ſunt, fore obnoxias. Ubi ab imbribus vernis & ab auſtro terra humectata, & plenior poſtea æſtus derepente ſupervenerit, uſu venire ex facili poſſe, ut corpus & caro nimio humore diffluant; & ſin om-

(5) Quandoquidem veteribus alia, ac recentioribus, ventorum nominatio eſt, conferam noviſſima primis, ut artis noſtræ tirones percipiant, ut inter ſe conveniant. Ventus, qui ab Oriente æquinoctiali ſpirat, Latine dicitur Subſolanus, Græce Apeliotes: à recentioribus Ooſt; ab Italis *Levante*: qui ab Oriente Brumali, Vulturnus, Eurus; nunc Suyd-Ooſt / Italis *Sirocco*: ab Oriente Solſtitiali, Phœnicias; Noord-Ooſt / Ital. *Greco*: qui à Meridie, Auſter; Suyden / Ital. *Oſtro*: ab occaſu æquinoctiali, Favonius; Weſt / Ital. *Ponente*: ab occaſu brumali, Africus, Noton, Liba; Suyd-Weſt / Ital. *Garbino*: ab occaſu Solſtitiali Corus, Zephyrus, Argeſtes; Noord-Weſt / Ital. *Maeſtro*: à Septentrione, Septentrio; Noorden / Italis *Tramontana*. Sunt etiam alii venti, quorum apud veteres perſæpe mentio fit, ut Aquilo, Aparctias, Boreas, qui eſt media regione inter Noorden & Noord Ooſt: Thraſcia, medius eſt inter Noorden & Noord-Weſt: Cæcias eſt medius inter Aquilonem & Ooſt: Phœnicias etiam appellatur, qui ſpirat è media regione inter Suydt-Ooſt & Suyden; Libonoton, qui medius inter Suyden & Suyd-Weſt. Eteſiæ ſunt aquilones & venti anniverſarii; qui poſt biduum exortus caniculæ diebus quadraginta conſtantius perflant. Hæc è Plinii Hiſt. Nat. Libr. II. Cap. XLVII. & Iſidori Orig. Libr. XIII, Cap. XI, excerpſi.

omnium, ſaltem pituitoſorum corporibus febres acutiſſimæ immineant: mulieribus autem & aliis humidis naturis, inteſtinorum difficultates. Ubi ſub caniculæ exortum aqua & tempeſtas hyberna ſupervenerint, Eteſiæque ſpirarint, quietis ſpem eſſe; ac autumnum fore ſalubrem: alias periculum eſſe, ne pueri mulieresque moriantur, minime vero ſenes; aut ne, qui evaſerunt, in quartanas, vel ex quartanis in aquam inter cutem incidant. Si Hyems auſtrina pluvioſa & placida, Ver autem aquilonium, ſiccum & turbidum, gravidis, quarum partus in Ver incidit, abortiones imminere: quæ vero pepererunt, imbecillos ac morboſos fœtus in lucem edere, quos aut ſtatim morituros, aut ætatem in valetudine ægra acturos: reliquis autem hominibus contingere inteſtinorum difficultates, lippitudines ſiccas, nonnullis deſtillationes à capite in pulmones: vel ſenioribus catarrhos brevi perimentes. Si æſtas pluvioſa & auſtrina, & autumnus taliter etiam fuerit, morboſam Hyemem futuram, neceſſe eſſe; & pituitoſis plus quadragenariis inſtituras febres ardentes; bilioſis vero pleuritidem & peripneumoniam. At ſi æſtas ſicca & aquilonia: autumnus autem pluvioſus fuerit & auſtrinus, non ab re eſſe ut ſub hyemem capitis dolores cerebrique ſphacelus fiant; ut & raucedo, gravedo, tuſſis, & nonnullis etiam tabes. Quod ſi aquilonius & ſiccus fuerit autumnus, atque neque ſub canem, neque ſub arcturum pluvioſus, eum conferre pituitoſis & natura

humidis; exitioſum vero eundem eſſe bilioſis; proindeque hos cummaxime infeſtare tum temporis lippitudines ſiccas, febres acutas & diuturnas; alios etiam atram bilem. Et ut rem ad pauca conferam, autumnus tabidis malus eſt, & in autumno morbi acutiſſimi, & pernicioſiſſimi ordinario exoriuntur: Ver autem ex anni temporibus maxime ſalubre & minime exitiabile. Et ubi æſtas Veri ſimilis extiterit ſudores in febribus: eædemque faciles erunt: minime autem peracutæ, nec, qui iis afficiuntur, habebunt linguas aridas. In his igitur ſudores expectare multos oportet. In ſumma, febres acutæ oriuntur frequentiſſime in ſiccitatibus. Verum enimvero cum ver naturam Hyemis præ ſe tulerit, hyberni etiam morbi evenient ut tuſſis, pulmonum inflammatio, angina &c. Auſtro is uſus eſt, ut auditus gravitatem, oculorum caliginem, capitis gravitatem, membrorum torporem ac languorem inducat: Aquiloniæ autem tempeſtati, ut tuſſim, faucium aſperitatem; alvi duritiem, urinæ difficultatem, horrores, laterum pectoriſque dolores inferat: ſin vero magis magiſque deinceps increbuerit, ut magnæ ſiccitates & febres conſequantur: pluvioſæ denique tempeſtati, ut febres diuturnæ, alvi fluxiones, putredines, epilepſia, apoplexia; ſiccæ vero, ut tabes, ophtalmia, arthritis, ſtranguria, dyſenteria &c. exoriantur. (6) Enumerat

qui-

(6) Hæc contraxi è libro Hippocratis de aëre, aquis & locis. De Humorib. de morbo ſacro, ut & ex aphoriſm. Sect. III.

quidem Hippocrates Sect. III. aphor. 20. & ſeq. qui morbi ſingulis anni temporibus ſolent

III. §. 11. 12. 13. 14. 9. 10. 6. 7. 5. 17. 16. Vide etiam Celſum de Re Med. Libr. II. Cap. I. & Oribaſ. collect. med. Libr. IX. Cap. II. His adde, quæ habet Rhaſis aphoriſm. Libr. I. §. 6. „ Quando videbitis „ tempus nebuloſum in Vere, & „ in Æſtate duraverit, caveatis „ à ſpaſmo, & amiſſione me- „ moriæ: & §. 11. quando hyems „ fuerit calida, & ver frigidum, „ accidit capitibus catarrhus, & „ timet homo ne ad membra „ veniat principalia. Temporum Conſtitutiones per exempla tradit Cous Libr. II. de morb. vulg. De cætero Hippocrates Libro de aër. aq. & loc. Medicis conſulit ut ſiderum ortus obſervent, in primis Caniculæ, Arcturi & Vergiliarum, quoniam his diebus ſolet qualiscumque morbi criſis contingere: nec non obſervanda ſunt ſolſtitia, & præcipuè æſtivum: ut & æquinoctia, maxime vero autumnale, quippe quodlibet periculis opportunnm. Quid? quod inter Sacros Scriptores Jobus Cap. IX. ℣. 9. videtur etiam aſtrorum contemplationem magni feciſſe. Siquidem inter hujus univerſitatis conditoris opera, quorum paulo ante mentionem fecit, ipſi quoque admirationem movent Arcturus, Orion, Plejades, ac penetralium Auſtri ſidera. Quod vero ad quaterna anni tempora ſpectat, Hippocrates de Vict. Rat. Libr. III. cujusvis initium tale ſtatuit; ſcilicet Hyemis à Vergiliarum occaſu ad Æquinoctium Vernum: Veris ab Æquinoctio ad Vergiliarum exortum: Æſtatis ab Vergiliarum ortu ad Arcturi exortum: Autumni vero ab Arcturo ad Vergiliarum occaſum. Hujuſmodi quatuor anni temporum diſtributio convenit, ut recte monet Galenus in Hippocr. aphor. III. §. 14. & in Hipp. Libr. I. de morb. vulg. Comment. I. §. I. in plagas conſimilem, ut Helleſpontus, (iſtic loci enim Hippocrates potiſſimum vitam degit) parallelum habentes. Plinius Hiſtor. Nat. Libr. XIIX. Cap. XXV. Cardinem temporum quadripartitum, ſcribit, anni deſtinctione conſtare, per lucis utpote incrementa. Augeri autem hanc à Bruma & æquari noctibus verno æquinoctio. Deinde ſuperare noctes ad ſolſtitium uſque ad æquinoctium autumni. Et tum æquata die procedere ex eo ad Brumam. Omnes autem ejusmodi differentias fieri in octavis partibus ſignorum, ut Brumam ad VIII. Calendas Januarii: Æquinoctium vernum, Arietis: Solſtitium, Cancri: alterumque æquinoctium, Libræ. Rurſus hos cardines ſingulis etiamnum articulis temporum dividi, per media ſcilicet omnes dierum ſpatia. Quoniam inter Solſtitium & Æquinoctium autumni, Fidiculæ, quæ eſt lucida Lyræ, occaſum inchoare autumnum die XLV. At ab æquinoctio eo ad Brumam Vergiliarum matutinum occaſum hyemem die XLIII. Inter Brumam & æquinoctium die XLV. flatus Favonios vernum tempus. Ab æquinoctio verno initium æſtatis, die XLIIX. Vergiliarum exortum matutinum. Recentiores Aſtro-

lent ſpeciatim accidere: at enimvero quoniam hos maxima ex parte ſupra commemoravi, ea de cauſſa hos recenſere omitto.

Morbi ætatum.

§. 5. Quod ad ætates vero pertinet, proximum eſt ut infantes tenerosque adhuc pueros aphtæ, vomitus, tuſſis, vigiliæ nocturnæ, pavores, aurium humor: circa umbilicum inflammationes exerceant: dentientes vero gingivarum exulcerationes, febriculæ, nervorum diſtentiones, alvi dejectiones: maxime vero caninis dentibus orientibus. An-

Aſtronomi ſtatuunt Brumam inchoare XII. Calend. Januarii, Sole ad primam Capricorni partem veniente, quo accidit inſimul Solſtitium hybernum. Ver XIII. Calend. April. Sole ad primam arietis partem accedente, æquinoctium tum temporis efficiente: Æſtatem, XI. Calend. Julii; Sole primam Cancri partem attingente, quo tempore contingit Solſtitium æſtivum: Autumnum denique, IX. Calend. Octobris, Sole in primam Libræ partem veniente, quo tempore fit æquinoctium autumnale. Quantum vero ad Pleiadum vel Vergiliarum ortum in hiſce, ubi nos vivimus, terrarum Oris, attinet, ſciendum eſt eas cum Sole pridie Iduum Majas in vigeſimis tertiis circiter Tauri partibus exoriri, haberique hoc tempus pro initio primæ æſtatis. Poſtquam autem Sol ad ſeptimas Geminorum partes devenerit, & à Plejadibus decimas tertias fere partes diſtiterit, quod communiter VI. Calend. Junias evenit, emerguntur hæ, i. e. incipiunt apparere ante exortum Solis: Occidunt autem eædem mane, cum Sol eſt in vigeſimis tertiis partibus Scorpii, Tauro oppoſiti, quod contingit XVII. Calend. Decembris, quod habent pro initio hyemis. Intervallum itaque temporis à Plejadum ortu earundemque ad occaſum, eſt plus minus ſemeſtre. Canicula, vel Sirius cum Sole in decimis ſeptimis partibus Leonis oritur mane. V. Iduum Auguſti, quod tempus arbitrantur eſſe principium ultimæ æſtatis; Arcturus cum Sole oritur X. Calend. Octobris, Sole in primam Libræ partem ingrediente. Hoc tempus ſtatuunt initium autumni. Equidem Plinius d. l. Columella Libr. XI. Cap. XXI. & Geoponicorum ſcriptores Conſtantino Porphyrogenneto adſcripti Libr. I. Cap. VIII. ut & faſti veterum Romanorum memorant variorum ſiderum ut ſuculæ vel hyadum, ut Orionis, ut Ophiuchi &c. ortus, atque occaſus, quos Rem ruſticam tractantes ſolebant obſervare; verum quoniam eorum perraro apud Medicos mentio fit, propterea horum deſcriptione ſuperſedeo.

Antedicta iis, qui craſſi quique ventrem adſtrictum habent, periculum minitantur: At ubi ætas paulum proceſſit, glandulæ, & vertebrarum, quæ in ſpina ſunt, aliquæ inclinationes, ſtrumæ, verrucæ penſiles, & alia tubercula: aſthma, calculus; lumbrici rotundi, aſcarides, ſtranguriaque: Incipiente vero jam pube multa ex iisdem & febres diuturnæ, & ſanguinis ex naribus profluvium, oriuntur. Adoleſcentia autem hæmoptyſi, tabi, febribus acutis, morboque comitiali maxime objecta eſt. Poſt hanc ætatem laterum & pulmonis inflammationes, aſthma, lethargus, phrenitis, febres ardentes, hæmorrhoides, variaque alvi profluvia. In ſenectute ſpiritus & urinæ difficultas, articulorum dolores, nephritis, vertigo, apoplexia, malus corporis habitus, quem Cachexiam Græci nominant, pruritus corporis, vigiliæ nocturnæ, vitia longiora aurium, oculorum, etiam narium, lævitas inteſtinorum, cæteraque fuſi ventris mala. Senes equidem juvenibus minus plerumque ægrotant: at morbi, qui eos corripiunt, fiunt diuturni, & ad mortem ordinario comitari ſolent. Poſthæc, quia ipſis eſt corpus frigidum, idcirco vix febribus acutis, & aliis morbis, quorum juniorum ætas alias objecta eſt, corripiuntur. (7) Hæc, quorum ante mentio facta, non ita accipienda ſunt, quaſi non omni tempore, in omni tempe- ſta-

(7) Hæc Hippocr. aphor. Sect. III. §. 24. uſque ad finem Sectionis. Sect. II. §. 39. Sect. I. §. 14. Coac. prænot. §. 512. Celſus de Re Med. Libr. II. Cap. I.

ſtatum genere, omnis ætatis, omnis habitus hominum, per omnia morborum genera & ægrotent, & moriantur homines; ſed quod frequentius antedicta ita evenire ſoleant.

Morbus diuturnus, acutus &c.

§. 6. Ratione temporis, per quod morbi durant, Medici etiam eos diſtribuerunt in duas claſſes: quarum altera acutos ſeu celeres: altera diuturnos vel chronicos complectitur. Ex acutis aliqui febrem habent adjunctam, uti phrenitis, pleuritis, lethargus, peripneumonia: aliqui autem ut Synanche, Cholera, Apoplexia, &c. ſine febri homines ingruunt. (8) Hippocrates (9) quatuor priori loco dictis adjungit febrem ardentem, & alios, quorum febres continuæ brevi tempore homines interficiunt. Morborum autem tempus his notis ordinario cognoſcitur, ut ſi quatuor *exacerbationis* tempora ocyus præterierint, intra ſeptem vel pauciores dies, peracutus eſt morbus: Sin vero diutius, ita tamen ut acceſſus non ultra XII. horas protrahatur, acutus talis morbus vocatur. Galeno auctore (10) peracutus dicitur morbus, qui ad ſeptimum uſque durat: qui longius, ſimpliciter acutus: exacte peracutus, qui quartum diem attingit: non exacte, qui aduſque ſeptimum producitur: exacte acutus, qui ad decimum quartum: non exacte, qui ad vigeſimum pro-

(8) Cæl. Aurel. cel. paſſ. ac. & Libro de affect. Libr. I. Cap. I. & Libr. II. Cap. XXIII.

(9) De Vict. Rat. in morb.

(10) De dieb. decret. Libr. II. Cap. XII.

protrahitur. Eadem ratio eſt, ſi morbus ad quadrageſimum diem ſe extenderit. Verum morbus diuturnus his dictis oppoſitas notas habet: Ita etiam ſi morbus non habet ſingulares acceſſiones, ſed videtur in una quaſi concitatione perſtare, talis morbus etiam inter acutos referendus eſt. Si facies, aut reliquum corpus quodammodo contractum, ſiccum, colore rubrum vel flavum, morbum hæc acutum ſignificant: ſin autem contrario, ac dixi, modo ſe habuerint, neque conſidant, diuturni ſigna hæc erunt. Pulſus itidem magnus, vehemens, celer & denſus prodit morbum acutum. His jungenda ſunt adoleſcentia, temperies calida, tempus æſtivum, regio calida, & aër calidus; quæ cuncta morbi acuti præſentiam confirmant. Chronicorum autem naturæ & ſignorum antedictis contraria ratio eſt. (11)

§. 7. Morbi acuti, qui febrem habent comitem, hoc pacto plerumque hominem ingruunt. Jecur intumeſcit, ſeptum tranſverſum expanditur, ſtatimque capitis, privatim vero temporum dolor exoritur: audiendi juxta & videndi ſenſus debilitantur interdum adeo, ut æger nec audiat nec videat: horror & febris inſimul invadunt. Procedente in vigore morbo corporis dolor augetur, pupillæque oculorum diſſipantur, acies eorumque in tantum hebeſcit, ut digitum oculis admotum vix videat æger. Efficitur id

Signa morbi acuti.

(11) Ægin. Libr. II. Cap. v. Cap. v. Haly Theor. Libr. x. Conſt. Afr. loc. com. Libr. x. Cap. v.

id ex eo, quod admoto digito haud nictet æger, & , ſi quos floccos ex ſtragulis vel veſtimentis decerpſerit, eos arbitretur eſſe pediculos. Tandem æger, cum deteriore conditione fuerit, incipiet delirare, &, ſi cum feris vel armatis hominibus ipſi pugnandum eſſet, minatur, imo in adſtantes irruit: Verum, ubi ſurrexerit, crura attollere nequit, ſed cadit: Pedes continuo frigidi: quando dormit, ſubinde ſtratis exilit, ſomniatque horrenda. Febris autem ardens ſi adfuerit, æger oppido erit ſiticuloſus: linguaque ejus exaſperata, fiſſa, ſicca, primo pallet, in progreſſu vero nigreſcit. (12) De cætero ſunt morbi, qui κατ' ἐξοχὴν maligni à recentioribus dicuntur, quia nullum aut magnum aut vehemens ſymptoma eos ſtipat, cum interea ex iis ægri ſint anxii, inquieti, & maxime debiles, & tandem citra ſonticam cauſſam moriuntur. Ab initio ægroti ſummo capitis cordiſque dolore & hypochondriorum diſtenſione afficiuntur, horrent ſine cauſſa, ſudant, incaleſcunt, ſanguis è naribus ſtillat, & tum quidem ſi febricula lenta, & reliqua ſalutis ſigna appareant: interim partes corporis extremæ ſunt frigidæ, & pervigilium adeſt. Exitioſum eſt, ſi dentes ſine magna febri lentore nigro obducti, & lingua aſpera ac nigra, & tamen æger non ſitiat: ſi facies ab initio illico mutetur; ſi oculi ardentes, rubicundi, & palpebræ conniveant: ſi pulſus reſpectu

(12) Hæc Hippocr. de dieb. Judic.

ſpectu febris præter modum parvus, inæqualis & frequens: ſi crebra ſine cauſſa animi deliquia: ſi ſudor paucus, frigidus in fronte, in cervice adfuerit. (13)

§. 8. Futuram autem adverſam valetudinem res variæ portendunt. v. g. functiones quælibet corporis plus, quam uſus ipſi eſt, ſeu adauctæ ſeu imminutæ, ſignificant, niſi error, quem quiſquis uſu rerum, à Medicis præter naturam dictarum, erravit, tempeſtive corrigatur, ab iis ægritudinem corpori imminere. In primis vero appetentia cibi aut aucta aut diminuta, saporis depravatio, oborta derepente viſus debilitas, aurium putror, oblivio, ſomnus vel nimius, vel nimis parcus, laſſitudo ſine prævio labore, horror, ſpecioſior & coloratior corporis habitus, color ejus vel citrinus vel lividus, macies præter conſuetudinem, ructuum flatuumque copia, ſudor urinaque fœtida. Hæc & ſimilia indicant corpus de ſtatu naturali declinare, ac tandem aliquando fore infirmum (14). Signa morbi venturi.

§. 9. Antequam ad alia, quæ ad acutorum naturam declarandam pertinent, progrediar, ordo diſſerendi poſtulat, ut quædam de morbi temporibus tirones Medicinæ commoneam. Equidem Archigenes (15) Morbi tempora.

duo

(13) Vide Sennerti Inſtit. Libr. III. Part. II. Cap. III. & Fieni Semiotic. Part. I. Cap. VI. §. II.

(14) Vide Celſi de Re. Med. Libr. II. Cap. II. Galeni Art. Medic. Cap. LXXXII. Haly Theor. Libr. X. Cap. III. Conſtant. Afric. Libr. X. qui eadem fere habet ut Haly Abbas.

(15) Galen. de morb. temp. Cap. II.

duo modo morborum tempora, principium nempe & vigorem, ſtatuit: Et Galenus (16) in Tertiana ſex, ut α. initium, quo frigus inſtat: β. inæqualitatis tempus, quo paululum remittit: γ. tempus æqualis incrementi: δ. ſtatus: ε. diminutionis: & ζ. integritatis. Verum enimvero his quomodocunque poſitis, Methodici tamen (17) & is ipſe Galenus (18) & qui ejus placita approbarunt (19) poſuerunt quatuor univerſalia morborum tempora, ut principium, incrementum, ſtatum, & declinationem. Initium itaque morbi eſt, quo aliquis percepit notabilem corporis ſui mutationem ac infirmitatem in negotiis adſuetis tranſigendis, ita ut propter morbi violentiam victus debeat cubitum ire, donec manifeſta & bona con-conctionis ſigna apparuerint. Augmentum, quando acceſſus conſuetam horam die vel hora anticipant: iidemque longiores ac deteriores pluribus ac gravioribus accidentibus ſtipati incedunt. Status vel vigor, qui vehementior totius morbi pars eſt, qua bonæ criſes ſolent in primis accidere, eſt, ubi acceſſus ſibi ſimiles, & ſymptomata eodem tenore perſeverant. Declinatio autem eſt, quando acceſſus & ſymptomata incipiunt leniora ac ſimpliciora fieri, ac brevi tempore du-

(16) Galen. de morb. temp. Cap. IV. & V.

(17) Idem de optima ſecta. Cap. XX.

(18) Idem de tot. Morb. temp. Cap. I. de Criſib. Libr. I. Cap. II.

(19) Ut Ætius tetrab. II. Serm. I. Cap. XV. & ſeq. Avicen. Cantic. P. I. Tr. 2. §. 367. Alſaharav. Theor. Cap. XXIV. Conſt. Afric. loc. comm. Libr. X. Cap. IV. Haly Theor. Libr. X. Cap. IV.

durare. Memoriæ tamen mandandum eſt, morborum; qui, cum in vigore fuerint, confertim judicantur, ac per media, naturæ congruentia, ad finem tendunt, declinationem difficulter ſenſibus comprehendi poſſe. Quid? quod & ſupervacuum erit, de ea inquirere: ſiquidem abunde rerum ſuarum ſategit Medicus, ſi cognoverit morbum ſecure ac perfecte curatum. (20)

Morbi qui periculoſi, qui minus.

§. 10. Quamquam acutorum morborum tum ſalutis tum mortis notæ non penitus tutæ ſint, vel exploratæ rationis: (21) tamen, ut quædam, quæ ad univerſalem eorum, atque ad aliorum notitiam ſpectant, prodam, ſciendum eſt, morbos, qui hominum ætati, habitui, temporibusque anni congruenter eveniunt, non adeo periculoſos, quam qui contrario modo accidunt. (22) Generatim tamen ſi qui primordia ex dorſi dolore ducant, eos Hippocrates (23) inter difficiles refert. Neceſſario autem ad mortem tendere tabem, aquam inter cutem, & gravidas, ſi eas peripneumonia, aut cauſus, aut pleuritis, aut phrenitis corripuerit, aut ſi eryſipelas uteri adfuerit. (24) Dubii vero eventus eſſe in aliis pulmonis meningumque inflammationes, febrem ardentem, lateris dolorem, anginam, jocinoris & ſplenis & renum morbos, inteſtinorumque difficul-

(20) Ætius ibid. Cap. XIX.
(21) Hippocr. aph. Sect. II. §. 19. Celſ. Libr. II. Cap. VI. & Ætius Tetrab. II. Serm. I. Cap. LVII.
(22) Hipp. aphor. Sect. II. §. 34.
(23) Coac. Prænot. §. 309.
(24) Aph. V. §. 30.

cultates, atque in muliere ſanguinis fluorem. Minime vero mortiferos eſſe, niſi aliquid ipſis inſuper accedat, diuturnas in articulos deſtillationes, podagram, coxendicis dolores, melancholiam, teneſmum, quartanam, tertianam, ſtranguriam, lippitudinem, lepram, impetiginem, arthritidem. (25)

Prognoſtica morborum acutorum.

§. 11. Singularia autem, quæ ad prognoſin acutorum attinent, hæc ſunt. Malæ ſunt luctuoſæ reſpirationes: (26) malum extremarum partium frigus; (27) & ſi internæ urantur, ac ſitis irrequiebilis; (28) vel ſi caput, pedes & manus frigidæ fuerint, venter autem & latera calida, (29) item rectus oculorum obtutus, motus pernix, ſomnus turbulentus, vigiliæ, ac interdum narium hæmorrhagia. (30) Mala etiam involuntaria lachrymatio, & quibus palpebræ circumtenduntur, &, ſi quod in oculis areſcit, tenuiſſimæ lanugini aut aquarum aſpergini ſimile fuerit. Malum itidem denunciat oculorum hebetatio ac retuſio & ſqualor, & qui introrſum corrugantur, quique concreti ſunt, ac difficulter vertuntur & introrſus convoluti. (31) In acutis morbis, qui tempore ſeu æſtivo ſeu autumnali graſſantur, repentinum ſanguinis ſtillicidium, ſignificat multum circa venas fervorem, & die inſequente

(25) Idem Libr. I. de morb.
(26) Aphor. VI. §. 54.
(27) Aphor. VII. §. I.
(28) Coac. Præn. §. 115.
(29) Ibid. §. 492.
(30) Coac. Præn. §. 227. de morb. vulg. Libr. IV.
(31) De morb. vulg. Libr. VI. §. 16.

quente urinas tenues futuras. (32) Faucium ſine tumore dolores; i. e. ſi graciles ac parvæ ſunt, ac ſtrangulationem minantur, atque ubi inſuper os hians non prompte adduci ac claudi poteſt, hæc omnia mentis aberrationem portendunt. (33) Aurium inverſæ fibræ in acutis mortem portendunt; ſalutis vero ſpem, ubi parotides apparuerint. (34) Cum ſignis mortiferis annumerantur halitus oris fœtidus, inquietudo, delirium cum faciei extenuatione ac profunditate oculorum: item aures rigidæ & virides: ſpaſmus & extenſio cutis faciei cum quodam virore aut livore: & ſi propter infirmitatem æger nec audet nec videt in propinquo mors eſt (35). Idem judicium eſto, quod ſi cum corporis gravitate, digiti quoque ac ungues liveſcunt. (36) Superſunt plura quidem tum bona tum mala morbi ſigna, quæ de induſtria faciam miſſa; quoniam de his Capite I. ex parte mentionem feci, fuſius autem in poſterum reliqua, ubi aptior ea exponendi locus erit, commemorabo.

§. 12. Ad præſagium futuræ cujuslibetcunque morbi mutationis doctus is eſt, qui callet criſin qualemcunque morborum. Hujus doctrinam equidem multi recentiores Medici aſpernantur; ſiquidem perhibent uſu vomitorii vel purgantis medicaminis, vel clyſteris, in initio morbi dati, morbo pa-

Criſin ut Medici recentiores prævertunt.

(32) De Rat. Vict. in Morb. acut.
(33) Prædict. Libr. I. §. II.
(34) Caſſii problem. 31. 30.
(35) Alſaharav. Theor. tract. VI. Cap. XVIII.
(36) Coac. Prænot. §. 493.

pabulum ſubtrahi: vel ejus materiam imminui: quin etiam per præcipitantia vel abſorbentia eandem inverti; qua de cauſſa tum ancipites iſtiusmodi eventus, qui in criſi oboriri aſſolent, raro contingere: & quamquam accidant, affore tamen non tam funeſta accidentia, quam aliàs. Quid? quod & climatum ratio ſit animadvertenda. Concedunt quidem criſis doctrinam magni momenti eſſe Medico, Medicinam facienti in plaga auſtrali, ubi Solis calor corporis humores mire exagitat; verum non in ſeptentrionali, ubi minor calor; ac major humorum lentorum ac craſſorum in corporibus copia eſt; quæ omnia efficere ratiocinando pergunt, ut criſis ſtatas periodos non obſervet; ſed ſæpenumero, ſi eveniat, debitum tempus die vel aliquot horis, anticipet. Verum enim vero hæc cujuſmodicunque fuerint, non ab re tironum Medicinæ fore, exiſtimavi, quantumvis admodum complures hanc materiam omni cogitatione pertractarint, ſi ea, quæ à majoribus hujus gratia tradita, ad compendium contulero. Sed ad rem.

Criſis quid, & quomodo procedat.

§. 13. Criſis vel judicii vocabulum triplicem penes veteres ſignificationem habet. (1) Significat morbi ſolutionem; & hoc ſenſu Celſus verbum Græcum κρίνεσθαι paſſim in Latinum vertit ſolvi vel finiri morbum. (2) Indicat motum naturæ vehementem, quo, quicquid corpori moleſtum eſt, de loco depellitur. (3) Denique Criſis vocabulum late ſignificat ſubitam in morbo mutationem:

tionem: vel ſolam ad meliorem ſtatum inclinationem: vel eam, quæ antecedit, agitationem: vel integram omnem morbi ſolutionem: vel eam ſolum, quæ bona eſt (37). Hippocrates (38) verbo κρίνεσθαι vel *judicari*, inquit, indicari, ſi morbi aut increſcant, aut exoleſcant, aut in alium tranſeant, aut deſinant. Strictioris id ipſum ſignificationis eſt, quando eo indicamus magnam ac ſubitam morbi permutationem vel ad ſalutem vel ad mortem. (39) Strictiſſimæ autem, ſi eo ſignificamus repentinam ad ſanitatem converſionem. (40)

§. 14. Quantum vero ad acutorum morborum judicationem attinet, animadvertendum eſt, hanc in quatuordecim diebus expectandam eſſe. (41) Primum omnium dierum, qui à Medicis decretorii dicuntur, eſſe ſeptimum, propter potentiam & dignitatem, quia omnes decretoriorum notas generatim complectitur, nec non plurimos perfecte judicat intercedente manifeſta ſecretione vel abſceſſu; & id quidem ſine magno periculo. Quartum indicare cujuſmodi ille ſit fururus. Nam qualiſcunque in hoc quarto fuerit urinæ, ſputi, dejectionis, appetitus, mentis, ſenſus &c. manifeſta mutatio, non abſimilem huic fore in ſeptimo ſeu bonam ſeu

Qui *dies critici* dicuntur.

(37) Galenus de Criſib. Lib. I. Cap. I. & in aphor. Hipp. II. §. 23.
(38) Libr. de affectionib.
(39) Galen. in aph. Hipp. II. §. 13.
(40) Ut idem Libr. III. Cap. II. de Criſib. Et Hippocrates Prænot. prope finem. Judicationem, ſcribit, morbi ſolutionem eſſe.
(41) Coac. Prænot. §. 147. aphor. II. §. 23.

ſeu malam morbi judicationem. Plerumque tamen bona judicia in die ſeptimo evenire: in ſexto autem perraro: imo qui in quarto deteriore fuerint conditione, eos frequentiſſime die ſexto mori. (42) Igitur ſeptimi index eſt quartus: alterius ſeptimanæ octavus: notandus etiam undecimus, qui quartus eſt alterius ſeptimanæ: ut & decimus ſeptimus, qui quartus eſt à decimo quarto, ſeptimus vero ab undecimo. (43) Decimum ſeptimum excipit viceſimus, hunc viceſimus quartus, & hunc iterum ſeptimus & viceſimus, quarto ſemper ſeptimum excipiente uſque ad quadrageſimum. (44) Initium autem computationis horum dierum faciendum eſt, a die, qua infirmus actionum immutationem, imminutionem ſeu depravationem ſenſerit: puerperarum vero affectuum principium eſt ducendum ab eodem die, quo pepererunt. (45) Sin vero ambigua fuerit Medico principii ægritudinis dies, ab ipſo tum reſpicienda ſunt ſigna, ut acceſſionum proportio, & dierum natura. Etenim

(42) Galenus de dieb. decret. Libr. I. Cap. IV. aph. IV. §. 71.

(43) Hipp. aphor. II. §. 24. & Galenus de dieb. decret. Libr. II. Cap. VIII.

(44) Vide Galenum dictis locis. Æginet. Libr. II. Cap. VII. Ætii Tetrab. II. Serm. I. Cap. XXV. Rhaſ. ad Manſor. Libr. X. Cap. XXIX. Avicen. Libr. IV. Fen. II. Tract. II. Cap. II. & ſeq. Ordinem autem & rationem, quare ita ſe habeant, præter Galenum egregie declarant Haly Abb. Theor. Libr. X. Cap. VIII. Actuarius Meth. Med. Libr. II. Cap. IV. In primis vero Conſtant. Afer. Loc. Com. Libr. X. Cap. VIII. Copioſus eſt in revocando dies criticos ad calculum; atque in ratiociniis dandis, hos dies ægrotis eandem ob rationem uſu venire, qua Luna motum per ſigniferum orbem conficit, ſpatio nempe viginti ſeptem dierum, horar. VII. & min. XLIII.

(45) Haly loco antedicto.

Etenim ſi imparibus diebus facta fuerit acceſſio in intermittentibus, aut ſe ipſa vehementior fuerit in continuis febribus, Medicus æſtimare debet præſentem judicationem diei impari eſſe propriam: ſin autem in paribus exacerbetur; illarum ſpeciatim judicationem eſſe. Namque ad vehementiores acceſſiones omnino inſequuntur judicationes. (46) Verum enim vero his quomodocunque poſitis, Celſus (47) veſtigiis Aſclepiadis inſiſtens dies ejuſmodi, ut vanos repudiat; neque in ullo die, quia par imparve ſit, his vel majus vel minus periculum ſcribit. Interdum enim pejores dies impares fieri, & opportunius poſt earum acceſſiones cibum dari. Nonnunquam etiam in ipſo morbo dierum rationem mutari, fierique graviorem, qui remiſſior eſſe conſueverat, atque ipſum quartum decimum in numero parium eſſe, in quo eſſe magnam vim antiquos ipſos fateri &c.

§. 15. Licet morbi univerſim finiantur exacta materiæ peccantis per os aut alvum, aut veſicam, aut ſudorem, qui omnibus communis eſt, excretione: (48) acuti tamen plerumque ſolvuntur hæmorrhagia narium & ſudore copioſo, urina purulenta ac vitrea affatim reddita cum laudabili hypoſtaſi, aut abſceſſu notabili, aut alvo mucoſa ſanguineaque excernente ac derepente prorumpente, aut vomitione rerum non pravarum:

Quot modis morbi finiantur.

(46) Ætius ibid. Cap. XXVI.

(47) De Re Medic. Libr. III. Cap. IV.

(48) Hippocr. de Vict. Rat. in acut.

rum: ſingulis autem die quodam critico contingentibus. (49) Materia vero, quæ ad abſceſſum apta, per venas, oſſa, nervos, cutem aut alia hujuſmodi diverticula, abſcedit: quin etiam abſcedit per os, pudendum, aures, nares. Inter hæc optima, cenſet Hippocrates, (50) quæ ad inferna & infra ventrem maxime, & quam remotiſſime à morbo abſcedunt, ac ea, quæ per emiſſaria quædam effluunt, velut ſanguis ex naribus, aut pus ex aure, ſputum, urina &c. ſuis quæque ex locis.

Criſis an brevi an tarde futura ut præſagienda.

§. 16. Morbi igitur, qui cito ac vehementer moventur, ad criſin tendunt. An autem hæc brevi fiet, vel minus, innoteſcet facili negotio naturam morbi, ægrotantiſque temperamentum, prægreſſam victus rationem, clima & anni tempus conſideranti. Nec hæc cognoviſſe ſatis eſt, ſed inſuper Medicus expendat, neceſſe eſt, acceſſionum circuitus, an intermittant nec ne? Si enim v. g. in febribus continuis ac continentibus feſtinaverint, ac priorem ſemper hora anticipaverint, & increbuerint, atque tertia quaque die ingruerint, propediem judicationem futuram indicant. Ex adverſo, ſi pigre moveantur, eademque hora irruerint, & quotidie contigerint, tardam fore criſin ſignificant. Præterea ſi morbus ſtatim in principio oſtenderit omnia ſigna ſine periculo, in primo quaternario criſin promittit; ſin vero

(49) Idem Coac. Prænot. §. 150.

(50) De morb. vulg. Libr. II.

vero in quarta ſignificarit, ſeptimam non tranſgredietur. (51)

§. 17. Criſin autem inſtare, proditur, ſi infirmo nox ante acceſſionem gravis eſt. (52) Id eſt. Non parva in ægrotantis corpore turbatio præcedit: quam inſequi ſolent vigiliæ, deliria, vel gravis ſopor, & ſpirandi difficultas, vertigo, torpor ſenſuum; ſubinde capitis, colli, ſtomachi ac aliarum partium dolores adſunt. In aliis adſunt aurium ſonitus & oculorum ſplendor, & lachrymatio invita, urinæ ſuppreſſio, labiorum aut aliarum partium tremor, cutis hypochondriorum verſus ſuperiora contractio, nauſea; interdum oblivio, rigor, aut ardor, qui antehac non præſto erat: item acceſſio ante ſolitam horam advenit, inſequitur ſitis inexplebilis, vel ſomnolentia. Aliqui ex ægrotis vociferantur, ac de lecto ut conſternati proſiliunt, & formam cubitus ſervare nequeunt. (53) Cæterum inſtante criſi venam tangere oportet. Siquidem pulſus altus & vehemens bonæ ac præſentis criſis nota eſt. Si magnus fuerit, vehementer digitos feriat, atque ad diſtentionem potius quam ad contractionem feſtinarit, ſignum hoc eſt futuræ ſanguinis eruptionis ac ſudoris: ſi magnus & undoſus fuerit, criſin per ſudores futuram portendit: ſi vero vehemens

Criſis inſtantis notæ.

(51) Ætii Tetrab. II. Serm. I. Cap. XXII. Ægin. Libr. II. Cap. IX. Oribaſ. Synopſ. Libr. VI. Cap. III. Hipp. de morb. vulg. Libr. IV. circa finem.

(52) Idem aphor. II. §. 13.

(53) Ætius Tetrab. II. Serm. I. Cap. XXIII. Ægin. Libr. II. Cap. X. Rhaſ. ad Manſor. Libr. X. Cap. XXVI.

mens quidem, at non magnus, & durior ſe ipſo factus fuerit ac inæqualis, & ad contractionem magis feſtinarit, per ventrem futuram ſignificat judicationem (54): quam & arguit ventris ſub umbilico gravitas (55).

Criſis qualem eventum ſit habitura.

§. 18. An autem criſis bona, an mala futura haud ægre judicabit, qui ſecum reputaverit ægrotantis vires, concoctiones ex urina, alvique excretis & ſputo; & quod bona criſis debeat fieri, nec in principio nec in augmento, ſed in morbi vigore. Multum quoque juvat noſſe ægroti mores, an moderati, an mali ſint? Hi malum prænunciant plerumque: in primis vero in morbis acutis præcipuum futuræ mortis ſignum eſt, ſi adfuerit citra judicationem extrema virium debilitas; ſi nullum concoctionis ſignum; ſi in lotio nubecula nigra quarta die, aut ſimile quoddam in medio ipſius pendens, aut ſedimentum nigrum conſpiciatur: & alia funeſta ſymptomata præſto fuerint. (56) Privatim vero Rhaſis (57) pro certo mortis ſigno habet ſi oculi in die critico minuantur, & nares torqueantur. De cætero bonam criſin portendunt ſudores, qui diebus prænunciativis contingunt: hi enim febrem optime ac citiſſime ſolvunt: præſertim vero, ſi ex toto corpore proveniunt cum morbi levamine. Commodum quoque eſt lumbricos ſub judicationem exire. Urina optima cenſetur, quæ per totum morbi tempus, quoad cri-

(54) Ætius loc. citat. Cap. XXVII.

(55) Rhaſ. Libr. X. Cap. XXVII. ad Manſor.

(56) Æt. d. l. Cap. XXIV.

(57) Libr. I. aphor. 14.

criſin ſubiverit, album, læve & æquale ſedimentum habet. (58) Sed utcunque hæc ſe habeant, his tamen, quæ non ſecundum rationem levant, fidere non debemus, neque timere prava, quæ præter rationem fiunt: (59) ſiquidem quæ cum malignis ſignis allevamentum afferunt, & quæ cum bonis non remittunt, hæc moleſta ſunt ac difficilia. (60) Quinimo ſigna judicatoria, quæ nihil decernunt, partim mortem, partim difficilem morbi ſolutionem, nunciant. In ſumma. Summa Judicationis in hoc conſiſtit, ut ea debito tempore, ac modo contingat. Præmature namque, dum adhuc cruda ſunt omnia, ſi acciderit, recidivum ordinario morbum portendit: & perniciem, ſi exinanitio quælibetcunque modum exceſſerit. (61)

§. 19. Igitur Judicationi perfectæ convenit adeſſe (1) exinanitionem per inferiora, quam Galenus (62) meliorem cenſet, quam quæ fit per abſceſſum qualemcunque: (2) præſertim vero ſi tali pacto humor noxius & abundans, & non alterius generis, evacuetur: (3) meliorem eſſe, quæ recto tramite, quam quæ contrario modo procedat: (4) quæ facile toleretur: & (5) quæ cum coctione fiat, & quidem die decretorio. Optimam autem criſin factam eſſe cognoſcimus, ſi exin- Criſis perfecta.

(58) Hippocr. Libr. de Judicat.

(59) Idem aphor. II. §.27.

(60) Idem Coac. Prænot. §. 48. Prædict. Libr. I. §. 52. aphor. Sect. II. §. 51.

(61) Idem de morb. vulg. Libr. II. Sect. I.

(62) In aphor. Hipp. Libr. I. §. 20.

exinanitio conveniens poſt concoctionem fiat, & æger febri aliiſque ſymptomatibus, in eo, qui indicatur, die liberatur, coloratiorque pro ratione exinanitionis evaſit, ac pulſus vegetior, ipſeque ægrotus ad ſurgendum ſeque erigendum eſt robuſtior: & quod omnium ſecuriſſimum, ſi bona tolerantia conſequitur. (63)

Quæ dum criſis adeſt a Medico ſint obſervanda.

§. 20. Cæterum in curatione ægri Medicus animum huic Hippocratis monito advertat, neceſſe eſt, ut, quæ criſin faciunt, aut perfecta judicata ſunt, ea neque moveat, neque ullo modo innovet ſive medicamentis ſive aliis irritamentis, ſed ita, ut ſunt, ſinat. (64) Et quandoquidem morbi acuti præcipue & interficiunt & maximos labores excitant: proinde hi plurima obſervatione, & accuratiſſima curatione indigent. Medici enim genuini eſſe, ſcribit Hippocrates (65), non malum aliquod inferre; ſatis ſuperque enim eſſe, ſiquod propter morbum adfuerit: verum omni cura in morbum incumbat, neceſſe eſſe, ut boni aliquid præſtet. Quod ſi hoc pacto inceſſerit, & nihilominus æger morbo ſuccumbat, hoc non Medico, ſed morbi magnitudini eſſe adſcribendum: e contrario Medicum in culpa eſſe, ſi ægrotum non recte curaverit, ſi morbum ignoraverit. Sed de acutorum morborum natura, quantum ad ge-

(63) Oribaſ. Synopſ. Libr. VI. Cap. II. Ægin. Libr. II. Cap. XI. Ætius d. l. Cap. LIII. Rhaſ. ad Manſor. Libr. X. Cap. XXVIII.

(64 De Humorib. Aphor. Sect. I. §. 20.

(65) Libr. de affectionib,

generalia ſpectat, ſatis mihi videor ſcripſiſſe: ſupereſt diuturnorum naturam narratione delibare.

§. 21. Quamquam inter veteres aliqui non dubitarent morbos acutos, quoniam brevi tempore judicantur, *brachy chronios*; morbum longum autem, πολυχρόνιον nominare: Galenus tamen (66) reprehendit juſte illorum opiniones: ſiquidem nulla conſequentia eſt, *brachy chronios* eſſe acutos, quantumvis plerique acuti omnes inter *brachy chronios* referantur: ſunt enim aliqui morbi, ut febres diariæ &c. qui parvi quidem & breves, verum qui periculis prorſus vacant: cum tamen acutis hoc peculiare eſt, ut inſuper ægrotos in periculum adducant. Omnis ergo acutus exigui temporis morbus eſt, & omnis diuturnus, tardus: Verum tamen nulla conſequentia eſt, ut morbus brevis temporis ſit acutus, neque ut tardus ſit longi temporis. Quicquid ſit, Hippocrates tamen (67) poſuit febrem quadrageſimum vel ſexageſimum diem ſuperantem eſſe in diuturnarum numero collocandam: quin etiam tabem, inteſtinorum difficultatem, podagram, κέδματα, pituitam albam, coxendicis morbum, ſtranguriam, nephritin, &c. inter morbos longos ponit (68). Celſus (69) longos appellat morbos, ſub quibus neque ſanitas in propinquo eſt, neque exitium eſt. Morbus longus, brevis &c.

§. 22. Magni diuturnique morbi ſolent ſæpe- Prænotiones, & ſigna morbi diuturni.

(66) De dieb. decretor. Libr. III. Cap. XIII.

(67) De dieb. judic.

(68) Idem de Morbis Libr. I.

(69) De Re Medic. Libr. III. Cap. I.

ſæpenumero ex parvis cauſſis externis fieri. (70) Morbum autem aliquem diuturnum fore variis notis ſignificatur, ut non perturbari in morbo, ejus diuturnitatem indicat: (71) Si venæ pulſant & facies bene conſtituta, præcordia minime mollia, ſed ſublata: (72) ſi in toto corpore mutationes, & id modo alget, modo incaleſcit, & color alius ex alio fit (73). Poſt hæc ubi frigidus ſudor inter febres non acutas circa caput tantum & cervices oritur: aut ubi, febre non quieſcente, corpus inſudat: aut ubi, quod inter febres aliqua parte abſceſſit, ad ſanitatem non pervenit: aut ubi æger pro ſpatio parum emacreſcit: item ſi urina modo liquida & pura eſt, modo habet quædam ſubſidentia: ſi lævia atque alba rubrave ſunt, quæ in ea ſubſidunt: aut ſi quaſdam quaſi maculas repræſentat: aut ſi bullulas excitat (74). Quantum vero ad diutornorum prognoſin attinet, malum ſignum eſt, ſi in iis adfuerint appetitus proſtratus & meracæ dejectiones: (75) ut & urina ſanorum ſimilis. (76)

Morbi acuti Naturæ opem: chronici autem Medici peritiam poſtulant.

§. 23. Quandoquidem celeres vel acuti morbi etiam ſponte nunc fortuna nunc Natura favente ſolvuntur, pelluntur que ſubinde ſudoris aut ſanguinis per nares, aut ventris

(70) Hippocr. Libr. de affectionib.

(71) Idem de Prænot. in fine.

(72) Idem de judicat. & de morb. vulg. Libr. III. Sect. VI. §. 40. & Sect. VII. §. 60.

(73) Idem aphor. Sect. IV.

(74) Hæc Celſus Libr. II. Cap. V.

(75) Hippocr. Sect. VII. aphor. VI.

(76) Rhaſis aphoriſm. Libr. VI. §. 82.

tris fluxu: Idcirco Medicus in his curandis non multum gloriari debet, id ſui conſilii fuiſſe, cum morbus ejuſmodi finiatur. Verum longe alia conditio eſt diuturnorum corporis affectuum, qui radices egerunt: hi ſoli namque peritiam Medici poſcunt, cum neque Natura neque caſu ſolvantur. Quid? quod ex iis aliqui ut Podagra, Phthiſis, Elephantiaſis &c. vix curationem admittunt. (77) Quomodocunque dicta ſint, Cous tamen (78) in longis morbis ſolum vertere, ex uſu ægri eſſe exiſtimat.

Morborum quorundam in alios morbos tranſitus, ſeu permutatio.

§. 24. Ad generalem morborum doctrinam pertinent etiam morborum perturbationes ac tranſitus, quos Medicum videre oportet. Nimirum in quibuſdam delirantibus laterum dolores ceſſare: in quibuſdam etiam febres, in quibuſdam vero minime, ſed una cum ſudore: in nonnullis quoque cum perturbatione. (79) Conſiderandum itidem aliis alii morbi ut ſuccedant. (80) Exempli gratia. Morbi lateralis tranſitus in febrem ardentem, phrenitidis in pulmonis inflammationem, teneſmi in dyſenteriam, dyſenteriæ in lienteriam, lienteriæ in aquam inter cutem, Peripneumoniæ & pleuritidis in thoracis ſuppurationem. Rigori ſuccedit æſtus, nervo præciſo ſpaſmus, cerebro concuſſo aphonia: eidem autem vulnerato febris ac bilis

(77) Cæl. Aurel. in Præfat. morb. Chronic. Celſus Libr. III. Cap. I. Et Hippocrates Libr. de Flatib. literis mandavit obſcuriſſimos & maxime difficiles morbos opinionem magis quam artem judicare.

(78) De morb. vulg. Libr. VI. Sect. V. §. 19.

(79) Ibid. Sect. VI. §. 12.

(80) Ibid. §. 10.

bilis vomitus, partiſque alicujus reſolutio. (81) Ita etiam leucophlegmatiæ ſolet nonnunquam ſupervenire hydrops, diarrhœæ dyſenteria, dyſenteriæ lienteria, ſphacelo abſceſſus oſſis, hæmoptyſi tabes, & puris purgatio. (82) Si angina ſubito finita eſt, in pulmonem id malum tranſit, & mortiferum eſt ſæpe; quod niſi incidat, ſequitur ut aliqua parte ſuppuret. Ita etiam poſt nimias deſtillationes, tabes: poſt lateris dolores, pulmonum vitia, poſt hæc, inſania: poſt magnos corporis fervores, nervorum rigor aut diſtentio nonnunquam oboriri ſolet. Quin minus ubi caput vulneratum eſt, delirium: ubi vigilia torſit, nervorum diſtentio: ubi vehementer venæ ſupra ulcera moventur, ſanguinis profluvium erit. (83) Sunt enim loca quædam, quæ alterius loci noxios humores aut ob dolorem, aut gravitatem, aut propter aliam rationem, aut quod cum aliis communitatem habeant, excipiunt (84) v. g. acerbum partium inferiorum dolorem allevat ſurditas & ſanguinis ex naribus profluvium. Superiorum partium dolor ſolvitur, ubi genuum coxendiciſve dolor, aut anhelatio fuerit oborta (85).

Morbi per conſenſum.

§. 25. Aliquando affectus exoritur, qui per conſenſionem affligit. (86) Per conſenſum autem dicitur affectus, qui exoritur a cauſſa

(81) Idem Libro de morbis. vulg. Libr. VI. Sect. III. §. 29.

(82) Idem Sect. VII. aphor. LXXIV. & ſeq.

(83) Celſus Libr. II. Cap. VII.

(84) Hippocrates de morb.

(85) Ibidem Libr. II. §. 1. Sect. V. & §. 3. Sect. VI.

(86) Hippocr. Libr. Prænoſ. in fine.

cauſſa extra partem, in qua morbus eſt (87). Ita obſervamus, orto in veſica cancro ſæpe affici ſtomachum, cui cum veſica quoddam conſortium eſt; exque eo fieri, ut neque retineatur cibus, neque ſi retentus eſt, concoquatur, neque corpus alatur. (88) Eadem ratio eſt nephritidis, ubi ventriculus atque inteſtina nonnunquam afficiuntur ob conſortium nervorum communium, ad partes, quibus calculus inhæret, tendentium. Eandem ob cauſſam contingit ſtrangulatio in iis, quæ vitio locorum ceciderunt. Nec diſparia his ſunt deliria, quæ per febrium vigores eveniunt, quæ non propter cerebri affectionem, ſed per conſenſum fiunt. Quin etiam ea affectio, quæ ſuffuſioni ſimilis eſt, à ventriculo male affecto ortum ducit. Namque cerebrum ventriculo, & ventriculus cerebro ſuas affectiones tranſmittit, propter nervorum à cerebro ad os ventriculi deſcendentium magnitudinem, per quos etiam huic particulæ, quam ulli reliquorum corporis partium ſenſus acutior eſt. En cauſſam quapropter cranei fracturam, cum ad membranas uſque pervenerit, vomitus bilis, & dolores qualescunque capitis; interdum nauſea, ſtomachique morſus, concitetur. (89) Ita etiam nonnunquam obſervatum eſt, ut gravidarum mammæ ante abortionem emacreſcant, & tuſſis diuturna in teſtium tumores deſinat. Ex quibus licet col-

(87) Sennert. Inſtit. Libr. II. Part. I. Cap. XI.

(88) Celſus Libr. VII. Cap. XXIIX.

(89) Galenus de loc. affect. Libr. III. Cap. VI.

colligere intercedere conſortium quoddam genituræ & teſtibus cum mammis & pectore. (90)

Morbi reverſio.

§. 26. Interdum etiam quidam morbi videntur finiti, & tamen hi ſubinde revertere ſolent. Incumbit itaque Medico horum gratia animadvertere, morbum revertentem magis quam ab initio urgere: (91) in primis vero morbi reverſionem ſenibus mortem minitari, inferreque. (92) Ex febribus autem, quæ ſæpius recidivæ, quæque ſextum menſem ſuperarunt, ſolent hæ ægrotis coxendicis tabem crebro importare. (93) Reverſionem morbi facere ſolent ea, quæ poſt criſin in morbo relinquuntur: (94) hæc autem Galenus ſtatuit, (95) eſſe malorum humorum reliquias, quas, cum tractu temporis putreſcere oporteat, febrem de novo accendere. Sudores febrem habentium bonos judicat Hippocrates, (96) qui die tertia, quinta, ſeptima, nona, undecima, quarta decima, ſeptima decima, vigeſima prima, vigeſima ſeptima, trigeſima prima & trigeſima quarta oboriuntur. Eos autem, qui ita non proveniunt, laborem ſignificare & morbi longitudinem, & reverſionem. Ga-

(90) Hippocr. de morb. vulg. Libr. II. Sect. I. §. 7. Ejuſdem generis ſunt, quæ habet de morb. vulg. Libr. IV. §. 10. *Quibus teſtes intumeſcunt, tuſſi ſicca vexantur; & tuſſis vena ſecta in teſtium tumorem deſinit & inflammatione tentati tuſſiunt. Quin etiam febribus ex inguinum tumoribus obortis, tuſſes ſuccedunt.*

(91) Hippocr. de intern. affectionib.

(92) Idem Libr. Prænotion.

(93) Idem Coac. Prænot. §. 144.

(94) Idem de morb. vulg. Libr. VI. Sect. II. §. 12. & aphor. Sect. II. §. 12.

(95) In Comment. ſuper dictum aphoriſmum.

(96) Aphor. Sect. IV. §. 36.

Galenus (97) auctor idoneus memorat, non ſudores tantum, verum etiam alvi excrementa effatu digna, & urina copioſa, & abſceſſus juxta aurem vel alium articulum in dictis diebus apparentia itidem boni ominis eſſe. Vena tamen, ut vera aliquis præſagiat, tangenda eſt. Namque ſi contractio plus temporis, quam dilatatio, occupare videtur, imperfecta antedicta ſunt, ac morbum recidivum minari ſolent (98). Equidem Cous noſter literis prodidit, (99) febrem, niſi in diebus imparibus dimiſerit, fore recidivam; verum Galenus arbitratur ſcribendum in diebus criticis. (100) Quamquam Celſus (101) ſcribat, ut ſupra memoravi, id Aſclepiadem jure ut vanum repudiaſſe: neque enim in ullo die, quia par imparve ſit, his vel majus vel minus periculum eſſe: hujus opinionem tamen Galenus paſſim refellit, ac contrarium Experientia duce demonſtrat.

§. 27. Collocanda hoc capite duxi quædam morborum genera, de quibus præter Hippocratem vix quiſpiam aliquid retulit. Hæc inter primo occurrit morbus craſſus, quem his notis ſcribit cognoſci. In ventrem bilem & pituitam defluere, haſque, cum coacervatæ inibi fuerint, attolli, ſurſum deorſumque inſtar undæ moveri, rigorem & febrem inſequi, ut & capitis dolores: & ſi ad viſcera pervenerit, ſtrangulatum afferre. Morbus craſſus.

(97) In Commentario in dictum aphor.

(98) Actuar. Meth. Med. Libr. I. Cap. IX.

(99) Sect. IV. aphor. LXI.

(100) In Commentar.

(101) De Re Medica Libr. III. Cap. IV.

re. Ægrum aliquando acidam; quandoque ſalſam pituitam, vomere; & à vomitu ipſi os amarum videri. Latera rubere incaleſcereque, & dorſum incurvari. Corpus, cum maxime doloribus torquetur, contactus impatiens: dolet enim perinde ac ſi ulceratum eſſet: carnes præ cruciatu palpitare, teſtes contrahi, calorem quendam & dolorem ad ſedem & veſicam pertingere, urinamque craſſam, qualis hydropicorum eſt, reddi: pedes ſemper frigidos, dolores maxime verſus latera, dorſum, & cervicem vergere, & ad cutem aliquid adrepere videri. Morbum hujuſmodi interdum urgere, interdum remittere: procedente tempore autem magis urgere, ac cutem capitis craſſam & rubram evadere: ægrumque deinceps ſudorem copioſum ac graveolentem ſudare, crebroque per ſomnum Veneris ludibriis agitari, ejuſque ſemen genitale ſubcruentum ſublividumve prodere. Diuturnum hunc affectum eſſe, perdurare enim nonnunquam in ſextum annum: imo ad decennium interdum perſeverare.

Alius a bile.

§. 28. Oriri etiam morbum craſſum ex bile ad hepar confluente, ac ſedem in capite habente. Ejus ſigna hæc eſſe. In morbi initio, jecur intumeſcens ad ſeptum tranſverſum expandi, ſtatimque dolorem in caput, præſertim vero in tempora ingruere; hæc comitari auditus juxta & viſus debilitatem, & corporis horrorem & febrem. Quæ omnia, cum morbus nondum inveteratus, intervallis aut magis aut minus intermittere.

Ve-

Verum morbo ſedem figente, corpus magis dolere, oculorum pupillas diſſipari, cœcutire in tantum, ut digitnm ad oculos admotum non percipiat; nec nictetur, ſed floccos ægrum; ſi quos videat; ex veſte detrahere, ratum pediculos eſſe. Tandem delirare, eique ante oculos reptilia, omniſque generis feras, vel homines armatos, quibuscum ipſi pugnandum eſſet, obverſari videri. Eadem terribilia ipſi in ſomnio apparere; qua de cauſſa eum conari ſurgere, atque in præſentes, vel in eos, quos ſibi viſus eſt videre, irruere: verum eum crura attollere non poſſe; ſed e veſtigio decidere, pedesque ejus eſſe frigidos. Ceſſante delirio eum ad interrogata intelligenter reſpondere; aſt paulo poſt iisdem doloribus cruciari. Morbum hunc familiarem eſſe peregrinantibus, privatim vero deſerta loca peragrantibus, & terrore ob viſum ſpectrum correptis.

§. 29. Eſſe inſuper morbum craſſum ex pituita putrida ortum, quod ex eo effici putat Hippocrates, quia æger ructus ejuſdem odoris emittat, qualem ſolet, qui radiculas comedit. Hujuſmodi morbum a cruribus incipere, ab his ad ventrem aſcendere, ab hoc rurſus ad viſcera; & ubi in his conſtiterit, ſtrepitum & vomitionem pituitæ acidæ quadantenus putridæ ciere. A cujus vomitu ægrotum haud ſibi conſtare: viſcerumque anxietudinem adeſſe, ac interdum tam gravem dolorem capiti derepente accidere, ut æger præ dolore nec audire nec videre acute queat. Sudare multum, & quidem

Alius a pituita putrida.

dem graveolentem, præſertim vero dolore detinente, & morbo remiſſionem faciente. Colorem, qualis in morbo regio, adeſſe: Morbum vero priori paulo minus lethalem eſſe: in primis vero ſi triginta dies duraverit, quamvis interea ſit admodum difficilis.

Alius a pituita alba.

§. 30. A pituita alba etiam exoriri quandam morbi craſſi ſpeciem, quam pituitam in ventre colligi, febribus diuturnis corpus corripientibus. Incipere autem morbum à facie, quam intumeſcere, deinde ad ventrem deferri, quem tum in magnitudinem attolli, corpusque ipſum, quaſi labores cujusquemodi exantlaſſet, laſſitudine laborare; in ventre ponderis ſenſationem, & dolorem vehementem ineſſe: pedes quoque tumeſcere. Quod ſi pluvia in terram deciderit, ægrotum pulveris odorem non poſſe ſuſtinere: ſin autem forte ſub pluvia conſtiterit, ac terræ odorem ſenſerit, eum protinus concidere. Hunc morbum quidem aliquando intermittere, ſed diutius, quam priorem, durare, ac tardius ſolvi: imo poſſe per ſexennium durare. (102)

Morbus lividus.

§. 31. Mentionem quoque facit de morbo livido, in quo febrem ſiccam adeſſe, ſubinde horrorem, caput viſceraque dolere, bilem evomi: dolore ceſſante ægrum tueri ſurſum non poſſe, ſed gravari, ventrem indurari, colorem lividum præſto eſſe, præcipue vero labra oculorumque album liveſcere;

(102) Hæc Hippocrates de internis affectionib.

re; quinimo colorem ſtrangulatorum eſſe ſimilem: quid? eundem interdum mutari, & ex livido cum virore aliquantum palleſcere. Diuturnum hunc morbum eſſe, & plerumque ægrotantem ad mortem uſque comitari.

§. 32. Morbum pituitoſum aliquando virum, ſed crebrius mulierem corripere. Et hanc tum craſſam eſſe & bene coloratam; & ubi iter fecerit, imbecillem evadere, & id cumprimis, ubi ad arduum, ac acclivem locum contenderit. Febriculam, interdum ſuffocationem, ægram infeſtare, ac jejunam; imo &, ubi cibum ſumpſerit, bilem copioſamque ſalivam vomere, cibi autem nihil. Poſtquam autem hoc affectu fuerit correpta, dolorem modo pectus, modo dorſum occupare, & tumidis ac rubicundis cutis eminentiis, veluti ab urtica uſtis uſu venit, compleri. Hunc morbum ad mortem uſque durare. (103) Morbus pituitoſus.

§. 33. Eſt etiam alius pituitæ morbus, quem nominatione pituitæ albæ nuncupat. Narrat autem eum hominem magis gravare, eundemque videri colore pallidiorem, quam decet. Corpus ejus univerſum tumore laxo tumere, faciem rubere, os ſiccum, ſiticuloſum, & in edendo crebra ei reſpiratione opus eſſe. Miram eſſe accidentium viciſſitudinem: modo ægrum eodem die bene ſe habere, modo derepente dolere, modo etiam mori videri. Eundem autem in ſanitatis ſpem Alius.

(103) Idem de morbis Libro II.

ſpem adduci, ſi venter ejus ultro muniis ſuis perfungatur, & id quidem in morbi initio, ſi tum conturbatus fuerit. (104)

Morbus reſiccatorius. §. 34. Commemorat etiam Hippocrates (105) morbum *αὐαντὴν*, quem interpretes Latine reddiderunt, reſiccantem vel *reſiccatorium*. Qui eo laborat, eum Cous, noſter narrat, non inediam, non cibum aſſumptum ferre poſſe. Jejunus cum fuerit, viſcera rugitum edere, œſophagum morderi, & alias varia, ut bilem, ſalivam, pituitam & acre vomere: à vomitu aliquantiſper videri melius ſe habere. Cibum autem ſumpto ructus contingere, cum rubore incendi, ſemper ſe copioſum alvi recrementum excreturum exiſtimare: ubi vero deſederit, flatus potiſſimum infra demitti, caput dolore vexari paſſim, quaſi acu pungatur, crura gravari, debilitari, imminui: quin minus ipſum ægrotum evadere debilem. Hunc morbum eſſe diuturnum, nec niſi conſeneſcentes deſerere, cæteroquin ad mortem uſque comitari.

(104) Ibid. & Libr. de intern. affectionib.

(105) De morb. Libr. II.

CAPUT

CAPUT IV.

De variis quæ ad methodum medendi pertinent.

§. 1. HActenus tradidi, quæ ad univerſalem morborum hiſtoriam pertinent, quin etiam memoravi aliquos morbos, ab Hippocrate memoratos, quos neſcio a poſteris ad certam claſſem redactos. In methodo medendi etiam quædam generalia occurrunt, quæ non ab re fore, putavi, ſi eorum a me in peculiari capite fuerit mentio facta. Verum ad rem.

§. 2. Cauſſam parvam quidem, Hippocrates (1) ſtatuit, curatione ſolvi, niſi aliquis locus præcipuus ſit affectus: verum ſi quid movendum videatur, id morborum in principio movendum: vigentibus vero morbis, melius eſſe quieſcere. Siquidem circa principia & finem omnia eſſe debiliora: circa vigorem vero vehementiora. (2) Præterea putat morbos quoſcunque a repletione ortos, evacuationem: quos vero ab evacuatione, eos repletionem ſanare. (3) Imo ad morbos extremos, remedia extrema, cum judicio tamen in uſum vocata, eſſe optima. (4)

Therapeiæ theorema univerſale.

§. 3. Hippocrati, tanquam enuntiatum eſt, concocta, & non cruda, eſſe purganda

Qualia oporteat purgare & movere &c.

(1) Libro Prænot. in fine.
(2) Aphor. Sect. II. §. 29. 30.
(3) Ibid. §. 22.
(4) Ibid. Sect. I. §. 6.

da & movenda : neque hæc in principio, præterquam quod turgeant: plurima autem non turgere. (5) Talia ſcilicet e corpore eſſe eliminanda, qualia etiam ſponte prodeuntia ex uſu ſunt: ſiquidem, ſi talia purgentur, non modo conferre, verum etiam facile ægros ferre purgationem: at vero ſi quis contrario pacto proceſſerit, difficulter. (6) Non copia enim quæ prodeunt eſſe æſtimanda, ſed ſi prodeant, qualia oportet & facile ferant. (7) Igitur ventrem in morbis Medicamento purgante ſubducere expedit, quinto die, ubi concocta fuerint: per inferiora quidem, ubi Medicus materiam conſiſtentem cognoverit: quam manifeſtari, ſi æger nec anxietate nec capitis gravitate vexetur, ſi calor mitiſſimus, ſi idem poſt acceſſiones deſiverit: per ſuperiora vero in ipſa acceſſione, ubi æger anxietudinem, & partium ſuperiorum gravitatem ſentiat. (8) Conducit quoque purgatio revaleſcenti, cibum non cum appetitu aſſumenti, & nullum robur ex hoc capienti. (9) Ut autem purgatio rite inſtituatur, neceſſe eſt, corpora facile fluentia reddere. Nempe ſi ſurſum, alvum eſſe ſiſtendam docet Medicinæ profeſſor: ſi deorſum, eandem humectandam. (10) Deinde quæ educenda, ea, quo maxime vergunt,

(5) Ibid. Sect. I. §. 22. & Libr. de humorib.

(6) Ibid. Sect. IV. §. 2. 3. Sect. I. §. 25. & de morb. vulg. Libr. VI. §. 10.

(7) Ibid. Sect. I. §. 23.

(8) Idem de morb. vulg. Libr. VII.

(9) Idem aphor. Sect. II. §. 8. vide Galenum in hunc aphoriſmum, qui eum ita interpretatur.

(10) Ibid. Sect. II. §. 9. & Sect. VII. §. 70.

gunt, per loca utpote convenientia, eſſe ducenda. (11) Namque dolores, qui ſupra ſeptum tranſverſum, quique purgatione egent, indicare ſurſum, qui vero infra, deorſum purgante opus eſſe v. g. non febricitanti ſi fuerit appetitus proſtratus, oris ventriculi morſus, tenebricoſa vertigo & os amarum, opus eſſe purgante per ſuperiora: alii autem ſi fuerint tormina, & genuum gravitas, & lumborum dolor, hunc per inferiora purgandum. (12) Itidem ſudorem multum calidum aut frigidum ſemper fluentem humidi redundantiam ſignificare. Si tali modo robuſtus quiſpiam affectus, eum ſurſum; ſin vero debilis, deorſum, purgandum. (13) Graciles item & facile vomentes ſurſum purgandos, vitandum tamen tempus hyemale: difficulter autem vomentes, & mediocriter carnoſos, deorſum, ſed evitent æſtatem. Melancholicos ubertim deorſum eſſe purgandos. Generaliter tamen obſervandum eſſe, quod expediat æſtate magis per ſuperiora: hyeme vero per inferiora, purgare: & ſub cane & ante canem difficiles eſſe purgationes (14). Nec minoris animadverſionis eſt, ſenes & pueros, ubi humores redundarint, propter debilem corporis conſtitutionem blando medicamine purgandos. (15)

§. 4. Cæ-

(11) Ibid. Sect. I. §. 21.
(12) Ibid. Sect. IV. §. 18. 17. 20.
(13) Ibid. Sect. VII. §. 61.
(14) Ibid. Sect. IV. §. 6. 7. 9. 4. 5.
(15) Rhaſis aphoriſm. Libr. VI. §. 76.

Purgatio in quibus affectibus ſit utilis.

§. 4. Cæterum dejectionem medicamento eſſe petendam, ſcribit Celſus, (16) *Ubi venter ſuppreſſus parum reddit, ex eoque inflammationes, caligines, capitis dolores, aliaque ſuperioris partis mala increſcunt: nec non ſi caput grave eſt, ſi in inteſtino colon, vel in imo ventre, aut in coxa dolores ſunt: ſi in ſtomachum quædam bilioſa concurrunt, vel etiam pituita eo ſe, humorve aliquis aquæ ſimilis conferi: ſi ſpiritus difficilius redditur; ſi nihil per ſe venter excernit, utique ſi juxta quoque ſtercus eſt, & intus remanet: aut ſi ſtercoris odorem, nihil dejiciens, æger ex ſpiritu ſuo ſentit; aut ſi corruptum eſt, quod excernitur: aut ſi ſanguinem mitti, quum opus ſit, vires non patiuntur, tempuſve ejus rei præteriit: aut ſi multum ante morbum aliquis potavit: aut ſi is, qui ſæpe vel ſponte vel caſu purgatus eſt, ſubito habet alvum ſuppreſſam.* In primis vero ventri dejectione indigent, ut auctor eſt *Rhaſis*, (17) qui corpus magnum ac pingue habent, quique guloſi ſunt, atque ubi cibum & omnis generis fructus affatim comederint, parum moventur vel excitantur.

Vomitus utilitas & noxia.

§. 5. Vomitus vero utilis eſt plenis & bilioſis omnibus, ſi vel nimium ſe replerunt, vel parum concoxerunt: utilis eſt iis, quibus amari ructus cum dolore & gravitate præcordiorum ſunt, & quibus pectus æſtuat, & frequens ſaliva vel nauſea eſt: aut quibus ſo-

(16) De Re Medica Libr. I. Cap. III. & Libr. II. Cap. XII.

(17) Ad Manſor. Libr. IV. Cap. XV.

ſonant aures, aut madent oculi, aut os amarum eſt, iiſque quibus, ſi per plures dies non vomuerunt, dolor præcordia infeſtat: quin etiam utilis, imo neceſſarius eſt, omnibus, qui ante febres horrore & tremore vexantur, qui cholera laborant, qui cum quadam hilaritate inſaniunt, qui comitiali morbo oppreſſi. (18) Item ſi coacuit intus cibus aut computruit, quorum utrumlibet ructus oſtendit, & tum ille tali pacto ejiciendus eſt. (19) Verum enimvero qui tabe, qui capite ſine ventriculo ſaburra repleto, qui hæmoptyſi, aut oculis, aut animi defectione, aut quæ ſuffocatione mulierum laborant, hi a vomitu ſe abſtineant. (20)

§. 6. Licet purgatio in acutis raro ex uſu ſit, tamen in principio, adhibita prius diligenti cautione, quandoque convenit. (21) Verum enimvero qui nigra evomunt, ciboſque averſantur, deſipiunt, & ad pubem nonnihil dolent, habentque aſpectum ferocem: neque qui ſubtumidi, aut qui tenebricoſa vertigine vexantur, aut qui leviter moti animo deficiunt, aut decolores ſunt, aut qui ob febrem viribus fracti & ſopore tenentur, eos non tutum eſſe purgare, Hippocrates auctor eſt. (22) His adde, quibus caput dolet ob vehementem aliquam corporis exercitationem: qui decolores, rauci, lienoſi, pallidi: vel quibus ſanguis deficit, fla-

Purgationes quando minus recte inſtituuntur.

(18) Hæc Celſus locis citatis.

(19) Idem Libr. IV. Cap. V.

(20) Septalius animadv. Medic. Libr. III. §. 11. 12.

(21) Hipp. aphor. Sect. 1. §. 24.

(22) Prædict. Libr. I. §. 71.

flatuoſi, ſicca tuſſi laborantes, ſiticuloſi; qui intenta habent præcordia, & latera & dorſum cum ſtupore, qui obſcurè vident, quibus aures tinniunt, qui icterici, quorum alvus cruda dejicit, quique quolibetcunque ſanguinis profluvio laborant, hos experientiam dictare, Hippocrates tradit, minime purgante medicamento evacuandos. (23) Et ut in ſumma dicam, purgationes ut interdum neceſſariæ ſunt, ſic ubi frequentes ſunt, periculum afferunt. Aſſueſcit enim corpus non ali, & ob hoc infirmum erit, quum omnibus morbis obnoxia magis infirmitas ſit. (24)

Utilitas ſanguinis detractionis. §.7. Equidem inter veteres Eraſiſtrati, & inter recentiores Helmontii, ſectatores ſanguinis miſſionem nauci faciebant: attamen & olim & nunc maxima Medicorum pars eam referunt inter auxilia, quibus cum maxime ægrotis opitulamur. Acta agere profecto nemini non viderer, quin & peculiare volumen poſtularet, ſi ea, quæ ſanguinis miſſionis gratia a plus quam ſexcentis cujuſvis ævi ſcriptoribus fuerunt copioſe dicta, memoria repetere vellem. Igitur, miſſis adeo multis inter Medicos omni tempore habitis diſceptationibus de utilitate, de modo ut revellendi, ut derivandi &c. deque venarum incidendarum ſelectu, & aliis, a ſubtiliſſimis Phyſicis in medium allatis, quæſtiunculis, indicabo tantummodo uſum, no-

(23) De Rat. Vict. in morb. acut.

(24) Hæc Celſus Libr. II. Cap. III.

noxam & tempus ſanguinis miſſionis, prout ea a majoribus monumentis prodita ſunt. Verum ad rem. Poſtica capitis parte dolenti juvare, auctor eſt Hippocrates (25) rectam in fronte venam inciſam. Rupta, quæ ex dorſo ad cubitum deſcendunt, ſolvit venæ inciſio. (26) Eadem confert oculorum doloribus ſeu lippitudini. (27) Item urinæ difficultati, ſed incidendas eſſe venas interiores. (28) Prodeſt etiam, quibus dolores repentini oboriuntur, præcordia ſurſum attolluntur, & ſi dolores acerbi ad coſtam ſpuriam pertingunt: (29) item anginæ, incidendam autem venam brachii vel ſub lingua. Ita etiam ſanguinem in cæteris morbis acutis eſſe detrahendum. Nempe ſi morbus fuerit vehemens, & qui ægrotant ætate & virium robore valuerint. Quin etiam jocinoris acutiſſimos dolores, lieniſque gravitatem atque alias inflammationes, & dolores ſupra ſeptum tranſverſum graviſſimos, & morborum collectiones non poſſe ſolvi uſu purgantis in principio dati; verum uſu miſſionis ſanguinis. Conducit etiam ſi dolores ad jugulum pertigerint ad brachium vel juxta mammam, vel ſi ſupra ſeptum gravitatis ſenſus adfuerit, internam cubiti venam incidere, ſanguinemque copioſe detrahere oportet, quoad rubrum lividus inſequatur: utrumque enim uſu venire. (30) Juvat quoque

(25) Aphor. Sect. V. §. 68.
(26) Ibid. Sect. VI. §. 22.
(27) Ibid. §. 31. & Sect. VII. §. 46. & Libr. II. de morb. vulg.
(28) Aphor. Sect. VI. §. 36. & Sect. VII. §. 48.
(29) Idem Libr. de Judicat.
(30) Idem de Vict. Rat. in morb. acut.

que ſanguis ex naribus, aut vena frontis detractus, ubi dolor & tenebricoſa vertigo in caput incidat. (31) Præter hæc Celſus (32) ſtatuit, ſi materia vel copia ſui male habet, vel corrupta eſt, non melius, quam ſanguinis detractione ſuccurri. Febrem vehementem ergo, ubi corpus rubet plenæque venæ tument, illam requirere; item viſcerum morbos, nervorumque reſolutionem & rigorem & diſtentionem: quicquid denique fauces difficultate ſpiritus ſtrangulare, quicquid ſubito vocem ſupprimere, quemque intolerabilem dolorem, & quacunque de cauſſa ruptum aliquid intus aut colliſum, omneſque morbos acutos, qui non infirmitate, ſed onere nocent. Galenus addit (33) ſe bono cum ægrotantis emolumento hanc operationem præter antedicta inſtituiſſe in arthritide, morbo comitiali, melancholia, hæmoptyſi, peripneumonia, pleuritide, ad ſummam in magno quopiam morbo, ubi multitudo ſanguinis vel ad vaſa vel ad vires præſto fuerit: illius generis plenitudinem ex diſtentione, & quod venæ repletæ appareant; hujus vero ex corporis gravitate cognoſci. (34) Ex recentioribus Bellinus (35) ſtatuit venam in omni morbo incidendam, in qua aut ſanguinis quantitas minuenda, aut velocitas ejus augenda, aut in quo re-fri-

(31) Idem Libr. de affection.

(32) De Re Medic. Libr. II. Cap. x.

(33) De curand. ration. per ſang. miſſ. Cap. v. & IX. Ætius, Tetrab. I. Serm. III. Cap. x. Orib. coll. Libr. VII. Cap. 31.

(34) Ægin. Libr. VI. Cap. x.

(35) Propoſ. VI. de ſang. miſſione.

frigerandum, aut humectandum, aut aliquid in vaſis hærens dimovendum, aut ubi ſanguinis particulis, ut intime commoveantur, ac ita faciem mutent, occaſio danda.

§. 8. His quomodocunque poſitis Hippocrates tamen in levibus laterum doloribus, a flatibus potiſſimum ortis, ubi æger ſive ciborum faſtidium, ſive præcordia ſublata habet: quin etiam in torpeſcentibus ex corporis rigore non ſine febre (36) ut & (37) in gravidis ſanguinis miſſionem diſſuadet, privatim vero ſi fœtus fuerit major; eam etenim abortum inferre. Non perpetuum tamen hoc eſſe uſus oſtendit, ſiquidem firmus puer & robuſtus ſenex, & gravida mulier valens, tuto curantur: quamquam interea non negandum eſt, in juvene imbecillo, inque muliere, quæ gravida non eſt, parum valente, male ſanguinem emitti: nec non hominem jugulare eſſe, quod ſi vehemens febris urget, ejus ſanguis mittatur: ſatius enim eſt primum levare ægrum, deinde perpurgare, quam ſimul omni vi effuſa fortaſſe præcipitare. Verum enim vero fieri poteſt, ut morbus quidem id deſideret, corpus autem vix pati poſſe videatur, & tamen nullum appareat aliud auxilium, periturusque ſit, qui laborat, niſi hac via temeraria in hoc ſtatu fuerit adjutus; boni Medici tum eſt oſtendere, quam nulla ſpes ſine ſanguinis detractione ſit, faterique quantus in hac ipſa re ſit metus. Satius enim eſt anceps

Sanguinis miſſio quando minus inſtituenda.

(36) Coac. Prænot. §. 491. (37) Aphor. Sect. V. §. 31.

ceps auxilium experiri, quam nullum: idque maxime fieri debet, ubi nervi reſoluti ſunt, ubi ſubito aliquis obmutuit, ubi angina ſtrangulatur, ubi prioris febris acceſſio confecit, paremque ſubſequi veriſimile eſt, neque eandem videntur ſuſtinere ægri vires poſſe. (38) Inter Methodicos Cæl. Aurelianus (39) decrevit eis, qui ſolutione vel laxitate afficiuntur, venæ inciſionem nocere: inter Dogmaticos vero Galenus (40) in febribus, ex humorum putredine ortis, ſi cruditas ventris, ſi vires debiles, ſi ætas aut puellaris, aut ſenecta adfuerit, duxit, venam non incidendam. Et, quamquam aliquis in vigore ætatis fuerit, habuerit autem is ipſe corpus laxum, molle, pingue, album, gracileſque venas, diſſuadet in hoc ſanguinis detractionem; præſertim vero Æſtate & in regione æſtuoſa, & cæli ſtatu calido ac ſicco. Et licet demptis his conditionibus ratio ſuadeat venæ in tali corpore inciſionem, tamen vult parum ſanguinis modo detrahendum eſſe. De cætero non convenit iſta operatio inſtituenda, ubi aliquis multum ſudat, (41) ubi quiſpiam ebrius, ubi nauſeat: vel poſteaquam laboravit Cholera, vel vomitu, vel alvi profluvio. Neque inſtituenda eſt poſt multum coitum, laborem & vigilias: ſummatim poſt omnia, quæ corpus diſſolvunt, enervant aut vehementer

(38) Hæc Celſus Libro II. Cap. X.

(39) De morb. acut. Libr. I. Cap. XVII.

(40) Method. Medend. Libr. XI. Cap. XIV.

(41) Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. LXXI.

menter exagitant. (42) His utcunque poſitis, ſunt tamen quædam corporis ægritudines, in quibus Ratio ſuadet materiam vel dejectione vel venæ inciſione eſſe evacuandam: cum nihilominus id ipſum vires ægri diſſuadeant: in hoc caſu, ubi indicationes ſibi ita adverſantur, oportet id, quod vitiatum eſt, paulatim evacuare, ac aliud, quod ſalubre eſt, paulatim in ejus locum ſubſtituere. Hujusmodi depravati humoris curationem Graji Ἐπίκρασιν appellant. (43)

Quando, & quantum ſanguinis mittere oporteat.

§. 9. Tempus vernum Hippocrates (44) maxime aptum judicat ſanguinis miſſioni pariter & purgationi. Scilicet qui adhuc ſani, propter plenitudinem autem vel corruptionem humorum ægri futuri, eis tunc temporis alterutro remedio, materiam morbo ſubtrahendi cauſſa, ſubveniendum. Namque morbum ita procraſtinari, atque plurimos, qui alias conſueverant quotannis arthritide, podagra, hæmoptyſi, epilepſia, apoplexia, melancholia, & aliis hujusmodi diuturnis affectionibus laborare, ita per plures annos incolumes ſervari. (45) Quouſque autem ſive qua menſura ſanguis ſit mittendus, docet Galenus. (46) Scilicet in maximis quibuſque inflammationibus, & in maxime adurentibus febribus, & vehementibus doloribus, ægroto nondum debilitato, ſed adhuc

(42) Rhaſis ad Manſor. Libr. VII. Cap. XXI.
(43) Galenus Method. Med. Libr. IX. Cap. X.
(44) Aphor. Sect. VI. §. 47. & VII. §. 53.
(45) Galenus in dict. aphor.
(46) Idem in aphor. 23. Libr. I.

huc robuſto, tantam moliri evacuationem oportere, quoad æger animo videatur linqui. Ab experientia enim ſe edoctum in ardentiſſimis febribus, facta ad animi defectionem uſque ſanguinis miſſione, ſtatim totius corporis habitum refrigeratum, febremque extinctam: plurimis etiam alvi dejectiones & ſudationem uſu veniſſe, & hoc pacto convaluiſſe: aliis vero adjumento fuiſſe, ut morbus de vehementia ſua multum remitteret. In doloribus autem intolerabilibus ſe præſtantius non noſſe remedium quam uſque ad animi defectionem evacuare: Hanc tamen cautionem eſſe adhibendam utrum mittere ſanguinem, an purgationem inſtituere oporteat. Nempe ſi affectus a plenitudine ſeu extenſionis dolorem, ſeu inflammationem efficiente exortus, ex uſu erit Venæ inciſio: ſin vero a plenitudine gravante: vel natura hominis frigidior &c. fuerit, præſtat tali affectui mederi frictione, unctione, medicamentis craſſos humores incidentibus, & evacuantibus. (47) Hæc veterum ſanguinis mittendi ratio erat: verum inter recentiores Septalius (48) junioribus Medicis ſuadet, ut tam liberalem ſanguinis miſſionem miſſam faciant: ſiquidem, ut dextre perficiatur, requiri juvenem temperamenti calidi & humidi, ſanguinis miſſioni aſſuetum, regionem tempeſtatemque anni temperatam, quæ raro conjunctim in unum ægro-

(47) Idem de cur. Rat. per. ſang. miſſ. Cap. VI.

(48) Cujus animadverſiones vide apud Bonetum in Labyr. Libr. IV. §. 26.

ægrotum incidere. Item Ballonius (49), non adeo tutam, donec videlicet animi defectio oboriatur, ſanguinis miſſionem judicat, quia noſtra præ majorum corporibus languidiora juxta & molliora ſunt. Narrat paſſim de aliis atque aliis ægris, qui ob liberaliorem ſanguinis miſſionem deteriore conditione erant. Nobis proinde conſulit, atque id optime, ut in hujuſmodi remedii uſu ſimus cauti, nec in ſanguine profundendo adeo prodigi.

§. 10. Medicis etiam uſus eſt ſanguinem, vel alium corporis humorem nimis motum avertere, quod veteres credebant quatuor modis uſu venire, ut derivatione, revulſione, interceptione, & repulſione. Primum Græci appellabant *παροσχέτευσιν*, (Gariopontus eundem vocat Metacenteſin (50),) hanc autem inſtituendam arbitrabantur, ubi humores membrum quoddam jam obſederunt, per loca vicina vel ad latera. e. g. ubi deſtillatio in palatum accidit, commode humorem per nares evacuari: ubi in aſperam arteriam, ad ſtomachum ducere eum oportere: ubi in latere dextro eſt pars affecta, & ſanguinis miſſio e re ægri judicatur, venam dextræ manus vel cruris eſſe incidendam. Eadem conditio eſt lateris ſiniſtri. Secundum avertendi modum nominabant *ἀντίσπασιν*, Latine revulſionem. Peragi autem hæc debet, cum humores etiamnunc ad aliquod membrum confluunt; avertere vero

Derivatio, revulſio, interceptio, repulſio.

(49) Ibid. §. 26. 73.

(50) Libr. v. Cap. XI.

vero eos oportet ad loca contraria. v. g. ſi quando ſurſum vergunt, deorſum revulſio eſt inſtituenda: ſi deorſum, ſurſum: ſi introrſum, ad exteriora: ſi dextrorſum, ſiniſtrorſum: ſi in anteriora, retrorſum, &c. Media autem, quibus avertere humores ſolemus ſunt venæ inciſio, cucurbitæ, alvi dejectionem vel vomitum inferentia, veſicatoria, errhina &c. (51) Celſus eos carpit, qui ſtatuebant ſanguinem quam longiſſime inde, ubi lædit, eſſe mittendum; ratiocinabantur autem, ſic materiæ curſum averti, ac id ipſum, quod gravat, evocari. Sed falſum hoc eſſe, ſcribit auctor memoratus: Proximum enim locum primo exhauriri: ex ulterioribus autem eatenus ſanguinem ſequi, quatenus emittitur: ubi is ſuppreſſus eſt, quia non trahitur, ne venit quidem. Utut hæc ſint, uſum tamen docuiſſe, concedit, ſi caput fractum eſt, ex brachio potius ſanguinem mittendum eſſe: ſi quod in humero vitium eſt, ex altero brachio. Averti quoque interdum ſanguinem, ubi alia parte prorumpens, alia emittitur. Deſinere enim fluere, qua volumus, inde objectis, quæ prohibeant, alio dato itinere. (52) Et Bellinus (53) auctor eſt, revulſionis ac derivationis nomina non eſſe tam vana, quam ali-

(51) Galenus in Hipp. de morb. vulg. Comm. II. §. 6. 28. de Method. Med. Libr. V. Cap. III. Libr. IV. Cap. VI. de curandi rat. per ſang. miſſ. Cap. XIV. De hirud. &c. Cap. II. De arte curand. ad Glaucon. Libr. II. §. 7. Oribaſ. Coll. Libr. VIII. Cap. XVIII. & XIX.

(52) De Re Medica Libr. II. Cap. X.

(53) De Sang. miſſion. Propoſ. VI.

aliqui opinantur. Patere enim, inquit, miſſione ſanguinis ex aliqua vena derivari ad partem quandam majorem ejus quantitatem intra datum aliquod temporis ſpatium, quam ſi mitteretur ex alia: atque inſuper, cum pars aliqua affecta ſit, tutiſſimum eſſe ſanguinem mittere ex illo trunco, cujus nulli rami ad partem affectam tendunt: deinde a venis oppoſiti lateris ab eodem trunco venientibus: poſtremo ab ipſa parte affecta. Rationem enim eſſe in promptu, quod ſi ſtatim ab ipſa affecta parte mittatur ſanguis, periculum eſſe, ne morbus per ſolum affluxum copioſioris materiæ ad partem affectam augeatur: quod non raro, quamquam malum ſit, uſu venire, adminiſtrata nimis mature derivatione. Quandoquidem vero per miſſionem ſanguinis ex altero trunco factam contingit, ut major ſanguinis copia ad ipſum perveniat, quam ad alterum, a cujus ramis pars inflammata irrigatur, fieri inde, ut in hanc minor ejus quantitas deducatur: & hunc ipſum eſſe effectum, qui revulſioni tribuitur: Quæ cum ita ſint apparere ex his & derivationis & revulſionis effectum dari. Scilicet revulſione fieri, ut in partem affectam minor humorum quantitas derivetur: derivatione autem nimis mature inſtituta, ut major eorum portio advehatur, a cujus onere vel gravitate vel compreſſu morbum augeri. Hoc autem haudquaquam eventurum, ſi eadem derivatio poſt unam atque alteram revulſionem fuerit inſtituta. Quantum vero attinet ad interceptionem,

qua humori, e longinquo in partem affectam vergenti, fluorem demimus; & vias, per quas tranſire oportet, arctamus: ita etiam quod ad repulſionem ſpectat, qua humoris propinqui adventum prohibemus, partem, in quam alias nimiopere influxurus eſt, conſtringendo, ſciendum eſt, pleroſque recentiores, ſtabilito ſanguinis circuitu, iſtiuſmodi operationes vilipendere. Si vero alicui alterutram in ægro inſtituere volupe eſt, cautiones, a Bohnio (54) traditas, animadvertat, velim. Nempe repulſionem præcedant evacuationes, humores quantitate non excedentes: metaſtaſis eorum non ſit critica; nec iidem adſint virulenti, ut in Lue venerea, peſtilentia &c. nec malum ſit oriundum a veneno extrinſecus illato, ut ab ictu morſuve animalium venenatorum: nec malum inhæreat vel propius ſit vaſis majoribus excretioni dicatis. e.g. bubones: nec intolerabiles ſævioreſque dolores præſto ſint, ad quos ſedandos anodyna potius apta eſſe: tandem nec adſtringentia ſola, quibus plerumque iſta negotia committuntur, ſed reſolventibus quodammodo temperata, parti affectæ admovenda.

Cucurbitularum utilitas & abuſus.

§. 11. In numero curationum communium, quæ plurimis morbis opitulantur, habentur etiam cucurbitulæ & hirudines. Celſus (55) cucurbitularum duo genera memorat,

(54) De Offic. Med. Part. 1. Cap. XVII.

(55) De Re Medica Libr. II. Cap. XI.

morat, æneum & corneum. Antyllus (56) dictis addit vitreum. Æneæ & vitreæ altera parte patent, altera clauſæ ſunt; corneæ vero parte ſuperiore foramen habent exiguum. Illæ ſuper flammulam retentæ corpori protinus aptantur, imprimunturque, donec inhæreant: hæ per ſe corpori imponuntur, deinde ubi ea parte, qua exiguum foramen eſt, ore ſpiritus adductus eſt, ſuperque cera vel digito cavum id clauſum eſt, æque inhæreſcunt. Si conciſa ante ſcalpello cutis eſt, ſanguinem extrahunt: ſi integra, ſpiritum. Hippocrates illius generis cucurbitulas jubet in angina ad primam cervicis vertebram admoveri: (57) hujus generis vero, & quidem magnam, in procidentia vulvæ, ad coxam; (58) in nimio fœminarum profluvio, ad mammas. (59) Galenus ſuadet cucurbitulas non eſſe admovendas in corporibus repletis, nec in principio affectuum quorumvis, dum aliquid in partem affectam influit, nec in cerebri ejuſdemque membranarum vel aliarum partium inflammatione; ſed in corporibus evacuatis, & quum

(56) Apud Oribaſium Coll. Med. Libr. VII. Cap. XVI. Vide etiam Albucaſis Chirurg. Part. II. Cap. XCVIII. ubi inſimul mentionem facit cucurbitulæ magnæ aqua calida impletæ, quam in pleuritide corpori aptari jubet.

(57) De morbis Libr. II. Cap. XI.

(58) De morb. mulier. Libr. II.

(59) Aphor. L. Sect. V. Galenus non vult eam ipſis mammis, ſed inferius ſub ipſis aptari. Hollerius in dictum aphoriſm. ſcribit oportere ante involutas lana ſordida manus mulieris, & partes cruris ſupra genua vinculo excipere & adſtringere, deinde ſine ſcarificatione apponere cucurbitulam in dextra parte, a qua deinceps ea transferenda ſit ad partem ſiniſtram.

quum non amplius aliquid ad partem inflammatam affluit: & tum non parti dolenti, ſed ipſi vicinæ revulſionis gratia, cucurbitulam eſſe imponendam. Utiles autem cucurbitulas eſſe ad materiam evacuandam, dolorem ſolvendum, inflammationem minuendam, inflationem diſcutiendam, appetentiam cibi promovendam, ſtomachum infirmum corroborandum, defectionem animi amovendam, ad ea, quæ in profundo ſunt, ad ſuperficiem traducenda, eruptionem ſanguinis cohibendam, purgationes fœminarum provocandas, rigorem ſedandum, ſomnum conciliandum, & aliquem a propenſione in ſomnum avocandum. (60) Et ut caſus quoſdam ſingulares pandam, veteres cucurbitulis uſi ſunt in apoplexia, (61) pleu-

(60) Galenus de Hirud. Revulſ. &c. Oribaſius Coll. Med. Libr. VII. Cap. XVII. Ægineta Libr. VI. Cap. XLI. Actuarius Method. Medend. Libr. III. Cap. IV. Avicenna Libr. I. Fen. IV. Doctr. V. Cap. XXI. incredibili modo cucurbitularum uſum exaggerat. Nimis copioſus in ſcribendo haberer, ſi virtutes, quas ipſis tribuit, ordine perſcribere vellem. Placet moderata Celſi ſcriptio, qui loco paulo ante citato tradit uſum cucurbitularum præcipuum eſſe, ubi non in toto corpore, ſed in parte aliqua vitium eſt, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem ſatis eſſe: in morbis longis, quamvis & iis jam ſpatium aliquod acceſſerit, ſive corrupta materia, ſive ſpiritu male habente: in acutis quibuſdam, ſi & levari corpus debeat, & ex vena ſanguinem mitti vires non patiantur: idque auxilium ut minus vehemens, ita magis tutum. Neque unquam periculoſum eſſe, etiamſi in medio febris impetu, etiamſi in cruditate adhibeatur.

(61) Ut Aretæus de curat. acut. morb. Libr. I. Cap. IV. qui ſuadet, ſi malum diutius trahatur, cucurbitulam occipitio apponendam cum ſcarificatione. Verum prius eſſe inter ſcapulas cucurbitulam inanem ponendam, ut in contrarium ejus, quæ in occipitio eſt, humorem avertat. Et Celſus Libr. III. Cap. XXVII. Non alienum in hoc morbo eſſe, ſcribit, pluribus locis aliquando ſine ferro cucurbitulas admovere.

pleuritide, (62) peripneumonia (63) in omni vetuſto capitis dolore (64) lippitudine diuturna, (65) locorum contuſione, (66) phrenitide, (67) Iliaca paſſione, (68) Epilepſia, (69) paſſione ſtomachica, quæ cardialgia alias vocatur. (70) Hæc de cucurbitularum uſu hactenus. Subjungam earundem

(62) Aretæus de cur. ac. morb. Libr. I. Cap. X. vult poſt ſeptimam diem cucurbitam magnam cum multa flamma ſuper locum dolentem ponendam, qua detracta locum eſſe ſcarificandum, & ſanguinem cucurbita detrahendum. Si æger forti animo morbum toleranter ferat, vulneribus linteolum oleo madidum, ſuper quod aut ſal aut nitrum inſperſum, adhibendum. Cujusmodi remedium quamvis mordax ſit, & dolorem inferat, ſalutare tamen eſſe.

(63) Idem Libr. II. Cap. I. Cucurbitulas inanes ſuadet tergo, præcordiiſque & pectori, ubi carnoſum eſt, admovendas.

(64) Celſus Libr. IV. Cap. II. oportere, tradit, cucurbitulas temporibus & occipitio admovere. Aretæus de Diuturn. curat. Libr. I. Cap. II. vertici unam jubet admovere, & liberius locum ſcarificare: alteram inter ſcapulas ſine ferro. Cæl. Aurel. chronic. Libr. I. Cap. I. dorſo, cervici, ac capiti, jubet, cucurbitas plurima cum flamma adhibendas.

(65) Galenus in aphor. LXVIII. Sect. V. jubet ſanguinem cucurbitulis ex partibus ſecundum occiput detrahere.

(66) Idem finition. medic. Cap. XVIII.

(67) Aurelianus acut. morb. Libr. I. Cap. XI. occipitio & medio capitis jubet quarta diatrito cucurbitulas admovere, & partes rubentes leniter ſcarificare, ſanguinemque poſtea detrahere &c. Celſus Libr. III. Cap. XVIII. Neque alienum eſt, ſcribit, ſi neque ſanguis ante miſſus eſt, neque mens conſtat, neque ſomnus accedit, occipitio inciſo cucurbitulam admovere: quam quia levat morbum, poſſe etiam ſomnum facere.

(68) Aurelianus acut. morb. Libr. III. Cap. XVII. vult apponendas cucurbitas, quæ oſculo latiore atque labiis flexis ſint.

(69) Idem morb. chron. Libr. I. Cap. IV. aliis atque aliis capitis partibus, tradit, cucurbitulas cum multa flamma aptandas.

(70) Ibidem Libr. III. Cap. II. ſi a ſtrictura paſſio ortum duxit, ſuadet, cucurbitam *conſtrictivam*, i. e. ſine ferro, ori ventris, alteram inter ſcapulas, & tertiam inferius a prima, adhibere. Si venter a ſpiritu dolet, Galenus arte curat ad Glauc. Libr. II. Cap. VI. teſtatur cucurbitulam magnam cum multa flamma ſine ferro umbilico aptatam crebro dolorem veſtigio temporis ſedare.

dem abuſum. Antyllus literis prodidit, ſi cucurbitula præcordiis intempeſtive admota, præſertim in continentibus febribus, aut ſemitertiana, & maxime ſi etiam mens ægri fuerit turbata, & ſenſus torpeant, eam ſtrangulatum & mortem eadem die inducere: Si capiti intempeſtive aptata, eam lethargum & corporis ac mentis ſtuporem, & oculos prociduos efficere. Quod ſi nihil horum contingat, ad minimum tamen ægrotum in diuturnum capitis affectum incidere (71). De cætero obſervandum eſt, quod ſi cucurbitulæ pro concidenda ſcalpello cuti deſiderentur, eas tum modica flamma parti admovendas. Si cutis ſubtilis & alba, tenui bilioſoque ſanguine referta ſit, eampſe tum haud profunde incidendam: e contrario ſi ea craſſa atque nigricans, & ejusdemmodi ſanguis indidem detrahendus ſit, ſcalpello non modo cutem, ſed & ipſam carnem quodammodo concidendam. Tandem caveat artifex, ne cucurbitulam diutius parti molli ſeu carnoſæ inhæreſcere ſinat. Uſu enim non raro venit, ut pars carnoſa, quæ multa in cucurbitulam intromiſſa, adeo coarctetur comprimaturve, ut ea, quia ſpiritus pertranſire neſciunt, deinceps emoriatur. (72)

Scarificatio quando uſum habet.

§. 12. Eſt hoc etiam in more poſitum inſtitutoque majorum, ut partes corporis, quæ

(71) Ætius Tetr. I. Serm. III. Cap. XX.

(72) Septalius Animad. & caut. medic. Libr. IV. §. 24. & deinceps. Eadem fere habet Conſtantinus Afer Libro de Chirurgia Cap. VIII. ubi præter dictos & alii affectus memorantur, in quibus cucurbitulæ ex uſu ſunt.

quæ aut inflammatæ, aut duro tumore laborant, aut diſtentæ, aut doloribus torquentur, aut fluxionibus infeſtantur; quum ſcilicet fluxio ad ſtatum pervenerit, aut acris materia adfuerit, ſcalpello ſine cucurbitularum admotione concidantur. Ex uſu igitur ſcarificatio eſt in lippitudine diuturna, capitisque affectibus, & pectoris & dorſi, in angina, ſuppreſſis hæmorrhoidis, & ubi humor quiſpiam ſpiſſus fuerit. (73) Antequam vero pars ſcarificetur, ea aqua tepida perfundi debet, aut ſpongia foveri, aut Soli ignive exponi, ut rubeſcat. Si crura, abdomen, thorax, dorſum & cervix ſcarificanda, in rectum inciſiones ſunt inſtituendæ; at in obliquum in fronte, & in capite, ſecundum capillorum poſitum. Porro inciſiones magnitudine, quoad fieri poſſit, ſint æquales, ejuſdemque inter ſe diſtantiæ, & ab inferiori loco primum, ne ſanguis erumpens locum obſcuret, ſcarificatio inſtituatur. Vulnerationes autem ſcalpello non ſunt punctim, ſed tractu faciendæ: hoc pacto enim non adeo, ut alias ſolent, indolebunt. (74) Galenus comperit in diſtentu cutis cum inflammatione, nec leves, quæ ſuperficiem modo attingebant, nec magnas, quæ in profundum ac longitudinem tendebant; ſed eas inciſiones, quæ mediocres, ex uſu fuiſſe. (75) Præterhæc opor-

(73) Galenus Libello de hirud. &c. Ætius Tetr. I. Serm. III. Cap. XXI.

(74) Oribaſius Medic. collect. Libr. VII. Cap. XVIII.

(75) Galenus de arte Curativ. ad Glauc. Libr. II. Cap. VII.

oportet cautionem adhibere, ne ſcalpello concidantur partes, per quas, inſignes in ſuperficie venæ, nervi, tendines, aut arteriæ feruntur. Ex hac imprudentia enim magnum æger damnum contrahet. (76) Hoc remedii genus in Ægypti inque Braſiliæ incolis magnum uſum habet. Ægyptii potiſſimum ſuras, verùm Braſilienſes & femora, & brachia, omneſque carnoſas corporis partes, ſcarificant, atque hac ratione aliquot libras ſanguinis detrahunt. Ne vero pars ſcarificanda nimium indoleat, ſolent ei ante inciſionem ſtuporem quendam inducere, partem crebrius fricando, vel verberando. (77)

Uſus hirudinum.

§. 13. Hirudinibus, quas alii ſanguiſugas appellant, Medici in iis, qui de inciſionibus pertimeſcunt, utuntur: vel in his partibus, quibus propter exiguitatem, aut inæqualitatem, aut ſuperficiem gibberam cucurbitulæ admoveri nequeunt. Scire autem convenit ſanguiſugas non ex interioribus partibus ſanguinem attrahere, ſed modo eum, qui carni ineſt, exugere. (78) Inprimis vero hirudinum uſus eſt, ubi opus eſt affectum locum tenuiter aperire, (79) ubi ſanguis putris corruptusve ſubeſſe putatur, (80) ubi ſanguis deorſum avertendus. (81) Et

(76) Actuarius method. medend. Libr. III. Cap. III.

(77) Proſper Alpinus de Medicina Ægypt. Libr. III. & Guilielmus Piſo Hiſtor. nat. & Med. utriuſque Indiæ Libr. II.

(78) Oribaſius Coll. Med. Libr. VII. Cap. XX.

(79) Galenus Finition. Medic. Cap. XVIII.

(80) Actuarius Meth. Med. Libr. III. Cap. III.

(81) Aretæus curat. acut. morb. Libr. II. Cap. XI.

Et quantum ad ſingulares affectus attinet, Veteres iis uſi ſunt in ſynanchicis, (82) in cephalæa, (83) in dolore capitis, in febribus, (84) in ſtomachica paſſione, (85) in hepaticis & lienoſis, (86) in iſchiadicis, (87) in arthriticis, (88) in veſicæ affectu a ſtrictura orto, (89) in impetigine, manantibus capitis ulceribus inque cacoëthe. (90) Admoventur autem ſanguiſugæ locis, quæ non pinguibus proxima ſunt: pinguia quippe non appetunt. Locus, cui aptandæ, prius nitro fricandus, aut unguibus ſcalpendus, aut ſanguine alicujus animalis, aut argilla humectata illiniendus. Decidunt ſatietate, & pondere ipſo ſanguinis detractæ, aut ſale vel cinere aſperſæ, vel oleo calido earum labiis infuſo. (91)

§. 14. Medicamenta etiam multa uſus docuit, quæ materiam evocare poſſunt, quæque apta ad corpus erodendum, & ſic ex eo, *Erodentium rubefacientiumque utilitas.*

(82) Cæl. Aurelianus acut. morb. Libr. III. Cap. III.

(83) Idem morb. chronic. Libr. I. Cap. I.

(84) Ægineta Libr. II. Cap. XLIV.

(85) Aurelianus chronicor. morb. Libr. III. Cap. II.

(86) Ibidem Cap. IV.

(87) Ibidem Libr. V. Cap. I.

(88) Ibidem Cap. II. & Plinius Hiſt. natur. Libr. XXXII. Cap. X.

(89) Ibidem Libro V. Cap. XV.

(90) Rhaſis ad Manſor. Libr. VII. Cap. XXIII.

(91) Oribaſius Synopſ. Libr. I. Cap. XV. & coll. medic. Libr. VII. Cap. XXI. XXII. Galenus de Hirud. &c. Ætius Tetr. I. Serm. III. Cap. XXII. Plinius l. cit. memoriæ prodidit hirudines aliquando affixa relinquere capita, quam cauſſam vulnera inſanabilia facere, & multos interimere, ſicut Meſſalinum e Conſularibus patriciis, cum ad genua admiſiſſet. Invehere virus remedio verſo: maximeque rufas ita formidari. Ergo fugientia ora forfice præcidenda: ac veluti ſiphonibus defluere ſanguinem: paulatimque morientium capita ſe contrahere, nec relinqui.

eo, quod mali eſt, extrahendum. Hanc facultatem habent ſemina erucæ, naſturtii, radiculæ; præcipue tamen omnium ſinapi. (92) Eandem efficientiam habent Radices Scyllæ, Thapſiæ, ranunculi, fimus caprillus, Iberis, quam alii cardaminem vocant. (93) Quandoquidem vero veteres in primis ſinapi cutem rubefaciendi aut exulcerandi cauſſa uſi ſunt, hinc remedii genus *Sinapiſmum* nominarunt. Conficiebatur autem, ubi validum expetebant, e partibus duabus ſinapi pulverati, & una pulpæ caricarum: ubi debilem, inverſas: ubi moderatum, ſingulorum pares partes capiebant; in maſſam levem ſ. q. humoris redacta, poſtea ſuper linteum vel pannum extenſa loco admovebant. Finem terminumque actionis Medicamenti ſtatuebant, ubi ægrotus magnum dolorem ſenſerit, & caro nigrior altiorque, quam quæ adjacet, fuerit reddita: &, poſtquam ablota fuerit, puſtulæ leniter erumpant. Commendant autem iſtud Medicamenti genus in morbis diuturnis, penis veſicæque reſolutione, lethargo & ſomniculoſis, in quibus crura *Sinapiſmo* obducenda: in cephalæa, aliisque capitis affectibus, & morbo comitiali, vertigine, inſania, in quibus iſte capiti adhibendus: in deſtillatione diuturna, capiti & thoraci: in anhelatione, orthopnœa & tuſſi veteri, thoraci: in arthritide, podagra coxendiciſque dolo-

(92) Celſus Libr. II. Cap. XXXIII.

(93) Ætius Tetr. I. Serm. III. Cap. CLXXXII. & deinceps.

dolore, loco dolenti; in hydrope, parti tumenti *Sinapiſmus* eſt admovendus. Improbant autem ejus uſum in morbis acutis, febribus continuis, tabe, ſingulisque interiorum partium ſuppurationibus, inque partibus cartilagineis, ut in auribus ac ſummis naribus. Scyllæ efficaciam ſingulariter laudant in orthopnœa, & reſolutione, ubi non ſolum motus, ſed & ſenſus eſt læſus. Fimum caprarum, vel loco ejus Iberidem, quæ & Lepidum dicitur, maxime pollere ajunt adverſus iſchiadem. (94)

§. 15. Licet veteres non ignorarint cantharides exulcerandi urendique facultatem habere, (95) & eas cum vitriolo, ſucco thapſiæ, allio & cera in formam ceroti redactas ad lippitudinem atque coxendicis dolorem prodeſſe; (96) tamen earum uſus apud ipſos non tantopere increbuit, quantopere apud recentiores, qui ubique fere, ubi veteres Sinapiſmo, cantharidibus utuntur. Et quia his, re quadam exceptis, potentia eſt, ſi corpori extrinſecus per quicquam temporis apponantur, papulas vel veſiculas excitandi, ideo hujusmodi remedium hoc tem-

Veſicatorium quibus affectionibus opituletur.

(94) Hæc e variis excerpſi, ut ex Oribaſii Medic. Coll. Libro X. Cap. XIII. & ejusdem Synopſ. Libr. I. Cap. XXXI. Æginetæ Libr. VII. Cap. XIX. Ætii Tetr. I. Serm. III. Cap. CLXXXI. & deinceps. Celſi Libr. II. Cap. XXXIII. & Libr. IV. Cap. II. & Cælii Aureliani chronic. Libr. I. Cap. I. IV. in quo capite, quamquam ab aliis in acceſſione Epilepſiæ Sinapiſmus commendetur; eundem rejicit. Libr. III. Cap. VIII. Libr. V. Cap. I.

(95) Ut atteſtantur Galenus de ſimpl. medic. facult. Libr. III. Cap. XVIII. de ſimpl. medicam. Cap. LXIV. & Ægineta Libro VII. Lit. k.

(96) Ætius Tetrab. IV. Serm. II. Cap. III.

tempore *veſicatorium* audit. Hoc multum poſſe, perhibent ad lethargum ſcapulis, humeris, & deraſo capitis vertici: ad epilepſiam univerſo capiti: ad paralyſin, poſtquam corpus evacuatum, ſcapulis aut brachiis: ad lethargum vel ſomniculoſum affectum malignæ febri accidentem, humeris vel ſcapulis, ſuperpoſitum. In hydrope, quantumvis aliquando contingat, ut ex uſu ſit; reprobant tamen id cruribus admotum, quippe ſæpe ſæpius obſervatum eſt, gangrænam curatu impoſſibilem fuiſſe ſubſecutam. (97) Utile præterea *veſicatorium* eſt, auctore Bohnio, (98) ad omnis generis febres, ad partium quarumvis dolores a ſero ſubſiſtente ortos, ad tumores ſeroſos, ad Cephalalgiam, vertiginem, affectus ſomniculoſos & ſpaſticos: ad deſtillationes ex capite in oculos, fauces & pulmonem: ad maximos, & nervoſarum partium dolores, & articulorum: ad vertiginem. Baglivius *veſicatorii* virtutes miris laudibus prædicat, & jubet iſtud, quacunque die pleuritico ſpirandi, ſputumque excreandi difficultas fuerit ſuborta, utriſque tibiis admoveri. Id ipſum etiam opitulari, ſcribit, contra lippitudinem, oculorumque ſuffuſionem, ac tuſſim vehementem cum craſſo copioſoque ſputo: &, ut in ſumma dicam, contra ſanguinem craſſum, lentum, ad coagulandum & ſubſiſtendum proclivem. Vituperat autem hoc remedium, uſur-

(97) Septalius caut. & animadv. medic. Libr. VII. v. VIII.

(98) De officio Medici Cap. XV. Part. I.

uſurpatum in graviori capitis vulnere, cui accedunt vomitio, ſenſus privatio, aliæque graves læſi cerebri accidentiæ: in lue venerea, ubi tamen id, ſi ſanguis admodum craſſus adeſt, & affectus quiſpiam ſomniculoſus imminet, caute adhibendum. Repudiat præterea ejus uſum in febribus ardentibus & continuis; in conſtitutione anni, regionis, hominisve, calida & ſicca: in affectibus nervoſis cum febre ad ardentis naturam ſe vergente: in qualicunque ſopore, febri ardenti ſuperveniente: in morbis pectoris ſpaſticis cum inflammatione: in delirantibus. Circumſpectione eſſe opus, inquit, ſi in macris, ſi in ſalacibus hominibus tale remedium ſit uſurpandum. Se enim de hoc comperiſſe, in illis nervorum diſtentiones obortas, febrem exacerbatam &c. his vero nonnunquam ſatyriaſin, fœdiſſimum morbi monſtrum, quem mors inſequebatur, acci-diſſe. (99)

§. 16. Uſitata in variis corporis affectibus erat olim uſtio. Ex Medicis, qui ea ad morbos ſanandos uſus eſt, videtur primus fuiſſe Euriphon Cnidius, (100) quem Aurelianus (101) inter antiquiſſimos Medicinæ au- Uſtionis inventor.

(99) Diſſertatione de uſu & abuſu veſic. Cap. II. §. 3. 4. Cap. III. §. 1. 2. 5.

(100) Ut conſtat ex Galeni Libro VII. in aphor. 44. Hippocrat. Ubi Platonem Comicum citat, hiſce verbis. Poſt hæc Cineſias Evagoræ filium e morbo laterali aridus, puris expers, arundinacea gerens crura, tabis nuncius, plurimis cruſtis corpori inuſtus ab Euriphonte in concionem prodiit.

(101) Libr. III. Cap. VIII. de morb. chron. Hunc paſſim citat ut de acut. morb. Libr. II. Cap. XVI. Libr. III. Cap. XVII. & de chron. morb. Libr. II. Cap. X.

auctores refert. Hunc perhibent ſententiarum Cnidiarum, quas Hippocrates (102) profert, auctorem. (103) Is, ſi non ante Hippocratem ætatem egerit, ſaltem videtur illorum temporum fuiſſe æqualis, Hippocrate tamen antiquior. (104) Admiror de iſta uſtione, eam non modo ab Hippocrate, & ejus ſectatoribus, verum a compluribus Aſiæ & Africæ incolis, ſæpiſſime inſtitutam, imo etiam nunc inſtitui, (105) eandem a pleriſque Europæ habitatoribus hoc tempore propemodum negligi.

Quo pacto, & quo tempore uſtio inſtituenda:

§. 17. Quandoquidem vero veteres miris uſtionem laudibus celebrarunt, ea propter pauca de ejus in complurium morborum uſu in medium proferam. Et quantum ad res, quibus uſtionem peragebant, attinet, utebantur vel peculiaribus inſtrumentis e ferro fabrefactis, & candefactis, vel rebus variis, oleo vel butyro fervido intinctis, vel Medicina quadam adurendi potentia dotata. Illius generis varia habebant diverſæ formæ inſtrumenta, quorum unumquodque proprio vocabulo nominabant; (106) ſub iſto ge-

(102) De Rat. Vict. in morb. acut. quem Librum Cæl. Aurelianus paſſim allegat, titulo Libri Hippocratis ad ſententias Cnidias conſcripti.

(103) Ita videtur Clerico Hiſtoir. de la Medec. prem. part. Liv. II. Chap. VIII.

(104) Soranus enim in vita Hippocratis narrat Hippocratem cum Euryphonte, qui eum ætate excedebat, publice ad Perdiccam Macedonum regem, qui tabe laborare credebatur, vocatum fuiſſe.

(105) Ut tradit le Chevalier Temple, dans l'Eſſai du Moxa.

(106) Sic ab Ægineta Libr. VI. Cap. 47. & 6. memorantur cauteres olivæ nucleos referentes, & candefacti. Et ab Albucaſi Chirurg. Part. I. ingens ferramentorum uſtioni inſervientium apparatus, eorundemque effigies traduntur. Habentur etiam, quæ apud veteres in uſu erant, de-

genere complexæ ſunt variæ res, ut fuſi buxei, & fungi; (107) goſſypium vel lana (108) linum crudum (109) radix ariſtolochiæ longæ ſiccæ. (110) Hujus autem generis eſt cauterium, quod fit e calcis vivæ p. ij. ſaponis vulgaris p. ij. & Lixivio (111). Haud perinde erat quavis re uſtionem perficere; ſed Hippocrates vult ferramentis, carnoſas: at fungis, oſſeas corporis partes, inurendas. (112) Nec erat conſultum quavis anni die eam inſtituiſſe, ſed Hippocrates (113) ſuadet Medicis, ut ante diem decimum, qui vel æquinoctia, vel ſolſtitia præcedit, neu purgans medicamentum exhi-

depicta apud Guidonem de Cauliaco Chirurg. Magn. Doctr. I. Tract. VII. Cap. III. & Lanfrancum, Doctr. III. Tr. III. Cap. XVIII. & quæ apud recentiores, conſpiciuntur delineata, *dans la Chirurgie du Mr. Dionis dixiéme demonſtration.*

(107) Quorum mentionem facit Hippocrates Libro de internis affectionibus, quem librum perhibent olim inſcriptum de uſtionibus. Græci hujusmodi fungos appellabant *iſcas.* Sunt autem hæc, ut tradit Ægineta Libro VI. Cap. XLIX. ſpongioſa quædam corpuſcula in quercubus & nucum regiarum arboribus naſcentia.

(108) Cujus meminit Albucaſis Libr. I. Cap. XXII.

(109) De hoc fit mentio apud Hippocratem Libro de affectionibus. Fortaſſis hoc accenſum loco affecto ſuperimponebatur.

(110) Cujus una digiti craſſitie capiebatur, quæ poſteaquam prius oleo immerſa, deinde accendebatur, ut ſcribit Albucaſis Cap. XXXI.

(111) Ægineta Libr. VI. Cap. IX. alii addebant aphronitri p. IV. Hoc tempore in uſu ſunt lapis corroſivus, infernalis, butyrum antimonii & ſimilia cutim vel carnem adurentia vel exedentia medicamenta.

(112) Libro de intern. affectionib.

(113) Libro de aere, aq. & loc. Verum Albucaſis Cap. I. ſtatuit cauterium quovis tempore ex uſu eſſe: *Propterea, quod nocumentum occidens propter tempus ſubmergitur in juvamento, quod attrahitur cum cauterio. Et præcipue ſi cauterium eſt propter dolores ex doloribus neceſſariis, fortibus, feſtinis, qui non tolerant tarditatem: propterea quod timetur ex eis, quod accidat malitia, quæ eſt major, quam parvum nocumentum intrans propter tempus.*

hibeant, neu partes circa ventrem urant vel ſecent. Quippe periculi plena eſſe ambo ſolſtitia, præcipue æſtivum: his periculoſiora eſſe utraque æquinoctia, maxime vero autumnale.

Et in quibus corporis affectibus.

§. 18. Proferam nunc exempla, quibus plana fit ratio vel modus urendi, & inſuper pandam morbos, in quibus veteres uſtionem inſtituere ſolebant. In diuturno capitis dolore, ſi a ſanguinis miſſione ægrotantis dolor non levetur, jubet Hippocrates (114) venas inurendas. Ad vitiatam oculorum aciem, dorſi venas craſſioribus ferramentis urendas; animadvertendum tamen, ut ne ſanguis inter urendum erumpat. Retro autem ad os uſque urendum. Deinde ſpongia oleo fervente imbuta intrinſecus urendum; hac cautione tamen, ne ad ipſum os pertingat. (115) Ad dentium dolores multum poſſe lanam vel goſſypium butyro fervido intinctum, & illico denti dolenti applicatum, auctor eſt Albucaſis. (116) Si brachii caput frequenter excidat, oportere interiorem axillæ cutem, qua parte maxime articulus excidit, digitis aut volſella diſtendere, & oblongis cauteriis perurere; ita ut ex cau-

(114) Libro de locis in hom. & Libro de affectionib. ubi diuturnus capitis morbus purgatione haud tollatur, in eo convenire, aſſerit, caput pertundere, aut venas circum adurere. Et Aretæus de cur. diut. morb. Libr. I. Cap. II. vult caput deraſis capillis ferramentis candentibus urendum: cautionem eſſe adhibendam, ne muſculi exurantur: hos enim exuſtos ex facili nervorum diſtentionem efficere.

(115) Idem Libro de videndi acie.

(116) Chirurg. Libr. I. Cap. XXII.

cauterio, quod in adverſam partem pertrudi poteſt, per unam aggreſſionem duæ cruſtæ fiant. (117) Ubi aliquis propter medullam ſpinalem reſiccatam admodum craſſus evaſerit, ad ejus lumbos ex utraque vertebrarum parte quatuor, & ad dorſum utrimque quindecim, & in cervice inter magnos nervos, duas cruſtas eſſe inurendas. (118) Pollere etiam uſtionem adverſus orthopnœam inveteratam. Scilicet juxta medium commiſſuræ clavicularum utrinque unam, cavendum tamen ne aſpera arteria lædatur: duas parvas juxta colli carotidas paululum ſub mento utrobique unam: duas ſub mammillis inter tertiam & quartam coſtam: duas retrorſum inter quintam & ſextam coſtam: unam in medio pectore; unam ſuper os xiphoideum: duas inter octavam & nonam coſtam, utrinque unam: unam juxta dorſi medium: duas ab utraque vertebrarum parte, paululum infra mediam coſtam. (119) Ubi in arthridide malum in pedibus eſt, locos circa utrumque talum forinſecus & extrinſecus pariter inurendos, paulo altius ſupra talorum locum. Inurendum quoque locum, qui inter magnum & medium pedis digitum eſt. (120) Si in coxendicis morbo dolor alicui loco firmiter inhæreat, & medicamentis indidem expelli nequeat, locum

(117) Hæc Ægineta Libr. VI. Cap. XLII. ex Hippocratis Libro de articulis.

(118) Hippocrates de internis affect.

(119) Ætius Tetr. II. Serm. IV. Cap. LVII.

(120) Idem Tetr. III. Serm. IV. Cap. XXV.

cum lino crudo eſſe inurendum. (121) Si cuipiam ex vehemente labore fuerint pectus & dorſum dirupta, hunc confeſtim in dorſo & pectore inurendum, & ſic eum citiſſime revaleſcere. Easdem partes uſtas liberare a pulmonis morbo, ab acido & flatibus ortum ducente. (122) In diuturnis ſtomachi fluxionibus olivaribus cauteriis tres cruſtas eſſe faciendas, unam in cartilaginem xyphoideam, reliquas duas juxta figuram triangularem; adeo profundæ autem ſint, ut totam cutem perurant. (123) In quodam ſplenis morbo, lienem, cum maxime tumidus & ſublatus fuerit, per fungos decem cruſtis inurendum. (124) In magno venarum cavarum morbo; jubet Hippocrates, (125) ægrotum lacte craſſiorem reddere, & deinde ſcapulam ejus dextram inferiorem quatuor, coxendicis dextræ acetabulum tribus, inferiores nates duabus, medium femur duabus, genu ſuperius una & malleoli partem ſuperiorem una cruſta, inurere. Cæterum quod ad ſuppurationes

(121) Hippocrates Libro de affectionibus & Libro de intern. affect. ſcribit, ſi pituita talem morbum effecerit, tum multas & altas cruſtas eſſe inurendas. Et aphor. LX. Sect. VI. *Quibus diuturno coxendicis dolore conflictatis, femoris caput ſuo loco excidit, iis crus tabeſcit & claudicant, niſi urantur.*

(122) Idem Libr. de intern. affect.

(123) Ægineta Libr. VI. Cap. XLIX. alios autem, ſcribere pergit, unam ſolum cruſtam, eamque majorem juxta ventriculi oſtium, vel ferro, vel fungo inurere.

(124) Hippocrates de intern. affectionib. Ægineta autem Libr. cit. Cap. XLVIII. hæc habet. *Cute ſpleni incumbente per hamulos diſtenta, longo candenti cauterio per totam ipſam penitus perurimus, ita ut una aggreſſione duæ cruſtæ fiant*, atque hoc ter repetimus, ut fiant cruſtæ ſenæ.

(125) Libr. de intern. affect.

nes pertinet, Galenus ratum habet (126) eos uſtione indigere, qui plurimum puris habeant, adeo ut de ejus per ſputum rejectione deſperemus: Paracentheſin autem potius, quam uſtionem conſueviſſe Medicos inſtituere in iis, qui aquam inter cutem habent: Hippocrates tamen uſtionem adhibuit in hydrope vitio hepatis exorto; jubet autem hepar octo cruſtis per fungos inurere: nec non eam inſtituendam ſi aqua intercus a ſplene. Aſt vult per morbi initia lienem magnum, ac maxime tumidum, capitibus prehenſis, fungis vel ferramentis inurere; hac cautione tamen ne ulterius peruratur. Porro quod ad ſuppurationes attinet, in morbo pulmonis jubet, poſtquam æger uſu lactis bubuli craſſior evaſerit, uſtionem inſtituere in pectore & dorſo. In lateris ſuppuratione, ubicunque tumor ſe manifeſtet, ſecandum aut inurendum, deinde pus paulatim ſeu per vices exhauriendum. Nam qui propter ſuppurationem vel aquam inter cutem vel uruntur vel ſecantur, hos, ubi pus aut aqua confertim effluxerit, omnino morituros. (127) In morbo hepatico, ubi jecur plurimum intumuerit, & maxime eminuerit, fuſis buxeis oleo ferventi intinctis, uſtionem faciendam: aut ei ipſi per fungos octo cruſtas inurendas. (128)

§. 19. Col-

(126) In Aphor. 27. Sect. VI.

(127) Hippocrates aphor. 27. Sect. VI.

(128) Libro de intern. affect. Ægineta Libr. VI. Cap. XLVII. in vomica hepatis, ubi pus in tunica fuerit, jubet cauteria tenuia olivaria exacté

Fonticulus quid, & ejus utilitas.

§. 19. Collocatur etiam in uſtionum numero fonticulus, qui vulgo *fontanella* dicitur. Hujuſmodi nominatione autem cooptatur ulcuſculum in quadam corporis parte vel cauterio vel medicamento exurendi vi dotato vel loci inciſione, excitatum. In quæſtione eſt num hoc remedii genus veteribus fuerit notum. Sunt, qui ajunt; ſunt, qui negant. Equidem *Rejes* (129) putat dubitantem ſcriptis Hippocratis convincere; verum locus, quem allegat, non ita ab aliis, quam ab ipſo, legitur. Concedimus quidem uſtionem a majoribus fuiſſe inſtitutam, ut materiam purulentam, vel aquam inter cutem evacuarent, vel membrum aliquod, juſto humidius ac laxius redditum, exſiccarent, atque adeo firmitatem eidem conciliarent: damus præterea in more fuiſſe poſitum, ut uſtione peracta locum peruſtum ſervarent multo tempore apertum, ut ſanies effluere poſſit: (130) ver-

ſte candefacta, paulululum ſupra inguen ad finem hepatis immitti, & unam cruſtam fieri: peruſta tota cute, ubi ad tunicam uſque perventum fuerit, pus eſſe excernendum.

(129) Elyſio Jucund. Quæſt. campo Quæſt. 56. §. 15. ubi hujus controverſiæ meminit, ac citat mentem ſuam corroborandi cauſſa locum ex Hippocratis Libro de locis in homine, qui locus tamen non ibi, ſed Libro de aëre, aquis & locis extat. Is ita profertur. *Scythæ omnium hominum ſunt ad coitum minus valentes, quod humoris detractiones ex peruſtione cauteriorum ſemper habeant.* Hauſit fortaſſe talem e Cardani Libro VII. Lect. 95. in Hippocr. de aëre aq. & loc. qui ſimiliter, ac ille, legit. Verum enim vero & Foeſius & Cornarius, quin & Lindenus, qui Cornarii interpretationem edidit, (alias Hippocratis editiones non inſpexi) ita e Græco in Latinum ſermonem converterunt, *Scythæ omnium hominum minime ad coitum ſunt valentes, quod ἀναξυρίδας (braccarum ſeu fæminalium id genus eſt) ſemper geſtant, & plurimum temporis in equis deſides degunt.*

(130) Velut in ſplenecticorum uſtione ſuadet Ætius Tetr. III. Serm. II. Cap. XII.

veruntamen non conveniunt hæc de proprietate cum fonticulo recentiorum. Quippe is hunc uſum habet, ut materia, partem quandam nobilem infeſtans, ad ignobilem deducatur: quem finem ut indipiſcamur, membro ſano infirmitatem inducimus: redditur namque id ipſum dicto remedio imbecillius atque humidius, ſi ad id ſuperfluitas humorum totius corporis deferatur. (131) Inter eos, quos in memoria habeo, primus eſt *Arnoldus de Villa Nova*, qui hujus remedii, nomine cauterii evacuantis, mentionem fecit. (132) Non memorabo quomodo cutis ferramento candente, aut medicamento exedente, aut inciſione, exulceranda (id enim ad Chirurgiam ſpectat) ſed affectus, ad quos tale multum feciſſe experimentum approbavit. Ad Cephalalgiam, vertiginem, arthritidem, prodeſt tale ulcuſculum in occipitio excitatum: (133) ad epilepſiam in interno femore: (134) ad febrem cum tuſſi anhelatione & ſputo copioſo ulcuſcula duo ſuadet Silvaticus (135) efficienda, alterum in ſiniſtro bra-

(131) Fallopius Tract. de cauter. Cap. XII.

(132) Parabol. Medic. Doctrin. V. Cap. IV. aphoriſm. 5. & deinceps, ubi hæc proponuntur. *Manatio, quæ diverti nequit ad exitum naturalem vicinis cauteriis abducitur competenter. Evacuativa cauteria ſemper in fontanellis, ubi lacertus a lacerto manifeſte disjungitur, fieri conſideratio recte jubet.* Memoriæ mandandum eſt per vocabulum *fontanellæ* iſtius ævi ſcriptores non fonticulum, ut nunc temporis, ſed intervallum, qualecunque inter duos muſculos eſt, ſignificare voluiſſe. Vide Lanfranci Mediol. Chirurg. Tract. III. Doctrin. III. Cap. XVIII. & Rogerii Chirurg. Libr. III. Cap. LII. & Guidonis de Caulico Chirurg. Tract. VII. Doctr. I. Cap. III.

(133) Ballonius annot. 5. in Conſil. 3. Libr. II.

(134) Silvatici Conſ. & reſponſ. Cent. I. §. 45. 49.

(135) Ibidem Conſil. 3.

brachio, alterum in dextro femore; hoc avertendi, illud materiam a capite derivandi cauſſa: ad catarrhum ſalſum & affectum melancholicum in coxa dextra: (136) ad affectus mixtos in ſutura coronali, vel interno femore dextro. (137) De cætero multum valent fonticuli in apoplexia, lippitudine, ſuffuſione oculorum, aſthmate, ſtrangulatione. Animadvertendum tamen eſt, ut, antequam hoc remedium inſtituatur, corporis humores vitiati prius ſanguinis miſſione & purgantium uſu ſeducantur, acresque humores, ſe qui adfuerint, uſu rerum particulas acres ſeu involventium ſeu invertentium mitigentur. Neque negligenda eſt cautio, quam adhiberi conſulunt medici. Scilicet in gracili corporis habitu, ob alimenti defectum orto: inque iis, in quibus aut immodica, aut pauca admodum, & ea quidem doloroſa, contingit humoris ſecernendi exinanitio, iſtud remedii genus non eſſe inſtituendum. (138)

De *Setaceo* varia.

§. 20. Species fonticuli eſt, quod Medici, qui XII. ſeculo & deinceps inclaruerunt, appellarunt *Setaceum* vel *Setonem*. Etymologiam fortaſſis debet filo ex ſeta equina facto, quod parti perforatæ, ut aperta ſervaretur, immittebant. Peculiaris ad hanc operationem

(136) Ibidem Conſ. 100.

(137) Idem Centur. IV. Conſil. 77. Aſt Conſilio octuageſimo ſecundo, ubi Curationem hebetudinis oculorum, tinnitus aurium, tumoris brachii &c. deſcribit, commendat duos fonticulos, alterum ſiniſtro brachio, alterum ſiniſtro femori, inurendum. Conſ. 83. ubi de aurium tinnitu deque læſa viſione conſulenti ſuadet fonticulum ſiniſtro brachio derivandi, & dextro femori humorem revellendi ergo, inurere.

(138) Bohnius de Offic. Medic. Part. I. Cap. XV.

nem inſtituendam excogitata eſt forceps, quæ ea parte, qua pars pertundenda comprehenditur, foramen habet; per id veteres ſtilum acuminatum candentem mittebant: Fabritius autem, & qui ejus in veſtigiis inſtiterunt, cultellum acuminatum frigidum: & poſtea huic plagæ interveniente acu immittebant filum longum vel e ſeta equina, vel e ſerica, vel e lino factum. *Dionis* modo acum, per cujus foramen aliquot fila lini miſſa capit, qua deinde ſine forcipis adminiculo cutem perforat. Veteres non modo in cervice, ut nunc mos eſt; ſed etiam, quod pro reſpiratione difficili eſſe putabant, in fine ſuperioris furculæ, quam alii jugulum nominant, hujuſmodi operationem inſtituebant: quin etiam in ſiniſtro hypochondrio, ad affectus ſplenicos: trium digitorum ſpatio ſub umbilico, ad umbilici: ſub lumbis in interſtitio muſculorum, ad lumborum: in ſpina, ad ſpinæ: ſub ſcroto, ad teſticulorum: ſupra anum, ad hæmorrhoidum dolores. (139)

§. 21. In curatione morborum magni quoque momenti eſt conſuetudo: huic nunquam non aliquid concedendum: (140) hæc in cauſſa eſt, ut plures homines, tametſi duram victus rationem obſervarint, incolumes vitam trahant. (141) Equidem periclitatur & Conſuetudinis potentia.

(139) Hæc e Lanfranci Mediol. Chirurg. Doctr. III. Tr. III. Cap. XVIII. Rogerii Chirurg. Cap. LII. Guidon. Cauliac. Chirurg. Tract. VII. Doctr. I. Cap. III. Guilielmi Fabritii Obſ. Chirurg. XL. Dionis *des operations de Chirurgie demonſtr.* I. & X.

(140) Hippocr. aphor. Sect. I. §. 17.

(141) Idem de Priſca. Medic.

& qui ſemel & qui bis die cibum incontinenter contra conſuetudinem aſſumit: (142) qui vero talem conſuevit & ſolitos labores ferre, etiamſi fuerit debilis aut ſenex, is eos præ inſueto robuſto & juvene facilius exantlabit. Conſueta enim a longo tempore, quamquam deteriora fuerint, minus eos turbare ſolent, quam qui illis non aſſueverunt. (143) Proinde, cum conſuetudo plurimum poteſt, & propemodum Naturæ leges abrogat, concedenda hæc aſſuetis ſunt: licet interea nec conſultum nec tutum, ut omnes ſe inconſiderate conſuetudini committant. (144) Quid? quod res ardua eſt, homines a rebus jampridem aſſuetis detrahere vel removere. Igitur Medici eſt conſuetudinem ægri cognoſcere, quam tenuit, dum integer erat; hanc diutius ſervandam promittere ægro debet, ubi convaluerit: præterquam ſi peſſima fuerit. Quod ſi ſic, oportet pedetentim eam deſerere, ac meliori vitæ inſtitutioni ſeſe dedere. (145) Nam nos oportet conſuetudinem rerum utilium facere, noxiarum vero fugere (146). Cæterum ſi aliquis præter conſuetudinem aliquid agat: v. g. propenſius aliquid curet, & magno ſtudio, in prius non conſueto enitatur, aut contra, ſignum id pravum eſt, & delirio proximum (147).

§. 22.

(142) Celſus de Re Med. Libr. I. Cap. III.

(143) Hipp. aphor. Sect. II. §. 49. 50.

(144) Actuar. de Meth. Med. Libr. III. Cap. X.

(145) Rhaſis aphor. Libr. VI. §. 45. 43. & ad Manſor. Libr. IV. Cap. X.

(146) Cæl. Aur. acut. morb. Libr. I. Cap. XVI.

(147) Hippocr. Coac. Præn. §. 47.

§. 22. Nec minoris momenti eſt mutatio. Hæc enim, ſi maxima fuerit, potiſſimum morbos parit, ut id experimur in temporum anni, & locorum ſubita mutatione, & in iis, quæ ad victus rationem ſpectant: (148) inque aëris repentina turbatione. (149) Ideoque mutationes maxime cavere oportet, inque iis obſervanda eſt cibi parcitas, & quod laſſitudinem adimit, & quod bibenti ſitim arcet: nec non conſiderandæ mutationes ex quibus, & ad quas fiunt. (150) In primis vero aër conſiderandus, cujus repentina turbatio eſt vitanda. (151) Præterea ex nimio labore ſubitum otium, aut ex nimio otio ſubitus labor non ſine gravi noxa eſt. Ergo quum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit aſſueſcere. (152) De cætero mutationes etiam inter omnia hominis mentem excitant, neque ſinunt quieſcere. Has in cauſſa eſſe, exiſtimat Hippocrates, (153) quare Europæi præ Aſiaticis bellicoſiores, promtioreſque ad labores quoſque exantlandos. Mutationes quoque juvant in morbis vagis & facile mutabilibus. Oportet autem ut eæ ad loca convenientia fiant, prius quam vitium aliquod contrahatur. (154) Quin etiam mutationes, maxime ætatis, regionis & vitæ pueris, Epilepſiæ obnoxiis, auxilio ſunt. (155)

Mutationis abuſus & utilitas.

§. 23.

(148) Hippocr. Libr. de humorib.
(149) Idem Libr. Prænot.
(150) Idem Libr. VI. Sect. III. de morb. vulg.
(151) Idem Libr. Prænot.
(152) Celſus Libr. I. Cap. III.
(153) Libr. de aëre, aq. & loc.
(154) Idem de morb. vulg. Libr. VI. Sect. VI.
(155) Idem aphor. Sect. II. §. 45.

Commendatio diætæ.

§. 23. Neque vero ſatis eſt conſuetudinem in morborum curatione obſervaſſe; verum etiam ea quoque in valetudinis ſecundæ tuitione, conſideranda eſt, prout ſe habeat in victu, tegumentis, laboribus, ſomno, re venerea & animi affectibus. In primis autem victus ratio, quoad poteſt, dignoſcenda. Hanc enim non penitus perſpectam habere, rem eſſe, ſcribit Hippocrates (156) calamitatis plenam. Valetudini igitur ſtudens veſcatur cibis non ad ſatietatem, impiger vero ſit ad laborem: (157) vel, ut idem Cous alio loco (158) literis mandavit, modum adhibeat in labore, cibo, potu, ſomno ac re venerea. Nam ſomnus, vigilia, ſatietas, fames, aut aliud quicquam, quod naturæ modum excedit, bonum non eſt: (159) præſertim vero cibus præter naturam copioſior ægritudinem corpori importare ſolet. (160)

Victus ratio ut per anni tempora inſtituenda &c.

§. 24. Verum, ut ſingularia quædam ad diætam ſpectantia narratione delibem, ſciendum eſt, conveniens eſſe, hyeme plus eſſe, minus vero, ſed meracius, bibere. Utatur pane, obſoniis, aſſis: oleribus autem modice. At Vere, paulum cibo demendum, adjiciendumque potioni, ſed dilutius tamen bibendum eſt; tranſeundum paulatim ab aſſis & obſoniis ad elixa. Venus hoc anni tempore tutiſſima eſt. Æſtate vero elixis potius quam

(156) De morb. vulg. Libr. VI. Sect. VIII. §. 43. 48.
(157) Ibidem Sect. IV. §. 20.
(158) Ibid. Sect. VI. §. 5.
(159) Idem Aphor. Sect. II. §. 3. 4.
(160) Ibid. §. 17.

quam aſſis utendum, ut & potione quam dilutiſſima, ut & ſitim tollat, nec corpus incendat; quod hoc tempore ita oportet molle ac frigidum reddere. Per autumnum cibo licet paulo pleniore & ſicciore uti: minus, ſed meracius, bibere (161). Quantum vero attinet ad ſingulares corporum conſtitutiones, convenit, eos qui corporis habitum nacti carnoſum, mollemque ac humidum, ut & ſenes, per potiorem anni partem ſicciori victus ratione uti, atque ipſis famem injungere: ſiquidem hæc corpora exiccat. (162) Ex adverſo graciles, fulvi, nigri, nec non juniores, & febricitantes humidiore victus ratione uti debent. Et ut breviter & ſummatim deſcribam pro ætate, anni tempore, conſuetudine, regione, loco, corporis habitu victus ratio ſic eſt inſtituenda, ut inſtanti & calori & frigori nos opponamus, ne corpus aliquid detrimenti capiat (163).

§. 25. Enuntiatum Hippocratis eſt (164) in morbo contrariam victus rationem eſſe adhibendam: & in ea dextre inſtituenda operæ pretium eſſe advertere febrium tum acceſſiones tum intermiſſiones: item naturam morborum non modo acutorum, ſed & longorum. In quibus obſervandum cibos mi-

Eadem ut in morbis inſtituenda.

(161) Idem de ſalubri victus Rat. & Celſus, qui aliqua, Hippocratis placitis contraria, habet, Libr. II. Cap. III. ut utroſque auctores inter ſe conferenti nullo negotio innoteſcet.

(162) Idem aphoriſm. Sect. VII. §. 59.

(163) Idem de ſalubr. victus Rat. & Libr. I. de vict. Rat. & Aphor. Sect. I. §. 16. 17.

(164) Libr. VI. Sect. VIII. §. 46. de morb. vulg.

minime ægro eſſe miniſtrandos, ubi acceſſio vel morbi vigor adfuerit. (165) Ratio namque eſt in promptu: *impura corpora, quo magis nutriveris, eo magis lædes.* (166) Tenuiſſimo autem victu utendum, ubi peracutus erit morbus, ſtatimque adfuerint extremi labores, i. e. morbi vigor: ubi vero ejuſmodi defuerint, plenius cibare licet, ac tantum a tenui recedendum, quantun morbus ab extremis receſſerit. Hoc autem, ut rite perficiatur, conſiderandus eſt æger, an ejuſmodi victus ipſi ſufficiat ad morbi vigorem uſque; an minus: vel an æger prius vel morbus deficiat. Quemadmodum repletiones ad extremum perductæ graves ſunt; ita etiam tenuis exquiſituſque victus in longis morbis ſemper, & in acutis, ubi non comedit, parum tutus eſt. Quid? quod omne delictum multo magis eſt in tenui, quam in paulo pleniore victu: quare & illiuſmodi ipſis ſanis periculoſus eſt; quoniam errata gravius ferunt. (167)

§. 26.

(165) Idem de Rat. vict. in morb. acut. & Libr. de Humorib. ſcribit. In acceſſionibus, quæ per circuitus fiunt, nulla alimenta eſſe offerenda, ſed potius ante judicationem de his, quæ apponi ſolebant, auferendum. Eadem fere habet Aphor. Sect. I. §. 11. 19. Sect. VII. §. 65.

(166) Idem aphor. Sect. II. §. 10.

(167) Ibid. Sect. I. §. 7. 8. 10. 9. 4. 5. Rationem, quapropter magis in tenui, quam paulo pleniore, victu delinquatur, affert Hollerius in Scholio aphor. V. *Nam*, ſcribit, *ut omnium rerum, quas ad efficiendum paravit natura, longe graviores ſunt mutationes quæ fiunt ab otio ad negotium, quam contra: hinc longe calamitoſius peccant in ſua commoda, qui defraudatum ventrem repente a cibo & potu exercent, quam qui a ſaturitate ad cibi abſtinentiam ſe convertunt.* Hanc eſſe cauſſam, putat, cur tenuis admodum & ſtatus in qualitate, copia, numero, & accuratus victus ſanis etiam ſit periculoſus.

§. 26. Quandoquidem vero debitæ victus rationis pars potiſſimum poſita eſt in alimentorum cognitione & uſu: non ab re itaque fore, exiſtimavi, ſi pauca modo ex inſtructiſſimo veterum promtuario depromſero, facultatemque eorundem indicavero. Verum ad Rem. Celſi veſtigiis inſiſtens redigam in præſenti omnem alimentorum materiam ad tres claſſes: quarum prima complectitur ea, quæ ſunt generis valentiſſimi, in quibus utpote plurimum alimenti eſt: hujus generis ſunt omnia legumina, panificia, ut libum; laganum, panis &c. omne animal quadrupes domi natum, omnis grandis fera, omnis grandis avis, ut & magni piſces: in primis vero caro animalium quorumvis vel muria condita, vel fumo vel aëre indurata, ut ſalſamentum, ut perna, ut aſellus arefactus, item caſeus, farcimina fumo indurata, ut apexabones, tomacula &c. In media materia numerantur olera, quorum radices vel bulbi eſitantur: ex venatione lepores, cuniculi, perdices, ficedulæ, & reliquæ minorum volucrium ſpecies: item piſces, qui ſalem non patiuntur, ſolidive ſaliuntur. In imbecilliſſima tandem materia collocantur olus, & quicquid in cauliculo naſcitur, ut cucurbita, cucumis, aſparagi tori, leguminum phaſeoli, lobi vel ſiliquæ: item omnia poma, cochleæ atque conchylia. Sed licet hæc ita diſcreta ſint per ſua genera, Celſo tamen aſſentior, magna etiam diſcrimina recipere, quæ ſub eadem ſpecie ſunt; aliamque rem alia vel valentiorem eſſe vel infirmio-

Alimentorum genera.

miorem: plus enim alimenti in carne eſſe, quam in ullo alio: firmius triticum milio, ac hoc ipſum hordeo. Ex leguminibus fabam vel lenticulam piſo valentiorem: ex oleribus rapam napoſque, & bulbos paſtinaca vel ſiſaro; braſſicam, betam, atque porrum, lactuca, ſpinachia, aſparago vel cucurbita firmiorem. Eadem ratio & quadrupedum & avium & piſcium eſt. Quid? eadem res, prout omnimodis a coquis tractata, aliam atque aliam ſortitur efficaciam: ita res magis alit jurulenta, quam aſſa, magis aſſa, quam frixa. Ovum durum valentiſſimæ; at molle vel ſorbile, imbecilliſſimæ materiæ eſt. Ita lactis omne genus nutricationi aptum: Verum, quodlibet ab altero quadantenus diverſum eſt. Sic ovillum alvum ſiſtit; caprinum magis, quam bubulum eandem ſubducit: equinum & aſininum adhuc magis. Hæc & ſimilia, ſi ſpecialiter pertractare vellem, peculiare opus poſtularent; imo & id ipſum ſupervacuum judico; quia tam veteres quam recentiores hanc de alimentis doctrinam omni cogitatione abſolverunt. (168) Sed hoc ex Hippocrate (169) monendum duxi, imbecillos cibos brevem vi-

(168) Plura qui cupit, is adeat, velim, Hippocratis Librum II. de Victus ratione. Celſi de Re Medic. Libr. II. Cap. XVIII. & ſeq. Galeni tres libros de Alim. facult. Oribaſ. Collect. Libros quatuor priores. Ætii Tetrab. I. Serm. II. paſſim diverſis in Capitib. Sethi Libr. de Alim. facult. Inter recentiores Seibizium, ut & l'Emmery, qui non minus docte quam copioſe hanc materiam pertractarunt.

(169) De morb. vulg. Libr. VI. Sect. V. §. 13. 16. & Sect. VI. §. 23. 20. 31. & Libr. de affectionib.

vitam efficere, ut & frigus inducere: e contrario valentes, calorem: quin etiam hos valentes, non ſemper ex uſu eſſe, quoniam eos, quibus calidus ventriculus eſt, perturbant. Convenit igitur tales, qui calidæ naturæ ſunt, frigida victus ratione uti, ut quiete: aqua pro potu: lentibus, milio, cucurbitaque, quæ in frigidis annumerat, pro cibo. Si a morbo revaleſcentes reficere, vireſque eorundem inſtaurare animus eſt, exhibenda eſſe a cœna alicam, & ptiſanam triticeam; pro cibo autem craſſiora, pinguiora moderateque cocta: atque quæ plurimam, ac denſiſſimam carnem gignunt, ſanguinemque craſſiorem efficiunt, & pro ingeſtorum ratione per alvum ſecedunt, plurimoque tempore in corpore detinentur. (170)

§. 27.

(170) Quandoquidem penes veteres ſæpenumero mentio fit alicæ, non ab re fore, duxi, ſi indicavero, quid ea ſit? Sciendum itaque eſt, vocabulo alicæ ſecundum Plinium Libr. XVIII. Cap. VII. ſignificari generatim frugum genus vernum, ut milium, panicum, lentem & cicerem: ſingulariter autem cibi vel ſorbitionis certum genus, quod fit, ut idem auctor. Cap. XI. innuit e Zea, quæ Latine far dicitur. Granum in pila lignea tundi, ut tunicæ excutiantur. Tria ejus alicæ genera haberi: ut minimum, ſecundarium, ac grandiſſimum aphorema dictum. Ut autem aptius tunicæ ejus ſeparentur, additum ei in tundendo nonnihil gypſi & arenæ, ut habet Geoponicorum ſcriptor. Libr. III. Cap. VII. Quamvis ii, qui hunc auctorem ut & Hippocratem e Græco in Latinum transtulerunt, vocabulum χόνδρος vocabulo alicæ Latine reddiderint: Ægineta tamen videtur Libr. I. Cap. LXXII. differentiam agnoviſſe. Scribit enim, Halicam in reliquis Chondro ſimilem eſſe, magis autem alvum ſiſtere. Galenus de alim. fac. Libr. I. Cap. XIII. & Oribaſ. Coll. Med. Libr. IV. Cap. I. memorant alicam de genere tritici eſſe, habereque ſuccum lentum. Fieri ex ea in aqua cocta cum mulſo, aut vino ſeu dulci ſeu auſtero cum modico oleo & ſale ſorbitionem, forma ptiſanæ ſimilem. Confici quoque panes ex alica. Dieuchis apud Orib. Coll. Libr. IV. Cap. VII. jubet alicam cum aqua & lacte decoque-

Potionum ſpecies, ut omnis generis vina.

§. 27. Ad victus rationem debite inſtituendam ſpectat etiam rerum potui aptarum cognitio. Indigemus autem iis non mo-

quere. Palladius Libr. VII. literis prodidit alicam ex ordeo ſemimaturo fieri, quod in furno torrendum, ut facile mola poſſit perfringi, cui in moliendo aliquantum ſalis admiſcendum. Ex veteribus Medicis Diocles & Philotimus, ut auctor eſt Galenus loco citato, ptiſanam ex tritico alicam appellavere. Quæ cum ita ſint, miror Plinium Libr. XXII. Cap. XXV. ſcribentem, alicam eſſe rem Romanam, & non pridem excogitatam: cum tamen veteres ejus ſæpe ſæpius mentionem fecerint; ex quorum numero ne ipſe Hippocrates quidem excipiendus, ut qui Libr. de Vict. Rat. & Libr. de Affect. tradit alicam validum & copioſum nutrimentum exhibere: imo eſſe inter alimenta valentiſſimam. De cætero, quantum ad ejus virtutes attinet, Plinius loc. cit. auctor eſt alicam eſſe eximie utilem, ſive elota detur ex aqua mulſa, ſive in ſorbitiones decocta, ſive in pultem: peculiariter tamen longo morbo ad habitudinem redactis ſubvenire, ternis ejus cyathis in ſextarium aquæ decoctis, donec omnis aqua conſummatur. Poſtea ſextario lactis ovilli aut caprini addito per continuos dies, mox adjecto melle: cujusmodi ſorbitionis genere emendari ſyntexin. Quid? alicam & ipſa ptiſana eſſe innocentiorem. Quod vero ſpectat ad ptiſanam, cujus vox teſte Athenæo Deipn. Libr. X. compoſita eſt ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, & αἰνεῖν, a tundendo & madefaciendo, parabatur ea potiſſimum ex hordeo decorticato, in aqua prius macerato, poſt manibus confricto, & leni igne in ſuccum lentum cocto, cui nonnihil olei interdum addebatur: aliquando & paululum aceti & ſalis, ut habent Galenus de Ptiſana, & Oribaſius Collect. Libr. IV. Cap. I. & Ægineta Libr. I. Cap. LXXIII. Hæc quomodocunque ſit, Plinius tamen Libr. XVIII. Cap. VII. tradit, Italos ex Oryza quoque ptiſanam confeciſſe. Vires quod attinet, Hippocrates auctor idoneus, de Rat. Vict. in morb. acut. ſtatuit ptiſanam omnibus frumentaceis eduliis in morborum acutorum curatione præferri: habere enim lentorem lævem, continuum, ſuavem ac lubricum, mediocriter humectantem, ſitim minime inferentem, quem facile concoqui, ſi modo optime fuerit cocta ptiſana. Animadvertendum autem in ejus uſu eſſe, ut in initio neque in copia neque valde craſſa exhibeatur: ut haud propinetur, ſi alvus muneris ſui fuerit immemor, alioquin plus damni quam emolumenti ex ejus uſione metuendum. Cæterum penes Hippocratem & alios Medicinæ principes perſæpe fit mentio *Mazæ*. Hæc autem, teſte Ætio Tetrab. I. Serm. I. §. *Crithe*, nihil aliud erat, quam polenta hordeacea liquore aliquo ut ſapa, vel melle &c. in maſſam ſubacta vel depſita, quæ cruda comedebatur.

modo ad corporis nutritionem, verum etiam ad reſarciendum iſtud humidum, cujus quotidie ſeu inſenſibili tranſpiratione, ſeu mejendo vel alio modo, jacturam facimus. Et olim & nunc temporis vinum inter potiones primatum tenet. Muſtum vocatur uvarum maturarum ſuccus expreſſus e lacu ſtatim ſublatus, adhuc turbidus: ſin vero is fermentando depuratus ac limpidus evaſit, nominatur merum: Lyæum autem, quod nos cura ſolvat. (171) Ejus non tantum in Aſia, in Europa atque Africa, ſed etiam in ſingulis regionibus, ubi modo uvæ matureſcunt, ſingula dantur vinorum genera, tam ſapore, odore, quam viribus inter ſe diverſa. Quæ apud veteres in uſu erant, ea commemorantur ab Hippocrate, (172) Dioſcoride (173) Plinio (174) Galeno (175) Athenæo (176) & Oribaſio. (177) In tantum eorum numerus excrevit, ut Plinius (178) eorum in ſuo ævo LXXX. genera noſſet, ex quorum numero duas partes Italiæ fuiſſe. Supervacuum eſſe, arbitror, ſi ea quæ tunc, & nunc temporis paſſim in uſu ſunt & fuere, narratione delibem: quoniam vinum res eſt notiſſima, cujus de qualitate & virtute multi multa ſcri-

(171) Iſiodor. Orig. Libr. XX. Cap. III.

(172) Ut Libr. de Vict. Rat. in morb. ac. mentionem facit vini albi, fulvi, rubri, dulcis, auſteri &c. & de morb. Libr. II. vini Tomii: & Libr. I. de morb. Mul. vini Pramnii &c.

(173) Libr. V. Cap. VII.

(174) Libr. XIV. Cap. VI. VII.

(175) Libro de cibis boni & mali ſucci Cap. XVII.

(176) Deipnoſoph. Libr. I. circa finem & in initio Libr. II.

(177) Collect. Libr. V. Cap. VI.

(178) Libro XIV. Cap. XI.

ſcripſerunt. Igitur vinis a natura productis miſſis, agam de vinis factitiis, deque aliis potionibus, quas antiqui Medici ſæpenumero in ſcriptis ſuis memorarunt; hujus ſcopi ergo, ut Medicinæ tironi eorundem cognitionem miniſtrem. Inter vina, quæ ingenii & non naturæ opus, eminet Sapa, quod alii *ſiræum*, alii *hepſema*, alii mellaceum appellant, fit e muſto uſque ad tertiam partem menſuræ decocto. (179) Ei vim eſſe, auctor eſt Ægineta (180) moderate calefaciendi ac concoquendi, meatusque obducendi. *Caræmum* dicitur muſtum, cum tertia pars coquendo deperdita, duæ partes remanſerint. (181) Paſſum fit ex uvis dulcibus in pertica ſuſpenſis, & in Sole, donec paulo amplius dimidium pondus ſuperſit, ſiccatis: quibus deinde tuſis muſtum quamoptimum adjiciendum, quantum ſatis ut modo ſubmergantur, tandem ſuccus prelo exprimendus. Alii uvas antedicto modo ſiccatas ſolas exprimunt, & ſuccum, qui tunc ſpiſſior eſt, ſervant. (182) *Defrutum* fit etiam e muſto quam dulciſſimi ſaports ad tertias decocto, quod cum defrixit, transfertur in vaſa & reponitur, ut poſt annum ſit in uſu. (183) Inter dulcia vina etiam refertur Murrhina: cu-

(179) Ibid. Cap. IX. Pallad. Libr. XI. Orib. Coll. Libr. V. Cap. VIII. uota ex uvis dulciſſimis eſt paranda. Nonius Cap. XVII. ſcribit ſapam eſſe muſtum ad mediam partem decoctum.

(180) Libr. VII. §. Εψεμα.

(181) Palladius ibid.

(182) Columella de Re Ruſt. Libr. XII. Cap. XXXIX. Plinius Libr. XIV. Cap. IX. & Palladius ibid.

(183) Columella ibid. Cap. XXI. Nonius Marcellus loc. cit. Plinius autem ſcribit ibid. muſtum ad dimidiam decoctum vocari defrutum.

cujuſmodi autem id fuerit, videtur & ipſe Plinius, quamvis ejus mentionem faciat, neſciviſſe. (184)

Vinorum mixtorum genera.

§. 28. In more etiam apud veteres poſitum erat vinum omnifariam miſcere, ut (1) aqua maris, quale ſi ſcite ac diligenter ita fuerit compoſitum, crapula nulla caput gravat. (185) Conficiebatur autem iſtud, quod *Bion* vel *tethalaſſemenon* vocatur vel ex uvis recenter decerptis, cum aqua marina mixtis: vel ex uvis per triduum acri ſole ſiccatis, poſt aqua maris maceratis & expreſſis. (186) Miſcetur etiam vinum (2) cum melle, quale compoſitum *œnomelum*, vel mulſum dicitur. (187) Fit autem e vini veteris auſteri partibus duabus & una mellis: vel ad ſex partes muſti ferventis una pars mellis adjicitur, & ubi ferbuerint, in vaſe reconduntur. *Melites* vero conficitur e quinis congiis muſti auſteri & uno mellis, & cyatho ſalis. *Propoma* potus dulcis, quod ante cibum bibi aſſolebat, conficitur e parte una mellis deſpumati, & quatuor vini ſine coctione aſſervatis. (188) *Omphacomeli* tandem paratur e partibus tribus ſucci uvarum acerbarum adhuc immaturarum, quibus una pars mellis deſpumati admiſcetur, poſtea in ſole per

XL.

(184) Libr. XIV. Cap. VII. Nonius Marc. loc. cit.

(185) Athenæus Deipn. Libr. I.

(186) Dioſcorides Libr. V. Cap. XXIII. Plinius Hiſt. nat. Libr. XIV. Cap. VIII. Thalaſſitèn autem vocari, vaſis muſti dejectis in mare, quo genere præcocem fieri vetuſtatem.

(187) Plinius Libr. XXII. Cap. XXIV. & Dioſcorides ibid. Cap. XII. XI.

(188) Ætius Tetr. III. Serm. I. Cap. XXX. & Ægin. Libr. VII. Cap. XV.

XL. dies, ut fermentent, collocentur. (189) Habebant veteres inſuper omnis generis vinorum compoſitiones, ut picatum, abſynthiten, Elleboraten &c. ſic etiam recentioribus Medicis variæ vinorum medicatorum formulæ in uſu ſunt, quæ deſcribenda, quoniam ſatis nota ſunt, omitto.

Potiones variæ ex melle.

§. 29. Ex melle etiam & aqua fit potus *Melicraton* vel *hydromeli* dictus. Veteres id conficiebant e duabus pluviæ & una parte mellis ſimplici rerum mixtione: vel etiam dictas res decoquebant, quoad deſpumare deſinat (formam liquidam tamen retineant, neceſſe eſt) hinc ad fermentandum in ſole vel loco aliquo tepido habebant. Debita ſpiſſitudo hydromeli eſſe dicitur, ſi ovum immerſum eidem innet. (190) *Apomeli* duplicis generis habebant: alterum fit e favis melle pellucido plenis, quorum mel aqua tepida diſſolvitur, ſolutio colatur, vel exprimitur: poſtea facta lene ebullitione ſpuma aufertur, & hæc operatio tertium repetenda, ſingulis vicibus liquorem ab igne deponendo, & ſpumam auferendo: hinc in vaſe liquor reſervandus eſt. Alterum, quod vilius & ruſtici plerumque faciunt, fit e ſolis favis; ex quibus mel antea expreſſum, in aqua decoctis. Id vinoſum, craſſum & nigrius eſt. Prioris generis, quando ſaporem ὀξύγλυκον i. e. acido-dulcem ſortitur, in uſu eſt. (191) *Thalaſſomeli* fit vel

(189) Dioſcorides ibid. Cap. XXVI. Oribaſius Coll. Libr. V. Cap. XXI. Ægineta Libr. VII. Cap. XV.

(190) Dioſcorides ibid. Cap. XIII. Plinius Libr. XIV. Cap. XVII. Oribaſius ibid. Cap. XIV. & XVI.

(191) Oribaſius ibid. Cap. XV. & XVII.

vel ex aquæ pluvialis & marinæ & mellis æquis portionibus: vel e duabus marinæ & una mellis in vaſe calori mediocri expoſitis. (192) Pro potu ſecundario & olim & nunc alicubi locorum eſt *deuterion*, quod Latini *loram* appellant. Fit, ſi vinaceis, ex quibus muſtum expreſſum, aqua adjicitur, ac ita madefacta die ac nocte reſervantur, poſtea vero prælo ſubjiciuntur, quod deinde fluxerit, aut doliis aut amphoris condatur, & cum deferbuerit, obthuretur. (193) *Oxycraton*, quod Latini *poſcam* appellarunt, eſt etiam potus vulgaris: Fit autem e parte una aquæ, & duabus partibus aceti invicem mixtis: bibebant hujusmodi potionem operarii, ac ſervi, quoniam ſitim maximopere extingueret. (194)

§. 30. Ubi vini & mellis eſt penuria, ibi homines alia potionum genera excogitarunt. Hæc ſub genere *ſiceræ* comprehenduntur. Hoc vocabulo indicatur omnis potio, quæ extra vinum inebriare poteſt: ſive ea e ſucco fructuum quorundam, ut pyrorum, malorum, palmarum, ribium &c. ſive e coctis frugibus ut hordeo, tritico &c. fuerit confecta (195). Zythum vel cerviſia ex hordeo & aqua: Cælia vel Ceria, quam Germani *Brü-*

Potiones ex frugibus, fructibus &c.

(192) Dioſcorides ibid. Cap. XVI.

(193) Varro de Re Ruſtic. Libr. I. Cap. LIV. Columella Libr. VII. Cap. XL. Plinius Libr. XIV. Cap. X. Dioſcorides vero Cap. IX. dicti Libri jubet liquorem expreſſum ad tertias decoqui, ad ſingulos ejus congios, binos ſalis ſextarios addi.

(194) Nic. Myrepſ. de antid. Cap. 383. Galenus de ſimpl. med. fac. Libr. I. Cap. XXXI.

(195) Iſiodorus Libr. XX. Cap. III.

Brůhan appellant, e polenta tritici cum aqua coquitur: uterlibet decoctus liquor colatus, cum deferbuerit, abit in potum inebriantem, qui ratione locorum, ubi excoquitur, ratione quantitatis aſſumptæ polentæ, & additi lupuli plurimum variat. (196) Equidem ſuperſunt compluria potionum genera penes multarum regionum incolas in uſu; ut potus e *Thee*, vel *Coffe*, vel *Chocolade*; item *Limonade*, *Orſade*, Lac e ſeminibus frigidis, vel amigdalis &c. confectum; julepi, ſpiritus vini ſeu ſimplex ſeu variarum rerum viribus imbutus; & alia multa potionum genera, quæ luxuria excogitavit: verum quoniam horum adeo ingens numerus, poſtularetur ad ea deſcribenda ſingulare opus; quod autem ob prolixam ſcriptionem nec noſtro nec lectoris ſcopo conveniens videtur: cum præterea pleriſque hominibus nunc temporis ſatis cognita ſunt.

Vini vires. §. 31. Paucis virtutes vini indicabo. Majores Medicinæ id poſuerunt in eorum numero, quæ ſecundo ordine calefaciunt ac ſiccant. (197) Hinc, cum eo utamur debite, concoctiones melius fieri humorum ſtatuerunt; hinc eos aptos evadere ad univerſum corpus permeandum: Quin etiam id ipſum appetitum ciborum proſtratum excitare, pituitam attenuare, bilem per urinas expurgare, animique alacritatem efficere, ac

(196) Dioſcorides Libr. II. Cap. LXXX. Plinius Libr. XXXII. Cap. XXV. circa finem.

(197) Ægineta Libr. VI. Lit. O. & Oribaſius Coll. Libr. XV. Lit. O. quod valde vetus eſt in tertio, & muſtum in primo ordine, collocat.

ac robur membris conciliare. Vinum rubrum & craſſum præ aliis nutrire quidem magis, at non eſſe boni ſucci. Sic dulce nutritioni quidem idoneum, non eſſe autem ſtomacho adeo accommodum. Ita auſterum equidem ventriculo utile, ſed ægre diſtribui, inde minus alere: adhuc vero minus album. (198) Vinum dilutius pueris, ſenibus vero meracius aptum eſſe. (199) Hæc de vino generatim, quatenus id ad victus rationem ſpectat: quantum vero ad Therapeiam, ſolvit id ipſum famem, ſtranguriam, dyſuriam: anxietatem vero oſcitationem atque horrorem pari aquæ portione mixtum. (200) In phrenitide, ſi ſyncope adfuerit, ut & delirium, unicum præſidium eſt vinum. (201) Quin etiam id ipſum ex uſu eſt, ſi modo vehementia febris abfuerit, in urina autem concoctionis ſigna apparuerint, ubi multæ vigiliæ urgent & æger morbo debilitatur. In primis vero audacter propinandum eſt iis, qui ei conſueverunt, quibusque os ventriculi imbecillum & natura frigidius eſt. (202)

§. 32. Inter potionum genera, quibus ultima antiquitas eſt uſa, imo & hodie plerique regionum calidarum incolæ ad ſitim explendam utuntur, eminet aqua. Et in hac quædam notatu digna differentia eſt, ratione

Aquæ variæ utilitates in Medicina.

(198) Oribaſius Euporiſt. Libr. I. Cap. XII. & Ægineta Libr. I. Cap. XCV.

(199) Celſus Libr. I. Cap. III.

(200) Hippocrates aphoriſm. Libr. II. §. 21. Libr. VII. §. 48. 56.

(201) Aretæus de acut. morb. cur. Libr. I. Cap. I.

(202) Trallianus Libr. I. Cap. XIII.

ne effectus, ſeu virium, quas veteres ex ejus uſione obſervarunt. Nam aqua pluvialis leviſſima, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, poſthæc ex nive aut glacie, gravior his ex lacu, graviſſima ex palude. (203) Hujusmodi aquam, quæ cito caleſit, & cito refrigeratur, Hippocrates (204) habet pro leviſſima. Hoc ei proprium eſt, ut celerius ex ea legumina quævis percoquantur. De cætero, aquæ alia virtus eſt, ſi frigide, quam ſi calide aliquis ea utatur. Hæc facultas non ei, quatenus res fluida duntaxat, ſed eatenus, quia res ſeu frigida ſeu calida, potiſſimum adſcribenda eſt: quamquam interea nolim inficiari, non raro uſu venire, ut ea ob utraſque proprietates, humidam puta & frigidam vel calidam, vires ſingulares edat. Veteres frigidam commendarunt in iis, quæ vitio locorum ceciderunt, in cholericis, quibus os ventriculi roditur; ſint tamen robuſto ventre & integris inteſtinis dotati. Ita etiam utilis eſt juvenibus carnoſis nimium ſudantibus vel purgatis: item ex vulnere, aut naribus aut alio loco ſanguinem fundentibus: nec non, ſi tempeſtive detur, in febri æſtuoſa, in pollutione nocturna, in gonorrhæa benigna, in ſingultu inque oris graveolentia. (205) Extrinſecus vero uſus aquæ frigidæ, non iis ſolis, quos capitis imbecillitas torquet, prodeſt, ſed iis etiam, quos

(203) Hippocrates de aere, locis & aqua. Celſus Libr. II. Cap. XVIII. Oribaſius Libr. I. Cap. XIV. Eupor.

(204) Aphor. Sect. V. §. 26.

(205) Ætius Tetr. I. Serm. III. Cap. CLXV. hæc ex Rufo habet.

quos aſſidue lippitudines, gravedines, deſtillationes, tonſillæque male habent, quibus non caput tantum quotidie perfundendum eſt; ſed os quoque multa frigida aqua fovendum eſt. (206) Sic lotio in aqua frigida convenit iis, qui integro ſunt corpore, quique exacte vivunt, & laboribus, ac alimentis convenientibus utuntur. In his corroborat univerſum corpus, & cutem duram ac denſam efficit in tantum, ut tanquam præſidium ad injurias aëris devitandas habendum ſit. (207) Ita etiam capiti infirmo nihil æque prodeſt atque aqua frigida, & per æſtatem tum oportet id bene largo canali quotidie ſubjicere. (208) Item ſtomacho, articulis, doloribusque, qui ſunt ſine ulceribus; & rubicundis nimis hominibus, ſi dolore vacant. (209) Potus aquæ calidæ vero univerſim prodeſt, ubi aliquid eſt ad excretionem præparandum, vel attenuandum, vel molliendum, vel concoquendum, vel diſcutiendum: ſingulariter autem convenit morbo comitiali, cephalalgiæ, lippientibus, gingivarum, faucium tonſillarumque morbis, capitis deſtillationi, hæmoptiſi, & vomentibus in febri bilioſa, & variis internorum viſcerum inflammationibus ut pleuritidi, peripneumoniæ, anginæ &c. nervorum diſtentionibus, menſibus ſuppreſſis &c. (210) Prodeſt itidem in febri, ſed tunc demum dare con-

(206) Celſus Libr. I. Cap. V.

(207) Ætius ibid. Cap. CLXVIII. Ægineta Libr. I. Cap. LI.

(208) Celſus Libr. I. Cap. IV.

(209) Ibidem Cap. IX.

(210) Ætius circa finem citati Capitis.

convenit, ubi tempora parteſve corporis aliæ paulum madeſcunt, quæ ſudorem venturum eſſe teſtantur. (211) Extrinſecus calidæ aquæ uſus neceſſarius eſt, ſi gravis vulneris alicujus inflammatio, neque glutinandi ſpes eſt; materiam enim digerit, duritiam emollit, atque pus citat. (212) Sin autem eadem pro balneo calido fuerit, facultas tum ipſi eſt jejunum extenuandi refrigerandique: Humidum namque e corpore beneficio caloris pellitur, quo vacuato id ipſum refrigeratur. A cibo autem balnea vim habent calefaciendi & humectandi. Frigidis vero balneis virtus eſt vacuo corpori calorem impertiendi: in repleto autem cibis, ſiccitatem augendi. (213) Hujuſmodi facultates,

(211) Celſus Libr. III. Cap. VI.

(212) Idem Libr. V. Cap. XXVI.

(213) Hippocrates de Vict. Rat. Libr. II. Vide etiam Galeni Libr. III. Cap. V. de Sanit. tuend. Cæterum balnei vocabulum interdum metonymice ſignificat locum, ubi lavationes inſtituebantur. Is quaternas in partes plerumque apud veteres erat diviſus. Qui primam, θερμαλακτήρια dictam, ingrediebantur, ii in aëre calido verſabantur, ut corpora præmollirentur. Vide Galeni Libr. IX. Cap. LXI. de ſimpl. Medic. fac. Ex hac in aquam calidam deſcendebant: in tertia erat aqua frigida, quam Græci, teſte Vitruvio Libr. V. Cap. XI. λουτρὸν vocitant, qua utebantur ad cutem denſandam & firmandas vires. In quarta vero corpus per ſudores citra refrigerationis noxam vacuabant. Galenus de Meth. med. Libr. X. Cap. X. Adjunctum balneis quoque erat Laconicum, quod erat ſicut turricula in hæmiſphærii modum camerata [vide Vitruvium d. l. Cap. X.] ubi ope vaporis calidi, vel caloris ſicci, ſudationes aſſæ fiebant. Vide Celſi Libr. II. Cap. XVI. Veteribus etiam uſus erat aquæ calidæ varias res adjungere, v. g. ut balneum calefaciens haberent aquæ immittebant thymbram, origanum, pulegium &c.: ut diſcutiens, ſal, nitrum, aquam marinam, ſulphur, alumen vel ſimilia: ut molliens, malvam, ſemina lini, fœnugræci &c.: ut adſtringens, plantaginem, polygonum, rubiam &c. Ita etiam in uſu habebant ægros ad balneas naturales, quæ Thermæ dicuntur, ablegare. Quæ, quamvis

tes & calidæ & frigidæ ſunt aquæ, ſi quiſpiam utralibet decenter uſus fuerit. Calidum alias ultra modum in uſum vocatum ſolet nonnunquam carnem effœminatam, nervorum impotentiam, mentis torporem, ſanguiniſque eruptiones excitare: frigidum autem, rigorem febrilem, tetanum, nervorum diſtentiones. Idem eſt noxium oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, medullæ ſpinali, ulceribus, pectori: ſolet enim non raro tuſſim, ſanguinis profluvium atque capitis deſtillationes inferre. (214)

§. 33. Victus Rationem inſtituturo incumbit etiam Veneris* tum utilitatem, tum noxiam noſſe. Hippocrates (215) generatim Veneri tribuit facultatem extenuandi, humectandi & calefaciendi: ſingillatim vero, ea morbis a pituita oriundis confert. (216) Quin etiam ejus adminiculo plenitudo humorum tollitur, corpus agile redditur, ejuſque incrementum promovetur, ac virile magis efficitur. Utilis eadem eſt iracundis, melancholicis vel alio inſaniæ genere ægris. Morbo comitiali affectos, facta in pubertatis tempore mutatione, nonnunquam ſanitati

Veneris uſus & incommoda.

vis humidis & frigidis in primis utiles habeantur, tamen prout omnimodis mineralibus refertæ cummaxime inter ſe differunt virtute. Sed quoniam de his tam veteres quam recentiores abunde ſcripſerunt, ut Ætius Tetr. I. Serm. III. Cap. CLXVII. Liſterus de Angliæ, Blondelus, Breſmal & Valerius de Aquiſgranenſium Thermis &c. eapropter harum naturam ac potentiam deſcribere, ne acta agere videar, omittam.

(214) Hippocr. aphor. Sect. V. §. 16. 17. 20. 18. 24. Celſus Libr. II. Cap. IX.

(215) De Vict. Rat. Libr. II.

(216) De morb. vulg. Libr. VI. Sect. V. §. 22.

tati reſtituit. (217) Iis itidem, qui propter ejus abſtinentiam capitis gravitatem, oculorum obſcuritatem, propenſionem ad ſomnum, vel pigritiam ſuſtinent, coitus admodum eſt conducibilis. (218) At nocivus eſt in his morbis, qui paulatim adaugeſcunt. ac de die in diem deteriore conditione ſunt, (219) Noxioſus eſt iis, qui nervos aut pectus, aut renes, aut lumbos, aut coxendicem, aut pedes imbecillos habent. (220) Privatim vero Venus ſemper inimica eſt, quibus nervi, quod in Podagra, Chiragrave eſſe conſuevit, dolere ſolent. (221) Quantum ad tempora anni, quibus Veneri vacare licet, Celſus auctor eſt, (222) neque æſtate, neque autumno utilem eſſe Venerem: tolerabiliorem tamen per autumnum: æſtate in totum, ſi fieri poteſt, abſtinendum. Tempus autem ad coitum opportunum, Ægineta (223) exiſtimat, eſſe poſt cibum ante ſomnum: etenim laſſitudinem ſtatim in obdormiente ſedari. Quid? & hoc tempus maxime accommodatum ad liberos gignendos, quia mulier in mediis Veneris voluptatibus obdormiſcens genituram magis continet.

Laborum utilitas.

§. 34. Magnum etiam momentum ad vale-

(217) Oribaſius Collect. Libr. VI. Cap. XXXVIII. Euporiſt. Libr. I. Cap. XIII. & Synopſ. Libr. I. Cap. VI. Æginet. Libr. I. Cap. XXXV.

(218) Alſaharavius Theoric. Tract. X. Cap. III.

(219) Hippocr. de morb. vulg. Libr. VI. Sect. V. §. 25.

(220) Ætius Tetr. I. Serm. III. Cap. VIII.

(221) Celſus Libr. II. Cap. IX.

(222) Ibidem Cap. III.

(223) Libr. I. Cap. XXXV.

letudinem conſervandam habent labores vel exercitationes. Siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit. (224) Et motui, quo pleræque exercitationes fiunt, hoc ſingulare eſt, ut viarum efficiat varitatem: (225) vel, ut Hippocrates (226) docet, labor ſiccat corpuſque validum efficit: e contrario otium humectat & corpus reddit imbecillum. Idem labores ad duo genera redigit, ad naturales utpote, & ad violentos: in illis annumerat viſionem, auditionem, vocem, atque curas, quibus ſingulis animum moveri, corpus invaleſcere; atque, dum ejus humidum abſumitur, ideo id ipſum extenuari exſiccarique. In his vero, violentis puta laboribus, ponit deambulationes, curſus, concuſſiones, luctationem, &c. quorum ſatis ampla a me facta eſt mentio in Hiſtoria Medicinæ. (227) Hi non modo priori loco dictis, verum & alius alio, prout major vis ei impendenda, majorem itidem potentiam habet humores corporis ſuperfluos expellendi, craſſos attenuandi, alicubi locorum ſtagnantes in motum reducendi. Et, ut breviter & ſummatim deſcribam, labor articulis & carni confert, viſceribus vero cibus & ſomnus. (228) Exercitationis autem plerumque finis eſſe debet ſudor, aut certe laſſitudo, quæ citra fa-

(224) Celſus Libr. I. Cap. I.

(225) Cæl. Aur. acut. morb. Libr. II. Cap. XL.

(226) De Vict. Rat. Libr. II.

(227) Pag. 129.

(228) Hippocrates de morb. vulg. Libr. VI. Sect. V. §. 9.

fatigationem ſit, idque ipſum modo magis, modo minus faciendum eſt. (229) Quando autem aliquis propter corporis motum dolere cœperit, quiete ſtatim laſſitudo curatur. (230) Tandem, ut ad clauſulam hujus capitis aliquando deveniam, in labore, cibo, potu, ſomno, Re Venerea eſt modus adhibendus. (231)

CAPUT V.

De ſignis ex univerſi corporis habitu, motu, &c. & ex functionibus voluntariis, deſumptis.

§. 1. TRaditis quibusdam univerſalibus præceptis, ad medendi methodum ſpectantibus, ordo ſcriptionis monet, ut ad intermiſſa hactenus ſigna redeam. Quandoquidem vero ab incunabulis Medicinæ uſque ad noſtra tempora ingens eorum numerus artem tractantibus innotuit, non ab re fore, arbitratus, ſi generalibus jamjam deſcribendis ſingularia quædam ſubjunxero. Verum ad propoſitum deveniendum eſt.

Prædictiones ex varia corporis forma.

§. 2. Corpus hominis habiliſſimum eſt, quod quadratum, quod neque gracile neque obeſum eſt. Nam longa ſtatura, ut in juventa

(229) Ibidem Sect. III. §. 4. & Celſus Libr. I. Cap. II.

(230) Hippocrates Aphor. Sect. II. §. 48.

(231) Idem de morb. vulg. Libr. VI. Sect. VI. §. 5.

venta decora eſt; ſic matura ſenectute conficitur. Gracile corpus, infirmum; obeſum, hebes eſt. (1) Quod ſi quis ſine cauſſa emacreſcit, ne in malum habitum corpus ejus recidat, metus eſt. (2) Graciles item tabes, dejectiones, deſtillationes, nec non viſcerum & laterum dolores aliquando fatigant: Obeſi autem plerumque acutis morbis & difficultate ſpirandi ſtrangulantur, ſubitoque ſæpe moriuntur. (3) Imo qui natura ſunt valde craſſi, crebrius ſubito vita excedunt, quam qui graciles ſunt. (4) Eadem ratio valetudinis athletarum ad ſummum progreſſæ eſt, quod ſi ad plenitudinis extremum pervenerit, lubrica eſſe ſolet, quoniam non poteſt eodem ſtatu permanere, nec quieſcere. At quia non quieſcit, neque ultra poteſt ad melius proficere: reliquum igitur eſt, ut in deterius labatur. (5)

§. 3. In morbo aliquo ſi corpus univerſum, æqualiter calidum, ac molle eſt, optimum. Quin etiam ubi æger facile ſe convertere poteſt, & cum ſeſe attollat, levis eſt: Sin vero corpus & manus & pedes viden- Motione, &c.

(1) Ita Celſus Libr. II. Cap. I. Aphoriſmum LIV. Sect. II. Latine reddidit. Fœſius autem ſic ex Græco ſermone in Latinum vertit. Longa corporis ſtatura, in juventute quidem degenda, liberalis nec indecora, in ſenectute vero inutilis & brevitate deterior.

(2) Celſus Libr. II. Cap. VII.

(3) Idem Libr. II. Cap. I. Et Cæl. Aurel. chron. Libr. V. Cap. XI. periculi plenam πολυσαρκίαν exiſtimat, propter tardum motum, gravationem, debilitatem, & ex parvo greſſu anhelationem ac ſudorem, ut ſuo ſe corpore præfocari ſentiant ægrotantes, quo neque levia ferre valent veſtimenta.

(4) Aphor. Hipp. Sect. II. §. 44.

(5) Hippocr. Aphor. Sect. I. §. 3.

dentur graves, æger in diſcrimen vitæ venit. (6) Periculo item non caret, ubi corpus multum & derepente evacuatur, aut repletur, aut incaleſcit, aut frigeſcit, aut alio quoquo pacto, ultra quam ſatis eſt, movetur. (7) Ominoſæ ſimiliter celeres extremorum corporis ad utraque extrema permutationes. (8) Item corporis jactationes & incontinentiæ in febri cum refrigeratione, & tenui partium ſuperiorum ſudore, phrenitidem denunciant. (9) Quid? corporis motio, jactatio, ac turbulentus ſomnus in præcipitibus malis nervorum diſtentionem portendere ſolent. (10) Quod ſi corpus totum in tantum perfrixit, ut obrigeat, pernicies ejus ex hoc portenditur. (11) Ominoſa item res eſt, ſi corporis diſtentio articulorumque durities, ipſeque æger nullo ordine diſpoſitus, atque artuum refrigeratio adfuerint. (12) Sexto die Chinenſes aſſerunt moriturum, cui corpus valde grave, ac fluxus urinæ non ſiſtens fuerit. Sic etiam ægrotum, cujus corpus cadaveris fœtorem redolet, nullis herbis eſſe medicabilem. (13) Si quis a ſomno, corporis dolorem cordiſque tremorem ſenſerit, multitudinem humorum hæc ſignificant, ſuggeruntque præſagium futuræ

mor-

(6) Idem Libro Prænot.

(7) Idem Aphor. Sect. II. §. 51.

(8) Idem Prædict. Libr. I. §. 43. & Coac. Prænot. §. 50.

(9) Ibidem §. 27. & Coac. Prænot. §. 2.

(10) Coac. Prænot. §. 82. Alſaharavius Theoric. Cap. xx. memoriæ prodidit, jactationem corporis totius, ſi crebro accidat, ſpaſmum ſignificare.

(11) Coac. Præn. §. 3.

(12) De morb. vulg. Libr. VI. Sect. I. §. 18. Prædict. §. 77.

(13) Cleyerus de Med. Sinenſ. pag. 54. 57.

mortis ſubitaneæ. Si cuipiam corporis gravitas poſt alimentorum uſum fuerit, prodit hæc hominem nimium in eorum uſufuiſſe. (14)

§. 4. Tradit etiam Hippocrates notas, ex corporis cujuſmodicunque conſtitutione depromptas, quibus animi mores indicantur. v. g. Quibus ab ortu corpus diſtortum eſt, hos, ſcribit, aut hebetes & ſtolidos, aut calculo obnoxios eſſe, aut inſanire. (15) Quibus caput magnum, oculi parvi, & ſi balbutiant, eos ad iracundiam pronos. Ejuſdem naturæ ſunt, qui conniventibus oculis intuentur. Quibus caput magnum, oculi grandiores & nigri, nares craſſæ ac ſimæ, eos eſſe bonos. Non balbutiet, neque calveſcet, cui caput parvum eſt, excepta hac conditione ſi oculos habuerit cæſios. Longævum fore, qui plures dentes habet. Balbutientes & volubili lingua præditos, melancholicos ac plerumque bilioſos eſſe. (16) Malignos eſſe, qui colore fulvi, quique aduncas nares atque parvos oculos habent: bonos autem, qui fulvi, ſimi & grandiores habent oculos: bonos itidem, qui magni, calvi, balbi & lingua hæſitant. (17)

Phyſiognomica quædam.

§. 5. Verum, ut ad qualemcunque morborum

Prædictiones ex morbis ætatum,

(14) Rhaſis aphor. Libr. v. §. 8. 38.

(15) De morb. vulg. Libr. II. Sect. VI. §. 2.

(16) Ibidem §. 1.

(17) Ibidem Sect. V. §. 1. Plura, quæ ad Phyſiognomiam pertinent, ſi quis deſiderat, is adeat Libr. II. Cap. XXVI. & ſeq. Rhaſis ad Manſorem, & alios recentiores hanc diſciplinam copioſe tradentes auctores. Nos cætera, quæ adduci poſſent, quoniam exploratæ rationis non ſunt, de induſtria facimus miſſa. Etenim ea, quæ ad Medicinam ſpectant, memorare potiſſimum libet.

borum eventum, unde paululum divertimus, redeamus, memoriæ mandandum eſt, in morbis minus periclitari, quorum naturæ, & ætati, & habitui & tempori magis congruit morbus, quam quibus horum nihil eſt congruens (18) Cujuſmodi morbi autem qualibet ætate ac anni tempore, &c. homines corripere ſolent, hos ſupra Capite III. memoravi. Impræſentiarum dictis adjungam eorum prognoſin. Ut Puerorum affectus omnimodis judicantur, alii in quadraginta diebus: alii in ſeptem menſibus: alii in ſeptem annis: alii quando pubeſcere incipiunt. Qui vero in hiſce temporibus non finiuntur, ut & puellarum affectus circa menſtruorum eruptiones, hi perſeverare ſolent. (19) Pueri morbo comitiali laborantes, mutatione maxime ætatis & regionum, & victus liberantur. (20) Et alibi (21) quibus Epilepſia ante pubertatem contingit, mutationem in ſpe habemus: quibus vero vigeſimo quinto anno accidit, ſpem de his abjicimus. Qui ſupra quadraginta annos phrenitici evadunt, non facile ſanantur. (22) Senes plerumque juvenibus ægrotant minus; quicunque vero morbi eos corripiunt, diuturni ſunt, ac eos ad mortem uſque comitantur, ut raucedo, gravedo, nephritis, arthritis, podagra, coxendicum dolor, aſthma, tuſſis omnis generis, dorſi curvaturæ, frigidi

(18) Hippocr. aphor. Sect. II. §. 34.

(19) Idem aphor. Sect. III. §. 28.

(20) Idem Sect. II. aphor. 45.

(21) Aphor. 7. Sect. V.

(22) Aphor. I. Sect. VIII.

frigidique laxioris inteſtini & ſplenis affectus: qui in quibuſdam juvenibus, multo minus in ſenibus, difficulter curantur. (23)

§. 6. Sin impoſſibile, ſaltem difficile curatu habentur morbi hæreditarii: ita etiam gravidis, ſi morbo quopiam acuto corripiuntur, exitio plurimum eſt. Inter ominoſa referuntur, ubi æger aliquid præter conſuetudinem egerit. (24) Nam ut habet Cous noſter. (25) Præter conſuetudinem aliquid facere, v. g. aliquid propenſius curare, magnoque ſtudio prius non conſuetum eniti, aut contra, malum & delirio proximum. Decubitus ægri, ubi ſanorum ſimilis fuerit, optimus habetur: ſupinus vero cervice, manibus cruribuſque porrectis minus bonus: magis formidandus is eſt, cum æger pronus ad pedes de lecto delabatur: Lethale autem ſignum cenſetur, ubi aliquis cruribus oppido contortis & implexis ſupinus cubat. In ventrem jacere in non aſſuetis indicat delirium, aut partium circa ventrem dolorem. At reſidere velle in ipſo morbi impetu, malum quidem in omnibus acutis; at peſſimum in pulmonum inflammatione. (26) Qui corporis æſtuatione & inquietudine conflictantur, citra vomitum ingraveſcentes, ii male ſe habent. (27) Qui prima ægri-

ex conſuetudine, & forma decubitus &c.

(23) Aphor. 39. 40. Sect. II. & cætera ex Galeni Commentario ſupra hos aphoriſmos. Vide etiam Rhaſis Libr. VI. aphor. 58. & 59.

(24) Fieni Semiot. Part. I. Cap. V. §. 2.

(25) Coac. Prænot. §. 47.

(26) Ibidem §. 496. & Libr. Prænot. Haly Theor. Libr. X. Cap. X.

(27) Hippocr. Coac. Prænot. §. 557. Prædict. Libr. I. §. 76. 85.

ægritudinis die impatiens fuerit, ſuſpiraverit, fractus animo; is, niſi melancholicus fuerit, ancipiti morbo laborat. (28) Quamvis inquietatio ſeu anxietudo in pleriſque morbis acutis, inprimis vero ubi animi defectio, ſudor frigidus, ac pedum manuumque refrigeratio adfuerint, periculo non expers ſit: uſu tamen non raro venit, ut morborum in principio materia quædam ventriculo inſit, qua per vomitum evacuata, ſolet æger tranquille morbum traducere. Eadem ratio eſt, ſi materia morbi ab initio per ſudorem eſt expellenda, vel in corporis ſuperficiem eliminanda, quo morbilli, variolæ, exanthemata, &c. deinceps fiunt. (29)

ex laſſitudinis ſpeciebus.

§. 7. Laſſitudo quoquo modo contracta etiam varia ſigna Medico ſuggerit. Eſt autem laſſitudo affectus corporis cum horrore, vel dolore, vel ignavia quadam ad motum. Hæc bifariam contrahitur. Inſequitur enim exercitationes laboreſve corporis ultra modum protractos: aut ſponte ob vitium cujuscunquemodi corporis oboritur. Ad tres claſſes ordinario redigitur. Alia nominatur ulceroſa, exoriens ab abundantia humorum acrium ac tenuium ſeu cutem, ſeu car-

(28) Rhaſis Aphor. Libr. I. §. 15.

(29) Fieni Semiot. Part. II. Cap. VI. §. 9. Cæterum animadverſione dignum eſt vocabulo anxietatis, quam Hippocrates ἀλύκην, & alii Græci ἄλην appellant, tam ſanorum quam ægrotorum ſtatum indicari. Illi enim, quibus præſentia ſemper moleſta videntur atque in nullo negotio conſtans propoſitum eſt: hi vero, qui accubitum non ferunt, jacendique figuram non ſervant, quoniam præſens ſemper eos aggravat, anxii dicuntur. Vide Galenum in Aphor. Hippocr. 56. Sect. VII.

carnem ipſam pungentium, vel ſaucian-tium. Alia tenta dicitur; oritur autem ſi excernenda in muſculis inque nervis reſede-rint, ac ita nimiam partium motui dicata-rum diſtenſionem effecerint. Alia vocatur inflammationis, in qua percipiuntur partes quaſi contuſæ, vel phlegmone obſeſſæ. E-quidem ſupereſt alia affectio ſimilis laſſitu-dini, inferens corpori neque aliquem hor-rorem, neque dolorem, neque ad motus ſegnitiem (hæ ſingulæ enim ſingularum laſ-ſitudinum proprietates ſunt) verum gracili-tatem, ob muſculos ultra modum ſiccatos. Ex laſſitudinibus eas, quæ ſponte naturæ eveniunt, Hippocrates (30) ſtatuit, morbos plurimum denuntiare. v. g. ulceroſa indi-cat humores acres ac tenues corrodendi, pungendi ſtimulandique virtute præditos in corpore adeſſe: tenſa multitudinem humo-rum: inflammationis autem laſſitudo tum plethoram, tum cacochymiam ſignificat. (31) De cætero, ut quædam ad prognoſin ſpe-ctantia prodam, laſſatis per febres ad arti-culos, & circa maxillas maxime, abſceſſus fiunt. (32) Febres, quæ ſoporem laſſitudi-nem-

(30) Aphor. 5. Sect. II. Rhaſis Libr. I. aphor. 41. Et Haly Theor. Libr. x. Cap. III. ſcribit laſſitudinem ſine labore obortam febrim denunciare.

(31) Ætius Tetr. I. Serm. IV. Cap. XLI. & ſeq. Qui plura de laſſitudinum natura, earun-demque curatione ſcire cupit, is inſpiciat Hippocratis Li-brum II. de Victus Ratione, Galenum Libr. III. de ſanit. tuend. & Libr. II. Cap. X. de ſimpl. Med. fac. De Sympt. Cauſſ. Libr. II. Cap. V. Oribaſ. Synopſ. Libr. V. Cap. XV. & XVII. Æginet. Libr. I. Cap. XX.

(32) Hippocr. Sect. IV. aphor. 31. Celſus Libr. II. Cap. VII.

nemve inducunt, aut in quibus caligant ægri, inſomniis ac tenuibus ſudoribus vexantur malignæ ſunt. (33) Qui laſſitudine cum horrore laborant, ac in modum criſis leviter exudant, celeriterque incaleſcunt, hi male ſe habent; tum vero maxime ſi iſtis inſuper hæmorrhagia narium ſupervenerit. (34) Ægri, qui laſſitudine conflictantur, ſingultiunt, & catocho laborant, male ſe habent. (35) Male itidem ſeſe habent, qui præter rationem, citra vaſorum quorumvis quoquo pacto peractam exinanitionem, impotentes evadunt. (36)

Functiones voluntariæ læſæ, quæ.

§. 8. Medici etiam omnis generis ſigna hauriunt ex voluntariis functionibus læſis. Galenus (37) in his annumerat nervorum reſolutionem & diſtentionem; his adjungit tremorem & torporem. Quædam ex his generalem ſignificationem ſortitæ ſunt. Ex. cauſſa. Paralyſis ſi totius corporis fuerit, apoplexia; ſi alicujus lateris, hemiplegia; ſi inſtrumentis reſpirationi dicatis accidat, *apnœa*; ſi vocis, *aphonia* dicitur. Pariliter ſe ha-

(33) Idem Prædict. Libr. I. §. 74. & Coac. Prænot. §. 32. 35.

(34) Coac. Præn. §. 36.

(35) Ibidem §. 45.

(36) Ibidem §. 54. & Prædict. Libr. I. §. 40.

(37) De Symptom. cauſſ. Libr. II. Cap. II. Aretæus Libr. I. Cap. VII. de ſign. & cauſſ. diut. morb. has reſolutionum nervorum tradit definitiones. *Apoplexia*, ſcribit, eſt totius corporis & ſenſus & mentis & motionis reſolutio. *Paraplegia* eſt tactus motusque in manu crureve remiſſio. *Paralyſis* eſt motus tantum actioniſque defectio. *Anæſtheſiam* potius, quam *pareſin*, vocari ſi nonnunquam ſolus tactus deficiat: *Pareſin* autem proprie eſſe urinæ in veſica aut ſuppreſſionem, aut retinendi impotentiam. *Lipothymiam* vel exanimationem eſſe genuum reſolutionem, ſenſusque per quicquam temporis ſublationem, quam corporis caſum inſequi.

habet convulſio, quæ ſi univerſi corporis, vocatur Epilepſia: ſi muſculorum mandibuli, unde dentium invita concuſſio, *Tryſmos*: ſi oculorum, ſtrabiſmus: ſi penis, priapiſmus vel ſatyriaſis. Torporem itidem putat de genere convenire cum paralyſi: eſſe enim levem quandam nervorum reſolutionem. Utut horum affectuum natura comparata ſit, non anxie anquiram: quoniam propoſitum eſt mihi in hoc volumine tradere, quæ ſenſibus potiſſimum obvia ſunt, omiſſo ratiocinativo dicendi genere, quod præcipue in abditarum cauſſarum indagatione eſt utile. Sed ad intermiſſam ſignorum traditionem me recipiam, neceſſe eſt.

§. 9. Celſus auctor idoneus literis prodidit, (38) quacunque parte corporis membrum aliquod reſolutum eſt, ſi neque movetur & emacreſcit, hoc in priſtinum habitum non reverti, eoque minus quo vetuſtius id vitium eſt, & quo magis in corpore ſenili eſt. Quinimo morbum mediocrem vix ſanari: vehementem autem ſanari non poſſe. Deinde omni reſolutioni nervorum ad Medicinam non idonea tempora eſſe hyemem & autumnum: poſſe autem aliquid ſperari Vere & æſtate. Oris tandem reſolutionem alvo cita finiri. Cætera, quæ huc ſpectant, tradentur fuſius Parte ſecunda hu- *Prognoſticum paralyſis.*

jus

(38) Libr. II. Cap. VIII. Aretæus autem citatus loco monumentis prodidit nervorum reſolutionem, ubi ab ingeniti caloris refrigeratione exorta, magis difficilem ad curandam, quam ubi ab animi pathematibus originem duxit. Immedicabilem itidem eſſe, quæ a vulnere nervique interciſione provenit.

I 5

jus operis, ubi hunc affectum ſpeciatim pertractabo.

Præſagia ſpaſmi futuri.

§. 10. De nervorum diſtentione, quæ etiam Spaſmus vel convulſio dicitur, heic quoque generatim dicam. In medium autem primo proferam affectus omnimodos prænuntiativos ſpaſmum antecedentes, vel prænunciantes eum brevi affore: quibus deinceps reliqua, ad prognoſin cumprimis pertinentia, ſubjungam, prout ea in mentem venerint. Minantur convulſionem faucium gracilium dolores ſuffocantes, præcipue vero ſi a capite originem ducunt. (39) Qui turbulente & confidenter admodum e ſomno exurgunt, præſertim vero ſi ſudarint, convulſione corripiuntur. (40) Eandemque in propinquo eſſe ſignificant dorſi cervicisque refrigerationes, quæ videntur totum corpus pertingere, quibus inſuper jungendæ urinæ ſpumantes, animi deliquium, oculorumque hebetatio. (41) Cubiti quoque & cervicis dolores ſpaſmum portendunt. (42) Item quæ ex lumbis in cervicem & caput redundant ac levis ſiderationis vel reſolutionis ſenſum inducunt, hæc & convulſionem minantur & mentis alienationem ſeu delirium. (43) Febricitantes, qui tenuiter cum

(39) Prædict. Libr. I. §. 104. & Coac. Prænot. §. 262. 268.

(40) Prædict. §. 112.

(41) Ibidem §. 113. Coac. Præn. §. 263. De urina ſcribit, ſi ea hordei toſti non exacte moliti craſſioribus fruſtulis ſimilia continet. Et §. 226. habet oculorum hebetationem cum animi defectione ſpaſmum portendere. Item §. 257. vocem acutam cum ejulatu ac oculorum obſcuritatem.

(42) Prædict. Libr. I. §. 114. Coac. Præn. §. 270.

(43) Prædict. §. 118. Coac. Præn. §. 313.

cum capitis dolore & alvo intercepta exudant, ad nervorum diſtentionem ſunt proni. Eadem mulierum, quæ vitio locorum ſine febre ceciderunt, conditio eſt. Veſica item intercepta, privatim vero cum capitis dolore, convulſionem prænunciat. (44) Item corporis motio, jactatio ac turbulentus ſomnus in malis præcipitibus: ſic etiam deſipientia cum ſopore: nec non tumores ventris, qui præter rationem in morbis longis fiunt: item crebræ in phreniticis permutationes: item ubi febris acuta cum alvo ſuppreſſa, & pervigilio, & calcium jactatione, colorisque in ruborem mutatione in pueris præſto eſt, metuenda nervorum diſtentio eſt. Quos graves & acuti capitis dolores cum torpore & gravitatis ſenſu corripiunt, ii ad convulſionem proclives. (45) Inducit etiam ſpaſmum larga ſanguinis e naribus eruptio per vim ſuppreſſa, quam ſanguinis miſſio tollit. (46) Convulſio portenditur, ſi in tremulis & anxiis parvi pone aures tumores oborti, & alvus inſimul male affecta fuerit. (47) Nervo præciſo ſupervenire ſpaſmus ſolet, & vehemens inflammatio. (48)

§. 11. Quantum vero ad prognoſin attinet, ſpaſmata quidem ſingula moleſta, atque in- *Prognoſtica convulſionis.*

(44) Coac. Prænot. §. 154. 177. 588. Prædict. §. 115. 119. 120.

(45) Coac. Prænot. §. 82. 84. 86. 101. Prædict. §. 28. Coac. §. 109. 171. 174.

(46) Ibidem §. 336. aliter legitur Prædict. §. 141. Nempe larga vehemens & multa ſanguinis e naribus eruptio, interdum ad convulſiones deducit, abs qua venæ inciſione liberatur æger.

(47) Coac. §. 353.

(48) De morb. Libr. 1.

intenſos circa initia dolores creant: graviſſima tamen & maxime periculoſa ſunt, quæ propter thoracem fiunt. (49) Suſpectam facit convulſionem lumborum capitis ac oris ventriculi dolor cum valida excreatione. (50) Melius tamen eſt febrem convulſioni, quam convulſionem febri, ſupervenire. (51) Spaſmum enim derepente obortum febris ac alvi fluxus ſolvit. (52) Eos, qui quartanam habent, convulſio fere non adoritur. Quod ſi hac correptis quartana ſuperveniat, liberantur. (53) Ita etiam fœminarum purgationes, ſi circa initia, ſine febre appareant, convulſionem ſolvunt. (54) Bonum itidem eſt, ſi convulſioni ex partu obortæ febris ſuccedat. (55) Faciles habentur convulſiones mulierum, quæ vulvæ ſtrangulatu ſine febre laborant. (56) Equidem ſpaſmus febrim inſequens periculo non caret, minus periculoſus tamen eſt pueris. Quid? quod adulta ætate pueri, quique ad ſeptimum & plures annos pervenerunt, raro in febribus convulſione corripiantur: Sin vero ea in illos ingruit, quod uſu aliquando venit, ſolet tunc peri-

(49) Coac. §. 425.

(50) Ibidem §. 320. & Prorrhet. Libr. I. §. 106.

(51) Aphor. Libr. II. §. 26.

(52) Coac. Prænot. §. 358. Ab initio hujus paragraphi ſcribit convulſionem ſolvit febris acuta, quæ prius non aderat: aut ubi prius adfuit, ingraveſcens. Et §. 354. & Aphor. IV. §. 57. ſpaſmo & tetano febris ſuccedens utrumque ſolvit. Et Libro de Judicat. in fine addit febrem eodem die, aut poſtero aut tertio deſinere. Idem de loc. in hom. & Libr. I. de morb. & Coac. §. 157. 156.

(53) Aphor. Sect. V. §. 70.

(54) Coac. Præn. §. 331.

(55) De morb. Libr. I.

(56) Coac. Prænot. §. 554. 349.

periculum minari. (57) Malum quoque portendit convulſio cum febri acuta. (58) In primis vero ubi circa viſcera dolores vehementes fuerint. (59) Malum etiam eſt, ſi in febribus ex ſomno pavores aut convulſiones oboriuntur. (60) Ubi tremoribus convulſio cum ſudore accedit, ea morbum fore recidivum denuntiat. In his judicationem facit novus ſubinde rigor, qui prius ardore circa ventrem oborto provocatur. (61) Malum eſt, ubi a vigilia convulſio aut delirium oritur. (62) Quibus in convulſionibus oculi fixi immotique ſplendent, iis mens non conſtat, & diutius morbum trahunt. (63) Quæ in modum convulſionis cum catocho affligunt, ea abſceſſus juxta aures excitant. (64) Inter mala ſigna refertur, ſi ab ardoribus vehementibus convulſio aut tetanus exoritur. (65) Malum etiam eſt, ubi in convulſione impotentia loquendi multum & diu perſeverat; quæ vero pauliſper durat ſyderationem aut linguæ, aut brachii, aut eorum, quæ in dextra parte ſunt, denuntiat. Solvitur autem magna urinarum confertim & derepente prodeuntium copia. (66) Malum ſignum eſt, ſi a purgantis potione convulſio

(57) Coac. Præn. §. 356. 357. item Libr. Prænot. grandiores pueri, & viri non tam prompte in febribus ſpaſmo corripiuntur, niſi peſſimum ſignum aliquod ex his, quæ in phrenitide eveniunt, adfuerit.

(58) Ibidem §. 269.

(59) Aphor. Sect. IV. §. 66.

(60) Ibidem §. 67.

(61) Prorrhet. Libr. I. §. 105. & Coac. Præn. §. 348.

(62) Aphor. Sect. VII. §. 18.

(63) Prædict. Libr. I. §. 124. Coac. Præn. §. 351.

(64) Prædict. §. 161. Coac. Præn. 352.

(65) Aphor. Sect. VII. §. 18.

(66) Coac. Præn. §. 359.

vulſio oritur: (67) vel ſi eadem purgationi immodicæ, aut ſi ſingultus, ſupervenerit: (68) Lethalis vero cumprimis convulſio habetur, quæ ex epoto veratro ortum duxit. (69) Mortifera etiam convulſio, quæ vel vulneri ſupervenit, vel ſanguini abundanter effuſo. Singultus ſupervenientis eadem ratio eſt. (70) Pariter ſe habet profluvium fœminarum, cui ſi vel ſpaſmus vel leipothymia ſupervenerit. (71) Non melioris notæ eſt, ubi teſtis dexter frigidus & ſpaſticus. (72) Convulſio inſanientibus accedens oculorum obſcuritatem inferre ſolet. (73) Inter omnimodos corporis affectus, quibus dentientes vexantur, & quos Hippocrates (74) memorat, refertur Convulſio. Hæc eos in dentitione corripere ſolet, quibus bona corporis habitudo videtur permanere, quique gravi ſomno premuntur. E contrario quibus alvus crebrius ſubducitur, vel qui febrem acutam, ubi dentiunt, nanciſcuntur, hi raro convulſione corripiuntur. Et quamvis ſpaſmo corripiantur, tamen non omnes moriuntur, verum plerique ſervantur. (75) Nam pueri propter nervoſi generis imbecillitatem ad convulſiones ſunt maxime proclives. Quo facilius itaque hoc malum ex levioribus occaſionibus iis accidit, eo minus id periculoſum eſt. (76)

§. 12.

(67) Aphor. Sect. VII. §. 25.
(68) Sect. V. Aphor. IV.
(69) Ibidem §. 1. & Coac. Præn. §. 567.
(70) Ibidem §. 355. Aphor. Sect. V. §. 2. 3.
(71) Ibidem §. 56.
(72) Ibidem Sect. VIII. §. 11.
(73) Coac. Præn. §. 485.
(74) Sect. III. Aphor. XXV.
(75) Vide ejuſdem Librum de Dentitione.
(76) Galenus in Libr. I. Hipp. de morb. vulg. Comm. II. §. 24.

§. 12. Inter actiones voluntarias læſas locus eſt etiam torpori, qui levis quædam paralyſis eſt: (77) vel affectus medius reſolutionem inter & valetudinem integram. (78) Hunc Hippocrates (79) jubet a Medico obſervari, cujuſmodi utpote ſit, & ex quibus fiat, & quales ſit ei, cui coxa dolet. Etenim in coxæ doloribus ſi vehemens torpor eſt, frigeſcitque crus & coxa, alvusque niſi coacta non reddit, idque quod excernitur mucoſum eſt, jamque ætas ejus hominis quadrageſimum annum exceſſit, is morbus erit longiſſimus. (80) Æque magnum malum eſt ubi torpor atque prurigo pungens pervagatur, modo per totum caput, modo in parte, aut ſenſus alicujus ibi quaſi frigoris eſt, eaque ad ſummam quoque linguam perveniunt. Hujus mali auxilium eſt in abſceſſibus. (81) Malum etiam denuntiat torpor in contraria celeriter permutatus. (82) Idem ut & ſtupor, qui præter conſuetudinem eveniunt, futuram ſyderationem portendunt. (83) Stupor membrorum inferiorum prodromus eſt podagræ & obſtructionis nervorum. Cui accidit interdum membrorum torpor, is vel ſubito morietur, vel ex alterutrius lateris reſolutione laborabit. (84) Cæ-

Torporis, ſtuporis.

(77) Idem de cauſſ. Sympt. Libr. II. Cap. II.

(78) Idem de loc. affect. Libr. II. Cap. III.

(79) Libr. VI. Sect. VI. §. 13. de morb. vulg.

(80) Celſus Libr. II. Cap. VIII.

(81) Idem loc. cit. & Hippocr. Prædict. Libr. II. §. 26.

(82) Hippocr. Coac. Prænot. §. 56.

(83) Ibidem §. 476.

(84) Rhaſis Aphor. Libr. I. §. 21, 22.

Cæterum Cous noſter tradit, (85) torpori modico vim eſſe dolores ſolvendi. Nimirum huic, quem affuſa multa frigida membris dolentibus intulit.

Palpitatio, tremor, rigor, horror, &c. quid?

§. 13. Cognatione cum tremore conjuncta eſt palpitatio. Haud diſſimiles natura inter ſe ſunt & palpitatus, & rigor, & horror, & refrigeratio: in ſingulis tamen quædam differentia eſt. Namque palpitatio eſt partis cujuſdam diſtenſio ac remiſſio quædam præter naturam alterne peracta: & tremor eſt facultatis debilis affectus, in quo pars quædam ſurſum ac deorſum fertur viciſſim citra diſtenſionem ac contractionem. (86) Sic rigor eſt refrigeratio dolenter invadens, cum inæquali quadam ac involuntaria totius corporis agitatione & concuſſione. Horror eſt tantummodo cutis concuſſio. Refrigeratio autem ſingillatim conſiderata eſt ſenſatio frigoris ſine involuntaria partis alicujus motione. (87)

Prognoſtica partium quarundam palpitatus.

§. 14. Quod ad doctrinam de ſignis attinet, Hippocrates de palpitatione ſcribit (88) an ii, quos palpitatio in totum occupat, voce deſtituti moriantur. Dolores circa umbilicum cum palpitatione quandam mentis alienatæ ſignificationem præbent. (89) Palpitatio, quæ circa ventrem contingit cum præ-

(85) Aphor. Sect. v. §. 25.

(86) Galenus de palpit. trem. &c. Cap. IV.

(87) Ibidem Cap. XI. N. Celſus Libr. III. Cap. III. Frigus vocat, ubi extremæ partes inalgeſcunt: horrorem, ubi totum corpus intremit.

(88) Coac. Præn. §. 347. & Prorrhet. Libr. I. §. 30.

(89) Ibidem §. 36. & Coac. prænot. §. 300.

præcordiorum diſtenſione oblonga & tumente, ſanguinis eruptionem indicat, idque interdum cum adjuncto horrore. (90) Ubi univerſum corpus palpitat vel tremit, ſignum hoc eſt vaporibus vel humoribus craſſis corpus abundare. (91) Avicenna (92) addit apoplexiam denunciari, ut & tetanum. Ubi palpitatio in hypochondriis perſeverat, Melancholiam & Epilepſiam: ubi in facie, ſpaſmum: ubi ſub oſſibus thoracis, abſceſſum iſtic loci ſignificat. Ubi venæ pulſant, & facies bene conſtituta, præcordia haud mollia; ſed ſublata, indicant morbum fore diuturnum. (93)

§. 15. Tremores; qui mente alienatos inſequuntur, malignitatem denunciant. (94) Tremori juxta & convulſioni obnoxii ſunt phrenitici, qui parum bibunt, quique ex levibus ſtrepitibus facile irritantur. (95) Quid? quod vehemens phrenitis deſinit tremiſcente ægro: (96) Imo in intenſa phrenitide tremores habentur lethales. (97) Tremuli intereunt, quibus vox cum febre ſine criſi deficit. (98) Tremores ſenioribus in febre ſubinde Tremoris;

(90) Prorrhet. §. 144.

(91) Rhaſis Libr. I. Aphor. XVIII. Et Libr. V. Aphor. VIII. ſcribit corporis dolores & cordis palpitationem, a ſomno ſurgentem invadentes, humorum multitudinem, & ſignum mortis ſubitaneæ ſuppeditare.

(92) Libr. III. Fen. II. Tract. I. Cap. XIIX. Nota. Vocabulum *Achtalegi*, quod penes Avicennam & Rhaſin occurrit, interpretes Latine reddiderunt *ſaltum*: idem tamen affectus hic eſt, ut ex deſcriptione ejus apparet, quem Græci παλμὸν: Latini vero palpitationem appellant.

(93) Hippocrates Libr. de Indicationib.

(94) Idem Prædict. Libr. I. §. 14. & Coac. Prænot. §. 88. 93.

(95) Idem Prædict. §. 16. Coac. Præn. §. 96.

(96) Idem Prædict. §. 9.

(97) Idem Coac. Præn. §. 97.

(98) Ibid. §. 247. Præd. §. 95.

inde contingunt; qui ubi apparent, indicium eſt calculum fortaſſe per urinas excretum iri. (99) Tremores parvi & ærugini ſimilis vomitio in angina vel faucium inflammatione perniciem minantur. (100) Metus eſt ne melancholici tremuli ſalivoſi phrenitici evadant. (101) Tremore ſine judicatione in febricitantibus conquieſcente, in iis ſucceſſu temporis abſceſſus cum dolore ad articulos decumbunt, & veſica dolet. (102) In iis, qui manus habent tremulas cum capitis cervicisque dolore ac levi ſurditie, nigrorum excretiones exſpectare & ſuſpectas oportet habere. (103) Manus tremulæ in febri intermittente correptis præſagiunt futuram narium hæmorrhagiam: in acutis vero morbis delirium aut ſpaſmum, præſertim vero in iis, qui athletarum corporis conſtitutionem habent. (104) Quibus in febre ardente tremores fiunt, delirium ſolvit (105) Æſtivæ quartanæ ſi calor & tremor eſt, ſaluti delirium eſt. (106) In ſumma tremor, niſi bona ipſi criſis præſto fuerit; in ſignis malis annumeratur. (107) Eoque majus periculum denunciat, quo magis gravioribus ſymptomatibus junctus. Qui vero poſt criticam humorum ab interioribus ad muſculos expulſionem evenit, præcedentibus coctio-

(99) Coac. prænot. §. 590.
(100) Ibidem. §. 62.
(101) Ibidem. §. 94.
(102) Ibidem. §. 141.
(103) Prædict. Libr. I. §. 95.
(104) Idem de rat. vict. in morb. acut.
(105) Idem aphor. Sect. VI. §. 26.
(106) Celſus Lib. II. Cap. VII.
(107) Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XIV.

ctionis ſignis, vix quippiam mali indicare ſolet. (108)

§. 16. Quantum ad rigores pertinet, Hippocrates memoriæ prodidit (109) eos in mulieribus a lumbis incipere magis, perque dorſum deinceps ad caput ferri: in viris poſteriore magis, quam anteriore corporis parte, velut ex cubitis ac femoribus. Sin vero aliunde riget quiſpiam, forte ex ulceribus vel ex vaſis rigorem inchoare. Imo rigorem ex ſuperioribus ventris partibus: at febrem ex inferioribus fere ortum ducere. (110) Quod vero ad præſagia ſpectat, rigorem ac delirium a multo potu, malum eſſe pronunciat. (111) Malum eſſe, ubi urinæ cum rigore reſtiterint, has enim convulſionem portendere; in primis vero ſi æger antea alto ſopore fuerit detentus. Sperandos in tali caſu abſceſſus ad aures. (112) Quibus rigor adeſt, iis urinam reſtitare. (113) Rigorem enim urinarum ſuppreſſiones præcedere ſolere. (114) Eos, qui ſubinde rigore prehenduntur, & noctu aliquanto gravius ſe habent, pervigiles in ſomno nugantur aut delirant, ad convulſionem tendere. (115) Rigorem, qui cum criſi fit, metuendum. (116) Affectus, qui ad Rigoris;

(108) Sennert. Inſtit. Libr. III. Part. III. Cap. V.

(109) De morb. Vulg. Libr. VI. Sect. III. §. 15. & Libr. II. Sect. III. §. 7. & Aphor. Sect. V. §. 69.

(110) De morb. Vulg. Libr. VI. Sect. V. §. 29.

(111) Sect. VII. Aphor. VII.

(112) Coac. Prænot. §. 25. Prædict. Libr. I. §. 155.

(113) Ibid. §. 110. Coac. Prænot. §. 29.

(114) De Morb. Vulg. Libr. VI. Sect. I. §. 9.

(115) Prædict. §. 101. Coac. Prænot. §. 20.

(116) Ibidem. §. 107. Coac. præn. §. 321.

ad intenſos rigores tendunt, non niſi prope vigorem miteſcere. Quibus rigores fiunt, in iis nihil fere abſcedere. (117) In rigore familiares non agnoſcere, & anteactorum oblivisci, malum indicare. (118) Rigores cum æſtu quoddam periculum denunciare: malum autem ubi facies incenſa cum ſudore. (119) Continuum ac jugiter vexantem rigorem, in corpore viribus fracto, lethalem eſſe. (120) Qui crebro tenuiter exudant, ac ſubinde rigent, eos male habere ſe, & tandem ſub mortem quoddam ſuppuratum, & alvum conturbatam habentes deprehendi. (121) Rigores, qui ex dorſo proveniunt, graviores eſſe & moleſtiores. Ubi vero aliquis decimo ſeptimo die rigore correptus, & vigeſimo quarto inſuper riguerit, hunc moleſte ſe habere. (122) Rigores multo cum torpore, maligni aliquid portendere. (123) Rigores, qui in ſextum diem incidunt, judicatu difficiles. (124) In præcipitibus malis rigores crebros, malo eſſe. Ex rigore virium diſpendium cum capitis dolore, perniciem minitari: cruentas in his urinas malo eſſe. Ex

(117) De Morb. Vulg. Libr. VI. Sect. I. §. 8. 10.

(118) Prædict. §. 64. Coac. præn. §. 6.

(119) Ibidem. §. 67. Aſt coac. §. 7. Scriptum eſt rigores cum ſopore &c.

(120) Coac. Præn. §. 9. Paulo aliter hoc enuntiatum legitur Aphor. Sect. IV. §. 46. Si rigor incidat febri non intermittenti, debili jam exiſtenti ægro, lethale.

(121) Coac. Præn. §. 10.

(122) Ibidem §. 11.

(123) Ibidem §. 14. Et Prorrhet. Libr. I. §. 35. Ubi rigori torpor ſuccedit, mentis alienationem ſignificari. Et §. 13. Si phreniticis rigor contingat, peſſimum eſſe.

(124) Coac. Præn. §. 15. Aphor. Sect. IV. §. 29. Idem ſcribit de febribus, quibus rigores ſexta die accidunt.

Ex rigore virium diſpendium cum capitis dolore, perniciem minitari: cruentas in his urinas malo eſſe. Rigorem cum poſteriorum partium diſtenſione eſſe mortiferum. Rigores, qui in febribus ad naturam tertianarum accedentibus in medio ingraveſcunt, febre nullum ordinem ſervante, malignos admodum eſſe. Qui ex rigore virium imminutionem ac capitis dolores ſentiunt, eos vitâ periclitari. In his etiam urinam cruentam malum denunciare. (125) Ex rigore refrigerationes, quæ ad calorem non revocantur, malas eſſe. (126) Nihil boni eundem ſignificare in febricitantibus & laſſitudine affectis, ubi unà oculi pervertuntur. (127) De cætero rigor diu durans morbum longum: ex adverſo rigor brevis temporis morbum acutum ſignificat. (128) Rigor in febribus malignis ſæpe revertens cum functionum debilitate lethalis. (129) Enimvero rigor functiones læſas & calidi innati imminutionem, corporisque ſiccitatem inſequens, mortem minitatur. (130) Licet rigor plurimum, ut ex ante memoratis apparet, aliquid periculi portendat, non tamen omnis eſt exitioſus. Namque is, qui febri, imo & ardenti, ſupervenit, ſolutionem ſignificat, & tum eum ſolet ſudor ſubſequi. (131) Quinimo quibus in

(125) Coac. §. 21. 22. 23. 26. 28.

(126) Prædict. §. 65.

(127) Ibidem §. 89. & Coac. Præn. §. 221.

(128) Avicenna Lib. IV. Fen. I. Tract. I. Cap. IV.

(129) Ibidem Fen. II. Tract. I. Cap. LXIII.

(130) Ibidem Fen. I. Tract. II. Cap. VI.

(131) Hippocr. Sect. IV. aphor. LVIII. & Libr. de criſib.

in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie etiam febres ſolvuntur. (132) Sic etiam in febribus continuis exacta bona criſi rigor & horror ſanitatis redintegrationem indicant. (133)

Horroris. §. 17. Sequuntur præſagitiones morborum tum in deteriorem tum meliorem in ſtatum vergentium, ex horrore deſumptæ. v. g. Horrores crebri ex dorſo, locum ſubinde mutantes, & graves ſunt & difficiles. Minantur quippe laborioſam urinæ ſuppreſſionem: peſſimum autem eſt, ubi æger tenuem ſudorem ſudat. (134) Capite ægri, qui perſæpe inhorreſcunt, ac tenuibus ſudoribus obnoxii, maligne habent ſe. Etenim, qui ſubinde horrore tenuique ſudore corripiuntur, ii morbo laborant difficili. Ubi horror in malis cum anhelatione ſubinde incidit, tabem futuram ſignificat. Qui frequenter inhorrent, ac jugi corporis agitatione cum laſſitudinis ſenſu, lumborumque dolore conflictantur, in iis ventres exonerantur. Quibus, dum inhorruerint critici inſimul ſudores contingunt, poſtridie vero, ſi horror reverterit & pervigiles ſint, in his hæmorrhagiam narium ſperare oportet. (135) Qui horrore identidem corripitur, ad ſuppurationem devenit. Quin etiam febris talem ad ſuppurationem ducit. (136) Horror

a

(132) Ibidem aphor. LXIII.
(133) Avicenna Libr. IV. Fen. I. Tract. II. Cap. VI. Conſtant. Apher. loc. Med. Libr. X. Cap. XI.
(134) Hippocrates Coac. Prænot. §. 8. 46. & Prædict. Libr. I. §. 75.
(135) Coac. Præn. §. 12. 13. 17. 19. 24. & Prædict. §. 149.
(136) Coac. Præn. §. 422.

a ſudore minime bonus. (137) Bonus tamen habetur, qui poſt exinanitionem accidit. (138) Ita etiam ſubitus horror febrem ardentem, quam Græci καυσώδην vocant, exolvit. (139)

Et algoris, alias *perfrictionis.*

§. 18. Pervenimus tandem ad algorem, quem Graji καταψύξιν nominant. Ex algore metus animique abjectio præter rationem, nervorum diſtentionem portendunt. Ex algore urinarum retentiones, peſſimæ. (140) Qui ex ſudoribus perfrigent, ac celeriter rurſus incaleſcunt, ii male ſe habent. (141) Malum vero tum impendet, ſi accedat lateris æſtus cum dolore, & ſubinde rigeant. (142) Ubi aliquis poſt hæmorrhagiam narium ex tenuibus ſudoribus perfriget, morbi perniciem ſignificat. (143) Si quando in diebus criticis univerſum corpus perfrixit, cum angore & corporis inquietudine, & ſi ſine ſudore fuit, periculum portendit: In primis vero ſi ei rigor ſupervenerit. (144) Sic etiam frigus a dolore acerbo partium circa ventrem extremarum obortum, malum indicat. (145) Malum itidem, ubi caput manus & pedes frigent, ventre & lateribus calentibus. (146)

§. 19.

(137) Idem Sect. VII. aphor. IV. Celſus Libr. II. Cap IV.

(138) Avicenna Lib. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXV.

(139) Celſus Lib. II. Cap. VIII.

(140) Coac. Præn. §. 4. 5. Prædict. §. 51. Non univerſalem, ut jamjam ſcripſi, ſed ſingularem huic enuntiato tribuit ſignificationem; addit enim in *præcipitibus malis.*

(141) Coac. Præn. §. 52.

(142) Prædict. §. 66.

(143) Ibidem §. 126. Coac. Præn. §. 40.

(144) Ibidem §. 61. Coac. Præn. §. 38.

(145) Aphor. Sect. VII. §. 26.

(146) Libro Prænotion. & Celſus Libr. II. Cap. IV.

Geſticulari quale ſignum.

§. 19. In diſcrimen vitæ plerumque veniunt ægrotantes, qui geſticulantur: ſcilicet qui manibus in febre & acuto morbo, vel inſania, pulmonisve dolore vel capitis, in veſte floccos legunt, fimbriasve deducunt: vel in adjuncto pariete, ſi qua minuta eminent, carpunt. (147) Intra XV. dies moriturum, ſcribit Rhaſis, (148) qui citra rationem prenſaverit, ac cui videntur mortui apparere. Suggerit manus motio & alia ſigna. Exempli cauſſa pueri ſi nares crebrius fricarint, vermium id indicium eſt. Si quis peni manum continenter admoverit, vel eundem fricaverit, inter calculi ſigna hoc refertur. Inordinata manuum commotio in febribus acutis delirium aliaque mala portendit. (149)

Significatio oſcitationis, pandiculationis.

§. 20. In genere motuum corporis inordinatorum, præter modo dicta, a Galeno (150) collocantur oſcitatio, pandiculatio, ſingultus, ructus, tuſſis, ſternutatio, dentium ſtridor, pruritus; quibus adjungo titillationem. De ſingulis breviter dicam. Oſcitatio maxillæ muſculorum, at pandiculatio plerorumque omnium corporis muſculorum diſtenſio eſt. In ſanis ſigna ſomnolentiæ ſunt, vel ſomni nondum abſoluti. Ubi adfuerit permutatio caloris cum frigore, ſignum hoc non adeo malum eſt: ſignificat enim

(147) Ibidem, & Celſus Libr. II. Cap. VI. Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. I.

(148) Aphor. Libr. V. §. 24.

(149) Fienus Semiot. Part. II. Cap. VI. §. 6.

(150) Libr. II. Cap. I. de ſympt. cauſ.

enim non poſſe fieri materiæ abundantis reſolutionem, niſi muſculorum villi in hac re adjuvent. In ſanis ſi oſcitatio multa citra cauſſam ſonticam accidat, malum minatur. (151) Oſcitatio, ſomnolentia, mentisque ſegnities invadit nonnunquam eos, qui comederunt, quæ ad ventris victum haudquaquam conducunt. (152) Oſcitatio ſolet quoque acceſſum febrium intermittentium præcedere; qua de cauſſa acceſſionem morbi prænunciat. (153) Oſcitatio in enixu lethalis eſt. (154) Cæterum, oſcitationem aſſiduam longa reſpiratio, i. e. ſpiritus, quoad fieri poteſt, cunctatio, ſanat. (155)

§. 21. Ita comparata eſt ſingultus natura, ut convulſionis: hæc muſculorum; ille ſtomachi affectio eſt. (156) Imo ſingultus ſtomachi convulſio eſt. (157) Singultus ſanguini multo effuſo vel purgationi immodicæ ſuperveniens, malum (158) A vomitu ſingultus rubrique oculi, malum. Eadem ratio eſt ſingultus, aut convulſionis, aut delirii, aut vomitus poſt Ileum: item ſi ſingultus jocinoris inflammationi, (ſolet enim nonnun- Singultus.

(151) Avicenna Libr. I. Fen. II. Doctr. II. Cap. XIII. & Libr. IV. Fen. II. Doctr. I. Cap. LVI.

(152) Hippocr. de Priſc. Medic.

(153) Idem de Flatib.

(154) Plinius Hiſt. Nat. Lib. VII. Cap. VI.

(155) Hippocr. de morb. vulg. Libr. II. Sect. III. §. 4. Et Libr. VI. Sect. II. §. 9. additur ſupradictis. *At eorum qui non bibunt, aut vix quidem, brevis reſpiratio.* Et Sect. VII. Aphor. 56. tradit, Vinum pari aquæ portione dilutum, non modo oſcitationem, ſed & anxietatem & horrorem ſolvere.

(156) Galenus in aphor. III. Sect. VII.

(157) Idem in Aphor. IV. Sect. V.

(158) Hippocr. Aphor. III. IV. Sect. V. Avicenna Libr. III. Fen. XVI. Tract. I. Cap. II.

nunquam) & ſenioribus nimium purgatis, ſupervenerit. (159) Ubi alicuipiam abſceſſum in dextro latere habenti ſingultus acciderit vehemens, is animam ante ſolis exortum efflabit. (160) Quin etiam ſingultus in catocho, aut animi deliquio, aut tetano, obortus, mortem non longe abeſſe prænunciat. (161) Sic etiam ſingultus, qui in iis, qui frigidam nacti intemperiem, eduliisque frigidis uſi, obortus, peſſimus habetur. (162) Attamen, quomodocunque dicta ſint, ſternutatio ſingultui ſuperveniens, ſolvit hunc. (163)

Ructuum. §. 22. Ructuum duo genera potiſſimum a Galeno (164) memorantur, alterum acidum, alterum nidorem præ ſe ferre. Avicenna, (165) qui ſolenne habet artis theoremata mirum in modum multiplicare, mentionem facit de ructu acido, fœtido, fumoſo, rancido, lutoſo, putrido. *Helmontius* (166) quadruplicis generis ructus commemorat, ut ſingularem (1) ex cibo indigeſto oriundum: (2) inſipidum ex digeſtione debilitata natum: (3) acidum: (4) ponticum. Verum miſſis hujusmodi ructuum ſuas in ſpecies par-

(159) Ibidem Sect. VI. §. 3. 10. 17. Sect. V. §. 58. Sect. VII. §. 41.

(160) Avicenna Libr. III. Fen. XIII. Tract. V. Cap. XIX.

(161) Ætius Tetr. III. Serm. I. Cap. V. Et Rhaſis ad Manſor. Libr. I. diviſ. Cap. LXII. *Et ſit ſingultus accidens poſt diariam & debilitatem, & ſolutionem ventris & reliquas evacuationes, & plurimum ejus curationem non habet & eſt ſignum malum.*

(162) Conſtant. Afer. loc. com. Libr. IX. Cap. XXVII.

(163) Hippoc. Sect. VI. Aphor. XIII. Et Celſus Libr. II. Cap. VIII. Singultus ſternutamento finitur.

(164) Libr. I. Cap. IV. de loc. affect.

(165) Libr. III. Fen. XIII. Tract. I. Cap. XVII.

(166) Libr. de Flatib.

partitionibus, tradam quid rei quisque ſignificet. Sciendum itaque eſt ructus omnifariam ratione rerum aſſumptarum oboriri. v. g. radicula vel raphanus alius generis ructus movet, quam ova fricta: alios aromata, quam ſulphur. &c. Et hos, cujusquemodi fuerint, vix quicquam notatu dignum ſignicare. Verum ructus, qui ſine talium uſurpatione proveniunt, indicant cibum aut coacuiſſe, aut computruiſſe. (167) Ructus acidi contingunt nonnullis poſtridie, quibus per noctem ſecretio fit ex plenitudine. His confert exercitatio plurima, ut & porrum, quod ructus acidos ſedat. (168) Ubi ructus injucundus, manifeſte corruptionem factam indicans, ad vomitum citra cunctationem veniendum eſt. (169) In lienteria ructus acidus, qui antea non aderat, ſuperveniens, bonum ſignum eſt. (170) Quin & hanc commoditatem conſequuntur acidum ructantes, ut pleuritidi non admodum ſint obnoxii. (171) Ructus fœtidi frequentiſſime malæ indolis ſunt. (172) Quinimo & hi ſæpenumero exulceratione hepatis laborantes, ceu ſymptoma, comitantur: in quo affectu tamen curando omnes ſpes conciderunt. (173)

§. 23. De flatibus Hippocrates paſſim mentionem facit. Scribit autem (174) eos, qui Flatuum.

(167) Celſus Libr. IV. Cap. V.

(168) Hippocrates Libr. III. de Vict. Rat.

(169) Ætius Tetr. III. Serm. I. Cap. XXIV.

(170) Ibidem Cap. II. & Hippocr. Sect. VI. aphor. I.

(171) Ibidem aphor. XXXIII.

(172) Etmullerus in Colleg. Practic. Cap. VI.

(173) Ætius Tetr. III. Serm. II. Cap. VI.

(174) De morb. vulg. Libr. VI. Sect. III. §. 9.

qui ſcapulas habent prominentes alarum inſtar, eſſe flatibus maxime obnoxios. Et qui flatibus conflictantur cum molli præcordiorum dolore, & neutrius lateris diſtenſione, iis ſuperne in dextris rotundum quiddam, ac circumferentiam quaſi aliquam pure plenam eſſe. Id ipſum modo valde extenſum eſſe, modo diffuſum, interdum etiam deorſum vergere, & utrimque juxta umbilicum diſtenſionem efficere. Ubi flatus in ea, quæ ſurſum fit in directum latione, in rotundo quodam concludatur, & velut comprehendatur, eum tunc ſine judicatione calore attenuari. Quod ſi iſtud effugerit, eum ad ſuppurationem tendere. (175) Quantum autem attinet ad ſpiritum, qui ex inferiore parte tranſmittitur, eum optimum judicat, qui ſine ſonitu eliditur. Præſtare tamen ſtrepitu tranſmitti, quam iſthic revolvi aut condi. Quod ſi ita prodeat, ſignum hoc eſſe, ægrum dolore aliquo torqueri, aut delirare, præterquam quod is ſponte ſua talem eliſerit. (176) In febribus, alvo a flatibus diſtenta, ſpiritum non infra tranſmitti, malum eſſe. (177)

Tuſſis, §. 24. Quamquam tuſſis cujusvis ætatis homines ingruat; maxime tamen ſolet ea corripere & infantes & ſenes. (178) Eadem & anni temporum ratio eſt: ex quibus tamen cum maxime æſtas ſicca, aquilone: & hyems, in primis auſtro flante, apta ſunt tuſſim indu-

(175) Ibidem Libr. II. Sect. III. §. 4.

(176) Libro Præn. & Coac. Præn. §. 495.

(177) Coac. Prænot. §. 44.

(178) Hippocr. Sect. III. Aphor. XXIV. XXXI.

ducere. Ubi craſſa copioſe ſcreanti febris ſuccedit, quinto fere die ceſſabit. (179) Tuſſis cum crebro ſputo abſceſſus juxta aures emollit. (180) Qui per acceſſus tuſſiunt, tenuesque ſudores habent, eorum conditio mala eſt. (181) Tuſſicula infantes ventris cum perturbatione & febre aſſidua corripiens; poſt judicationem indicat bimeſtri, in totum vigeſimo die, ad articulos etiam tumores fore. (182) Quibus in febri ardente tuſſis ſicca parum irritans, ii non admodum ſiticuloſi evadunt, neque eorum lingua exiccatur: ſi illa modo non a malignitate, ſed a vento fuerit oborta. Hujus indicium eſt, ubi aliquis vel loquendo, vel os aperiendo tuſſiverit. (183) Tuſſis, quæ laſſitudinis ſenſum infert, etiam partes læſas, præſertim vero articulos, contingit. In febribus cum laſſitudinis ſenſatione oritur etiam tuſſis ſicca, quæ, ſi intus relinquatur, una cum febre in articulis firmatur, i.e. abſceſſum quendam in his excitare ſolet. (184) In aqua inter cutem tuſſis ſpem tollit. (185) Mala tuſſis non eſt ſine ſcreatu. (186) Tuſſis frequens & diuturna perſæpe hæmoptyſin excitat: item in infantibus, quæ contumax & diutina eſt, herniam: in gravidis vero, abortum minitatur. Item periculoſa ea eſt, quæ in

(179) Idem Sect. III. aphor. V. XIII. XXIII. & de morb. vulg. Libr. VII. §. 66.
(180) Prorrhet. Libr. I. §. 167. Coac. Præn. §. 204.
(181) Coac. §. 112.
(182) De morb. vulg. Libr. VI. Sect. I. §. 15.
(183) Ibidem Sect. II. §. 16. & Sect. IV. aphor. LIV.
(184) De morb. vulg. Libr. VI. Sect. VII. §. 11.
(185) Aphor. Sect. VI. §. 35. VII. §. 47. & Celſus Libr. II. Cap. VIII.
(186) Conſtant. Afric. de morb. cogn. Libr. III. Cap. VI.

in ſenibus propter deſtillationes eſt. Febres, ſi quando tuſſi ſolvantur, tuſſi vero ſuperſtite, recidivæ plerumque ſunt. (187) Tuſſim diutinam teſtium tumores inſequentes, illam deſituram indicant: contingunt autem hi propter aliquod conſortium, quod teſtibus intercedit cum pectore. (188)

Sternutationis, §. 25. Pergo ad ſternutamentum, quod veteres habebant pro ſigno augurali, & uno ex ſpirituum omnium generibus ſancto ſacrove. (189) Imo pro Numine. (190) En rationem veteris inſtituti, cur ſternutamentis ſalutamur: quod etiam Tiberium, Cæſarem, triſtiſſimum, ut conſtat, hominem, in vehiculo exegiſſe tradunt. (191) Inter ſternutamenta tamen ea, quæ a media nocte ad meridiem uſque evenirent, damnabant: è contrario, quæ a meridie ad noctis medium, approbabant. (192) Medici itidem ex ſternutationibus varia ſigna depromſerunt. Et quamvis Celſus (193) ſternutamenta inter bona ægrotantium indicia generatim referat, & Hippocrates quoque aſſerat in maxime lethalibus morbis ſternutamenta utilitate non carere: tamen ſunt aliqui affectus, in quibus contrarium indicant, ut

(187) Sennertus Pract. Libr. II. Part. III. Cap. V. & Etmullerus Cap. XV. Colleg. Practic.

(188) Hippocrat. de morb. vulg. Libr. II. Sect. I. §. 7. & Haly Theor. Libr. X. Cap. II.

(189) Ariſtoteles de Hiſt. Anim. Libr. I. Cap. XI.

(190) Idem Probl. Section. XXXIII. §. 7. atque id, quia de capite membrorum præcipue divino, unde cogitatio eſt, principium ducit.

(191) Plinius Hiſt. nat. Libr. XXVIII. Cap. II.

(192) Ariſtoteles Probl. Sect. XXXII. §. II.

(193) Libr. II. Cap. III.

ut in omnibus pulmonis morbis gravedinem & ſternutationem, ſive eæ antecedant, ſive ſubſequantur, malum eſſe ſignum, idem Cous perhibet. (194) Sic ſternuiſſe a coitu abortivum. (195) Quid? aſſidua ſternutatio caput debilitat & valet hæmorrhagiam narium inferre: (196) ut & dolorem capitis & ſpirituum diſſipationem. Et ſi ea in morbis, v. g. in Apoplexia, ubi aliquando utilitatem affert, uſu rerum idonearum provocari nequit, ſignum hoc mortiferum eſt, & prodit Naturam ſuccumbere. Ita etiam ſternutatio in corpore plethorico morbi in principio cum deſtillatione juncta, mala habetur. (197) Quin etiam eadem oculis noxæ eſt: exempla quippe proſtant ob nimia ſternutamenta cæcitatem fuiſſe ſubinde obortam. (198) Cæterum, ut quædam ſingularia, quæ fauſta ægro ominantur, attingam, ſciendum eſt, ſternutationem mulieri locis laboranti, aut parienti difficulter, ſupervenire, bonum eſſe. (199) Sternutare in phrenitide, (200) inque abſceſſu capitis, ſalubre eſt. (201) Finitur etiam ſingultus ſternutamento ei ſuperveniente. (202) Et ut ſecundæ excidant res ſternutandi vi dotata naſo im-

(194) Libro Prænotion.

(195) Plinius Hiſt.Nat.Libr. VII. Cap. VI.

(196) Avicenna Libr. IV. Fen. I. Tract. II. Cap. XXIII.

(197) Sennertus Medic. Practic. Libr. I. Part. III. Sect. IV. Cap. IX.

(198) Etmullerus Colleg. Practic. Cap. XV.

(199) Hippocrates Sect. V. aphor. XXXV.

(200) Conſtant. Afric. loc. comm. Libr. X. Cap. XI.

(201) Avicenna Cantic. P. I. §. 464.

(202) Hippocrates Sect. VI. aphor. XIII. Celſus Libr. II. Cap. VIII. Avicenna Cantic. I. §. 482.

immittatur, hinc nares & os comprimantur, ſicque propter validam corporis commotionem, quam dicta res efficiet, ſecundæ de locis excident. (203)

Stridoris dentium,

§. 26. Ex dentium ſtridore Medici etiam capiunt ſigna vel præſagia varia. Ab Hippocrate (204) refertur inter ſigna conceptus. In febri correptis dentium ſtridor inſaniam ac mortem ſignificat, præterquam quod aliquis a puero ſtridere dentibus conſueverit. Quod ſi jam deliranti iſtud accidat, exitiale tum prorſus eſt. (205) Et alibi dentium ſtridor iis, qui, dum incolumes ſunt, ei non aſſueverunt, periculum denunciat. Et in his ſuffocatio valde prava eſt. (206) Inter ſommum dentibus ſtridere, unum hoc ex ſymptomatibus eſt, quod ſyderationem ſolet præcedere. (207) In pueris autem ſæpe ſæpius præſentiam lumbricorum prodit. (208) Summam præſagii tradit Avicen-

(203) Hippocrates Libr. v. aphor. xlix.

(204) Libro de ſuperfœt.

(205) Libro Prænotion. & Coac. Præn. §. 235. Galenus Comm. I. in Prognoſtic. Hippocratis. Cap. vii. §. 24. exiſtimat ita ex auctoris ſententia dicendum. *Stridere dentibus, quibus ab initio non erat conſuetum, futuri delirii accidens eſt. Si vero ægrum interdum viſitando offendas utrumque perpeti, utpote, & delirare, & dentibus ſtridere; hunc jam prope mortem eſſe arbitrare. Quocirca in priore ſermone cum nondum commotus mente ſtridebat dentibus æger; ſimpliciter id ipſum indicabatur duntaxat ut inſaniæ ac mortis judicium haberetur: ubi vero jam delirat pariter & ſtridet dentibus, in propinquo mors eſt.* Et Sennertus Pract. Libr. II. Part. I. Cap. xiii. addit, ſi ſtridor præcedat, maniam & mortem prædicere poteſt medicus: ſin vero antecedat delirium & ſequatur ſtridor, non ſemper malum exitioſum eſt: quoniam exoriri poteſt a facultate debilitata, & non ſemper propter cerebrum male affectum.

(206) Hippocrat. Prorrhet. Libr. I. §. 48.

(207) Æginet. Libr. III. Cap. xviii.

(208) Idem Libr. iv. Cap. lvii.

cenna (209) Stridor dentium, ſcribit, compluries uſu infantibus venit, qui autem, quando pubeſcunt, ceſſat. Ubi vero is multus fuerit in ſomno, portendit tum aut epilepſiam, aut apoplexiam, aut nervorum diſtentionem, aut vermes in ventre. Is vero, qui a vermibus eſt, fit intervallis.

§. 27. Medicinam facientibus quoque varia ſigna ſuppeditat pruritus. Hic affectus ſenibus nonnunquam familiaris (210) atque in his difficilis eſt curationis; ſiquidem valida medicamenta, quibus ſenes haudquaquam indigent, declinante facultate, haud ex uſu ſunt; neque fluxio, ob meatus induratos ac quadantenus præcluſos, prompte diſcutitur. (211) Et, ut quædam ad prognoſin ſpectantia attingam, pruritus ſcabiei futuræ plerumque eſt prodromus. Malus is eſt, in quo, dum quiſpiam ſcabit, ingentem perſenſerit voluptatem. (212) In tabido, ſi corpus ab alia ſuppreſſione pruritum ſentit, malo eſt. (213) Quibus torpor & prurigo pungens, modo per univerſum modo in parte capitis eſt, ac ſæpius frigoris alicujus ſenſus caput pervagari videtur, ab his oportet ſciſcitari, an ad ſummam linguam pertingat. Quod ſi ſic ſe habeat, morbus eſt magnus & vix medicabilis herbis. Ex adverſo, ſi aliter, ac dixi, fuerit, facilis, Pruritus.

(209) Libr. III. Fen. VII. Tract. I. Cap. XX.

(210) Hippocrates Sect. III. aphor. 31.

(211) Actuarius Method. Med. Lib. II. Cap. XI.

(212) Sennert. Pract. Libr. V. Part. III. Sect. I. Cap. VIII.

(213) Hippocrates Coac. Præn. §. 440.

cilis, & auxilio ipſis ſunt abſceſſus. (214) Quibus ſine febre aliqua ex parte dolor, aut prurigo cum rubore aut calore eſt, ibi aliquid ſuppurat. (215) Ubi pars quædam ex acuto morbo convaleſcentis prurit, iſtic loci abſceſſum aut puſtularum multitudinem fore indicat. (216)

Titillatus.

§. 28. Aliquando in corpore latet humor quiſpiam quodammodo acris leviter atque blande ſeu nervos ſeu membranam aliquam pungens, ac ſenſum titillatus corpori importans: Qui, cum adfuerit, in toto corpore præſagium futuræ nervorum diſtentionis eſt. Pari modo ſe habet frequens faciei titillatio, quæ ſpaſmum, vel capitis contorſiones portendere ſolet. Crebra autem titillatio ſub hypochondrio abſceſſum ſepti tranſverſi minatur. Tandem titillatus, qui ſomniculoſis accidit, paralyſin prænunciat. (217)

Vocis omnifariam prolatæ.

§. 29. Inter voluntarias hominis actiones a Medicis refertur etiam loquela, cui vox plurifariam flexa inſervit. Ex hac, prout aut debilis aut valida fuerit, Medici ſignum hauriunt vel imbecillæ vel firmæ corporis conſtitutionis. Magnam enim vocem habent, qui calore abundant. (218) Bonum iti-

(214) Idem Prædict. Libr. II. §. 27.

(215) Celſus Lib. II. Cap. VII.

(216) Haly Theor. Libr. X. Cap. III. Conſtantinus Afer. loc. Comm. Libr. X. Cap. III.

(217) Ibidem.

(218) Hippocrates de morb. vulg. Libr. VI. Sect. IV. §. 22. Avicenna Libr. I. Fen. 2. Doctr. III. Cap. III. in ſignis calorem in corpore exuperare indicantibus annumerat vocem fortem & gravem, & ſermonis velocitatem, ejuſdemque continuationem.

itidem ſignum in morbis habetur, ubi vox robuſta, grandis, conſtans, ubi ſermo fuerit ordinate prolatus: (219) e contrario, ubi ſubmiſſa, anguſta, tremula &c. vox fuerit, nota hæc corporis imbecillitatis eſt. Gravem & raucam vocem plerumque habent incolæ regionum, qui aëre impuro, ac aquis turbidis, utuntur. (220) Hæc generatim: ſpeciatim vero vox acuta clangori ſimilis malum ſignificat. (221) Eadem ejulationi ſimilis & oculorum obſcuritas convulſionem minantur. (222) Ubi vox ſtridula, in modum clangoris poſt vomitum anxiferum, & oculi ſqualidi & pulvere obſiti, inſaniam portendunt. (223) Eandem futuram prænunciant deſipientia cum voce ſtridula, & tremula linguæ convulſione: nec non vox ipſa tremula. (224) Acuta ubi vox in morbis redditur, ſignum eſt præcordia intro trahi. (225) Conſideranda eſt etiam vox confracta ſeu interrupta poſt medicamenti purgantis potionem, num malæ indolis ſit. Plerique enim, qui talem habent, tenuibus ſudoribus diffluunt, ac eorum alvus humida redditur. (226) In alvi ſolutione, quæ præter rationem accidit, quæque diutius perſeverat, ſi vox tremula adeſt, perniciem portendit. (227)

§. 30.

(219) Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. LII.

(220) Hippocrates Libro de aëre. aq. &c.

(221) Hippocrates Prædict. Libr. I. §. 47.

(222) Idem Coac. Præn. §. 257.

(223) Idem Prædict. §. 17.

(224) Ibidem §. 19.

(225) Ibidem §. 45.

(226) Idem Coac. Præn. §. 251.

(227) Ibidem §. 258.

Impotentiæ loquendi, & vocis defectus.

§. 30. Tradita vitiatæ vocis ſignificatione indicandæ ſunt loquendi impotentia vociſque privatio: illam Græci ἀναυδίην, hanc ἀφωνίαν vocant. Significat igitur impotentia loquendi multum ac diu in convulſionibus perſeverans, malum: quæ vero pauliſper durat aut linguæ, aut brachii, aut eorum, quæ in dextro latere ſunt, ſyderationem: quæ magna urinæ confertim & derepente prodeuntis copia aliquando ſolvitur. (228) Varias ob cauſſas homo vel aliud vivens poteſt voce privari. Sic is, cui cerebrum ex cauſſa quadam violenta concuſſum, ſolet confeſtim obmuteſcere: (229) Ex parte animalis vox perit, ſi alteruter ex nervis recurrentibus, alias vocalibus dictis, ipſi fuerit diſciſſus: aſt mutum prorſus evadet, ubi uterque horum præfectus. (230) Læditur quoque, imo deficit ſubinde penitus vox ob defectionem virium & alias cauſſas: quæ, cum uſu alicui venerit, ſolet eidem prout variis funeſtis ſymptomatibus fuerit ſtipata, plerumque aliquod vitæ periculum portendere. Sic inter peſſima ſigna refertur, ubi vox ſingultu, aut virium defectione præſente, defecerit. (231) Minatur etiam his perniciem vocis defectus, qui virium defectione, ac alto ſopore, quem Graji κατόχων appellant, detinentur. (232) Equidem vocis defectio cum

(228) Ibidem §. 359.

(239) Idem Sect. VII. aphor. LVIII.

(130) Vide Anatom. Bartholini Libr. III. Cap. II. & alios de Anatomia ſcribentes.

(231) Hippocrates Prædict. Libr. I. §. 23. 24. Coac. Præn. §. 245.

(232) Ibidem §. 96. & Coac. Præn. §. 250.

cum virium defectu in febre acuta ſine ſudore lethifera eſt: minus tamen periculum eſt, ubi æger ſudat, & tum morbi diuturnitatem ſignificat. Quibus autem tale quid ex morbi reverſione contingit, ii ſecuriſſime habent ſe. Maximo autem in periculo verſantur, qui inſuper profluvium ſanguinis ex naribus & alvum citam vel fuſiorem habent. (233) In febre cum ſudore vocis ex capitis dolore defectio, ubi per ſe æger reſolvitur, ac citra voluntatem alvum exonerat, ac malum remitti videtur, morbum fore diuturnum ſignificat. In tali novus rigor ſubortus non eſt damnandus. (234) Qui in febre aſſidua deſtituti voce jacent, oculiſque conniventibus nictantur, tales evadunt quidem in tutum, ſi poſt hæmorrhagiam narium ac vomitionem ad loquelam & ad ſe ipſos redeant: ſin vero ſecus accidat, cum ſpirandi difficultate celeriter intereunt. (235) Vocis defectio in febribus, quæ convulſionis ſpeciem præ ſe ferunt, quæque in mentis alienationem cum ſilentio deſinunt, perniciem oſtentat. (236) Quibus cum febre vox poſt judicationem deficit, ii tremore & ſo-

(233) Idem Coac. Præn. §. 256.

(234) Idem Prorrhet. 1. §. 94. & Coac. Præn. §. 252. Galenus in 1. Prorrhet. Comm. 111. §. 2. Ita legendum paragraphum putat. *Si ex capitis dolore aphonia fiat, febriente ægro cum ſudore, & abſque arbitrio ſuperflua excernuntur, & ſi repetitio quædam ſymptomatum pari modo fiat, in longius mutantur morbi ejuſmodi tempora.*

(235) Hippocrates Coac. Præn. §. 77.

(236) Ibidem §. 248. & Prorrhet. §. 54. Galenus Comm. 11. §. 19. d. l. ita ſenſum Hippocrates aſſequitur. *Si in febre aphoniæ, quæ convulſivo modo fiunt, deſinant in eam, quæ cum ſilentio fit, ecſtaſim, pernicioſum.*

ſopore correpti intereunt. (237) Et, ut ad ſummam dicam, mutum eſſe in febri, exceptis paulo ante memoratis circumſtantiis, malo eſt. (238) Cæterum, ubi aliquis adhuc ſanus capitis doloribus ſubito corripitur, obmuteſcit, atque ſtertit, is, niſi febrem nactus, in ſeptem diebus peribit. (239) Quibus ex dolore vox deficit, hi cum dolore moriuntur. (240) Perniciem minatur in vocis defectione reſpiratio, ſi ea ſimilis iis, qui ſtrangulantur, conſpicue elata & viſui expoſita. Animadvertendum autem eſt, num talis delirium prænunciet? (241) Vehemens mentis alienatio cum vocis defectu præſentem perniciem intentat. (242) Lethalis itidem eſt vocis defectio rigore ſubinde correptis: atque hi fere ex capitis dolore ægri ſunt. (243) Crebra, & quæ cum ſopore quodam eſt, vocis defectio, tabem prænunciat. (244) Ebrius, qui ex improviſo obmuteſcit, convulſus moritur, niſi eum febris corripiat; aut, qua hora ſolet crapula ſolvi, ad vocem redeat. (245) Vocis defectus,

(237) Hippocrates Præd. I. §. 97. Aliter hoc enuntiatum legitur Coac. Prænot. §. 247. *Quos vox cum febre, & ſine ulla judicatione deficit, ii tremuli moriuntur.* Galenus Comm. II. §. 59. ſenſum ſermonis hunc eſſe. *Quibus apparente ſoluta febre aphonia fit, & poſt judicationem: hi cum tremore & comate pereunt.* Alios exiſtimare hoc pacto legendum, ſcribit. Nempe *quibus voces manente febre deficiunt, ſi id fit poſt judicationem, hi cum tremore & comate moriuntur.*

(238) Hippocrates Coac. Prænot. §. 34.

(239) Idem Sect. VI. aphor. LI.

(240) Idem Prædict. §. 55. & Coac. Præn. §. 249.

(241) Ibidem § 25. & Coac. Præn. §. 252.

(242) Coac. Præn. §. 254.

(243) Ibidem §. 255.

(244) Ibidem §. 259. Fœſius d. l. mavult convulſionem ſuſpectari.

(245) Hippocrates Sect. V. aphor.

ctus, ex rigore obortus, tremore ſolvitur. Eos etenim, quos ſubinde novus rigor corripit, tremor ſuccedens judicat. (246) Et quantum ad medendi rationem attinet, ſanguinis miſſionem eſſe inſtituendam in iis, qui derepente ſine febre voce deficiunt, auctor eſt Hippocrates. (247)

§. 31. Inter læſiones vocis, quarum ſupra §. 29. mentionem feci, numeratur raucitas. Hæc quoque Medicis varia ſigna exhibet, ut raucitas cum tuſſi & alvo liquida pus educit. (248) Ea, quæ ob ſuppurationem vel tabem fit, mala, & mortis futuræ prænuncia, eſt. (249) Raucitas cum gutturis rubore & facie livida Elephantiaſin portendit. (250) In ætate provectis raucitas & gravedo haud coquuntur. (251) Sic etiam ea tarde digeritur, quæ ex ſynocho, vel ſine tuſſi, fit. (252) Facilius autem curatur ea, quæ a cauſſis externis ſeu evidentibus, quam quæ ab internis, ortum duxit. Quæ vero

Et Raucitatis.

aphor. v. Et Libr. II. de morb. hæc habet, ſiquis ex temulentia voce deficiat, ſiquidem jam confeſtim eum febris corripiat, convaleſcet, ſin minus, intra tertium diem moritur. Talem Hippocrates jubet multa calida lavare, & capiti ejus ſpongiam calida imbutam admovere, in nares autem cepam cortice detracto immittere. Is ubi *apertis oculis & voce recuperata ad ſe redeat, neque nugas loquatur, ea quidem die ſopore detentus jacet, poſtero autem revaleſcit. Quod ſi erectus bilem vomuerit, in inſaniam agitur, fereque diebus quinque, niſi dormiat, moritur.*

(246) Idem Coac. Præn. §. 27.

(247) De morb. vulg. Libr. II. Sect. v. §. 2.

(248) Idem Coac. Præn. §. 414.

(249) Sennertus Praxeos Libr. II. Part. III. Cap. III.

(250) Haly Thoeric. Libr. X. Cap. III.

(251) Hippocrates Sect. II. aphor. XL.

(252) Garioponti. Libr. I. Cap. XXIV.

vero annum vel biennium duravit, ea vix medicationem admittit. (253)

(253) Sennertus loco jamjam citato.

CAPUT VI.

De ſignis ternarum corporis actionum, &c.

§. 1. CApite antecedente perſecutus ſum omnimoda ſigna, quæ Medici ex qualibetcunque corporis univerſi conſtitutione, eque morbis ætatum atque parentum morbis, quibus liberi hæredes ſunt; denique quæ ex actionum voluntariarum læſione, hauriunt. Inſtituti operis ratio poſtulat, ut reliquas actiones læſas, quas Medici tripartito, ut in animales, vitales & naturales, diviſerunt, nunc omni cogitatione pertractem. Ab actionibus animalibus læſis incipiam, reliquas deinceps pertractabo.

Varia mentis alienationis genera.

§. 2. Inter bona ſigna numeratur, ſi æger facile morbum ferre videatur: (1) ſi mentis compos, ſi ad ea, quæ offeruntur, bene ſe habuerit. (2) Quid mali autem portendat, ſi quis mente alienetur, id nunc perſcribam. Alienationis mentis varia genera ſunt ut delirium, fatuitas, inſania, phrenitis, hydrophobia, melancholia. Delirans inconcinnam verborum tranſgreſſionem facit, ſermonemque alium alii connectit,

(1) Hippocrates Libro Prænot.

(2) Idem aphor. XXXIII. Sect. II.

ſtit, ita ut poſterior cum priore nihil commune habeat. Fatuus quidem conſequentia & dicit & facit interdum; verum ob rationem perinde & memoriam læſam male plerumque ratiocinatur. Hic affectus in pueris adoleſcentibuſque: at ille in ſenibus ordinario contingit, corpore, quod ad actiones tum vitales tum naturales attinet, ſatis integro. (3) Inſania eſt mentis alienatio vehemens cum furore ſine febri. Phrenitis eſt mentis deliratio cum febre acuta. Hydrophobia eſt furor cum potus averſione. Melancholia eſt læſio mentis non ſine gravi triſtitia, & averſatione rerum antea chariſſimarum. (4) Memoriæ inculcandum eſt, Hippocratem ſolere nonnunquam mediocrem inſaniam, delirium nominare. (5) Indicare hoc debui, ne dicendorum, quæ maxima parte ex Hippocrate depromam, confuſio fiat. Singulariter autem hoc loco delirium, quod ægrotantibus non raro ſupervenit, attingam, reliquas mentis alienationis ſpecies in poſterum ſuo loco commemorabo. Sed in viam.

§. 3. Futuræ mentis alienationem præbent dolores circa umbilicum cum palpitatione. In his ægris ſolet ſub judicationem conferta & crebra pituita prodire. (6) Item fe- Præſenſio delirii futuri

(3) Ætius Tetr. II. Serm. I. Cap. XXII. Ægineta Libr. III. Cap. XI.

(4) Finit Medic. Galeno aſcriptar. Cap. XII.

(5) Galenus Comment. in aphor. IX. Libr. VII. Hippocr.

(6) Hippocrates Coac. Præn. §. 300. Verum Prorrhet. Libr. I. §. 36. Scribit his ſub judicationem plurimum ac crebrum flatum cum ſingulari diſtenſione prodire: adeſſe quandoque ad ſuram dolores.

femoris dolor evaneſcens, ſi quid ſublime per urinam natet. Sic etiam ubi alvus humeſcit, æger laſſitudine, dolore capitis, ſiti, vigiliis torquetur, obſcure loquitur, atque oppido eſt impotens. (7) Quin etiam ſi ſurditas, & urinæ ſine ſedimento prærubræ, & ἐναιωρέμενα, i. e. quæ habent aliquid leve, quod ad ſublime fertur. (8) Vomitus virulentæ æruginoſæve materiæ, cum capitis dolore, ſurditie, & inſomniis. Item ubi fauces in morbis acutis dolent, gracileſcunt, ac ſtrangulationis ſenſum inducunt: atque ubi os, quod hiavit, haud prompte adduci claudique poteſt. Item ubi poſt vomitum anxiferum vox ſtridula, oculi ſqualidi, & pulvere quaſi obſiti. Item in febre ardente ſi aurium tinnitus cum oculorum hebetatione fit, & ad nares gravitatis ſenſus accedit: (9) ſi fruſtulum fracti cranii in cavitatem, i. e. ad meninges ad cerebrum penetraverit. (10) Item quibus cauſſa doloris non ſenſus ejus eſt, his mens labat. (11)

Prædictiones ex delirio.

§. 4. Præſens delirium ægro etiam omnimodam commutationem portendit. Ex. gr. Deſipientia, quæ jam admodum fractis ac debilitatis viribus accedit, peſſima eſt. (12) Dementia, in qua ægri tremunt, aut aliquid inveſtigantium more ſenſim contrectant, aut palpant, phrenitim prænunciat. (13) Deſipien-

(7) Prorrhet. §. 37. 38. Coac. Prænot. §. 642.

(8) Ibidem. §. 32.

(9) Ibidem §. 10. 11. 17. 18.

(10) Idem Aphor. XXIV. Sect. VII. Vide Galenum ſuper hunc aphoriſmum.

(11) Celſus Libr. II. Cap. VII.

(12) Hippocrates Prædict. I. §. 8. Coac. Prænot. §. 100.

(13) Ibidem §. 34. & Coac. Prænot. §. 76.

pientia cum ſopore convulſionem minatur. (14) Deſipientia cum ſudore & difficultate ſpirandi, mortifera eſt: ita etiam quæ cum reſpiratione difficili & ſingultu. (15) Deſipientia, quæ circa neceſſaria fit, peſſima: & quæ ex his ingraveſcit, exitium portendit. (16) Deſipientia cum voce ſtridula, & tremula, & linguæ convulſione tremula, vehementem mentis alienationem ſignificat. In his durities aut aſperitas perniciem minatur. (17) Mentis alienationes, quæ ſenſim feroces fiunt, in ferinas abeunt; quin etiam ſpaſmum prænunciant. (18) Mentis vehemens alienatio cum taciturnitate in febribus, in eo, cui vox non deficit, perniciem minatur. (19) Vehementem & furioſam mentis alienationem tremor inſequens malignitatem denunciat. (20) In vehementer mente alienatis, ſi febris iterum cum ſudore repetat, ſignificat fore, ut iidem phrenitici evadant. (21) Effera mentis alienatio breve temporis ſpatium durans, mala eſt, atque ferina evadet. (22) Qui ex metu mente vehementer alienantur, ac inſimul perfrigent, hi febre cum ſudoribus, & ſomno loquelam pe-

(14) Coac. Præn. §. 84.
(15) Ibidem §. 89.
(16) Ibidem §. 98.
(17) Prorrhet. Libr. 1. §. 19. & Coac. Præn. §. 99.
(18) Coac. Præn. §. 85. 155. Prorrhet. §. 26. Sed §. 123. ſcribit hujuſmodi vehementes & melancholicas evadere: & ſi ex muliebrium ſuppreſſione accidant, in ferinas vergere. Animadvertendum autem num tales ſpaſmo obnoxiæ, & an vocis defectus cum alto ſopore convulſionem minentur.
(19) Coac. Præn. §. 486. §. 65. & Prædict. §. 54.
(20) Ibidem. §. 88. 93. & Prædict. §. 14.
(21) Ibidem §. 95. & Prorrhet. §. 15.
(22) Ibidem §. 246. & Prorrhet. §. 26.

penitus intercipiente, ſolvuntur. (23) Quod ſi quiſpiam aliqua corporis parte doleat, dolorem autem propemodum non ſentiat, huic mens ægrotat. A multo potu, rei inebriantis puta, ut vini, cerviſiæ &c. rigor, & delirium, malum. Malum id ipſum eſt ſi Ileo, ſi plagæ capitis, ſi pervigilio, ſi febri non intermittenti una cum ſpirandi difficultate, ſupervenerit. (24)

Accidentia delirii.

§. 5. Symptomata autem, quæ delirium comitari ſolent, hæc ſunt. Oculi in modum vibrantis ſplendoris coruſcant, aures ſonitu quodam implentur, extrema perfrigeſcunt, urina cruda, ſputa tenuia, ſalſa, pauca, limpida; ſudores circa cervicem, & anxietas; ſpiritus in exſpiratione offenſans, creber, & magnus; ſupercilia quodammodo amplificata, malæ animi defectiones, veſtium a pectore rejectio, manus tremulæ, atque interdum labii inferioris contractio. Hæc ſi ab initio præſto fuerint, ſignificant delirium eſſe grave, ac ægrum vix fore ſuperſtitem. Sin vero e periculo mortis in tutum evaſurus eſt, fit hoc vel abſceſſu, vel hæmorrhagia narium, vel puris craſſi excreatione. (25).

Quodnam delirium minus malum.

§. 6. Equidem ægri in acceſſione interdum deſipiunt, & aliena loquuntur (quod non quidem leve eſt, neque incidere poteſt, niſi in febre vehementi) non tamen id æque peſtiferum eſt. Nam plerumque breve eſſe con-

(23) Ibidem §. 483.

(24) Aphor. 6. Sect. II. Sect. VII. §. 7. 10. 14. 18. Sect. IV. §. 50.

(25) Hæc Cus noſter de Rat. Vict. in morb. acut.

conſuevit, levatoque acceſſionis impetu, mens protinus redit. (26) Ita etiam deliria, quæ cum riſu fiunt, tutiora ſunt; quam quæ cum audacia, vel temeritate, quæ periculoſiora habentur. (27) Bonum eſt, ubi ſomnus delirium ſedat. (28) Neque adeo pertimeſcendum eſt delirium, ubi pulſus, reſpiratio & appetitus bene adhuc ſe habent. (29)

§. 7. Inter affectus animi multum apud corpus quoquo pacto afficiendum pollent ira, gaudium, metus & triſtitia. Gaudium, ſi moderatum fuerit, (ob immodicum enim aliquando aliqui, quibus puſillus animus erat, mortui ſunt) cor relaxat, & robur atque vires corpori conciliat. Ira noxia eſt iis, qui intemperiem capitis & cordis calidiorem nacti: e diverſo in iis, qui dictis contrariam corporis conſtitutionem ſortiti ſunt, ſubinde recte excitatur, motum humorum torpentium accelerandi, coloremque nativum recuperandi gratia. Ex timore ſubito nonnulli, qui animo fracti, interierunt. Proinde is, utut obortus fuerit, ſemper aliquod periculum corpori, ejuſdemque actionibus ad inducendum eſt aptus: atque adeo haudquaquam, privatim vero ſi diu perduret, flocci faciendus. Quippe in cauſſa eſt, ut hu-

Perturbationum virtus:

& prognoſticum.

(26) Celſus Libr. III. Cap. XIIX.

(27) Galenus in aphor. Hipp. LIII. Sect. VI.

(28) Hippocr. Aphor. 2. Sect. II.

(29) Sennert. Inſtit. Med. Lib. III. Part. III. Cap. V. Galenus in Aphor. Hipp. XXXIII. Sect. II. Cæterum ſi dicta tria bene ſe habuerint, & mens ſana fuerit, tum in his quatuor omnis ſpes eſt, ut infirmus revaleſcat.

humores tandem aliquando incraſſeſcant: qui cum a craſi ſua deflectant, actiones quælibet corporis ſiniſtre peragantur, neceſſe eſt. Timere etiam ex ſomno, mali morbi eſt. (30) Sic qui territus ex ſomno ſurgit: & hoc ei etiam atque etiam accidit, ſignificare, auctor eſt Rhaſis, (31) talem vel moriturum, vel pecuniam amiſſurum. Triſtitia, quamvis corpori plerumque noxæ eſt, tamen obeſis, quia hæc carnem imminuere dicitur, quandoque ex uſu eſt. (32) Verum ſi longa triſtitia cum longo timore eſt, atræ bilis morbus ſubeſt. (33) Si pavor aut convulſio ex ſomno in febribus oritur, malum. (34) Ita etiam ab homine moderato ferox & audax reſponſum, malum indicat. (35) Quin &, ubi expeditior alicujus, quam ſani fuit, ſermo eſt, ſubitaque orta eſt loquacitas, & hæc ipſa ſolito audacior, tum inſania protinus timenda eſt. (36) Loquax etiam ubi aliquis in ſomno fuerit, ſignificat id, apoſtema aliquod futurum. (37.

Memoriæ amiſſæ ſignificatio.

§. 8. Memoriam in morbo aliquo deperdere, etiam inter ſigna mala refertur. (38) Et

(30) Celſus Libr. II. Cap. IV.

(31) Aphor. XXIII. Libr. V.

(32) Galenus in Libr. VI. de Morb. vulg. Hippocr. Comment. V. §. 9. & de Sympt. Cauſ. Libr. IV. Cap. V. Rhaſis ad Manſor. Libr. IV. Cap. IX.

(33) Celſus Libr. II. Cap. VII. Hippocrates aphor. XXIII. Sect. VI. *Si metus & triſtitia multo tempore perſeverent, melancholicum hoc ipſum.* Haly Theoric. Libr. X. Cap. III. ſcribit Triſtitia & timor præter rationem &c.

(34) Hippocr. aphor. LXVII. Sect. IV.

(35) Hippocrates Prorrhet. Libr. I. §. 44. & Coac. Præn. §. 51.

(36) Celſus Libr. II. Cap. VII.

(37) Tradit Rhaſis Libr. V. Aphor. X.

(38) Idem aphor. XXVI.

Et ſi ea abſque cauſſa externa ſubito lædatur, integro etiamnunc corpore, ſignum eſt imminentis apoplexiæ, paralyſis vel epilepſiæ: ſin vero in languido ægro, mortiferum eſt. (39) Quin & oblivio, membrorum languor, & vocis defectus ab Hippocrate, (40) in ſignis malis annumerantur, ſi videlicet contingant ipſas ſub febrium acceſſiones. Quos rerum ante factarum oblivio capit cum rigore, malum hoc eſſe paulo ante ſignificavi. (41) Portendit quoque perniciem, ſi urina non recordantibus nec admonitis effluit. (42)

§. 9. In numero ſignorum, mortem in propinquo eſſe ſignificantium, eſt etiam ſurditas in febre non intermittente oborta. (43) Hoc ſummatim: ut autem particulatim narrem ſigna, quæ Medici ex ægroti ſurditate depromere ſolent, ſciendum eſt ſurditatem & urinam ſubrubicundam, quæ nullum ſedimentum, ſed aliquod leve, quod ad ſublime fertur, habet, morbo procedente prænunciare mentis alienationem. (44) In acutis ac turbulentis morbis, ubi ſurditas obvenit, malum. Quin & eadem in longis morbis malum portendit, ac in his ad coxendicem labores convehit. (45) Surditas, quæ poſt

Prædictiones ex ſurditate.

(39) Sennertus Pract. Libr. I. Part. II. Cap. V. Etmullerus Cap. XIII. Pract.

(40) De morb. vulg. Libr. III. Sect. III. §. 3. & in ægro XIII.

(41) Cap. V. §. 16.

(42) Hippocrates Prorrhet. Libr. I. §. 29. Exemplum tradit Libr. I. in ægroto quarto.

(43) Hippocrates Sect. VII. aphor. LXXIII. & Sect. IV. aphor. XLIX.

(44) Idem Coac. Prænot. §. 198. & Prorrhet. Libr. I. § 32.

(45) Ibidem §. 190. & Prædict. §. 33.

poſt modicam hæmorrhagiam, aut nigrorum per alvum egeſtionem in morbis acutis evenit, malum denunciat. In his quidem ſanguinis egeſtio perniciem affert, ſurditatem tamen diſcutit. (46) In acuta febre aures obſurdeſcentes obtuſæ vehementem inſaniam portendunt. (47) In iis, qui ſurditate cum capitis gravitate ac præcordiorum diſtentu vexantur, & quorum acies oculorum perturbata, ſperare oportet narium hæmorrhagiam. (48) Qui gravi ſurditate tentantur, & dum aliquid prehendunt tremuli, ac torpore linguæque reſolutione affecti, ii male ſe habere judicantur. (49) Quibus in ſurditate & torpore paucus e naribus ſanguis ſtillat, moleſtum quidem id eſt, verum his ipſis confert vomitus & alvi perturbatio. (50) Quibus in febribus aures hebetiores ſunt, his, niſi febris ſolvatur, furorem contingere, neceſſe eſt. (51) Ex ſurditate tubercula ad aures ſolent exoriri: præſertim vero ſi quædam corporis anxietudo adfuerit: (52) ſurditatem autem in febribus ortam hæmorrhagia narium, & alvus perturbata tollit. (53) Imo nihil plus adverſus ſurditatem poteſt quam bilioſa alvus: (54) & ex adverſo bilioſam

(46) Idem Prædict. §. 129.
(47) Idem Coac. Prænot. §. 196.
(48) Idem Coac. Præn. §. 195. & Prædict. §. 147.
(49) Ibidem §. 197.
(50) §. 334. 208. & Prædict. §. 141.
(51) Libro de Judicat. & Coac. Prænot. cxcvi. In acuta febre aures obtuſæ vehementem portendunt inſaniam.
(52) Idem Coac. Præn. §. 209. & Prorrhet. §. 159.
(53) Ibidem §. 210. Aphor. Sect. iv. §. 60.
(54) Celſus Libr. ii. Cap. vii.

ſam alvum ſedat ſuborta ſurditas. (55) Sedat ea ipſa vehementem partium inferiorum dolorem. (56)

§. 10. Aliud aurium vitium eſt, ubi intra ſe ipſas ſonant. Leviſſimum eſt, ubi id ex gravedine eſt: pejus, ubi ex morbis capitiſve longis doloribus incidit: peſſimum ubi magnis morbis venientibus, maximeque comitiali, provenit. (57) In febre ardente ſi tinnitus aurium cum oculorum hebetatione adfuerit, & ad nares gravitatis ſenſus accedat, furioſa mentis alienatio timenda eſt. (58) Qui citra febrem capitis dolore, auriumque tinnitu, aut tenebricoſa vertigine, tarditateque vocis, atque manuum ſtupore tentantur, in his aut ſyderationem, aut morbum comitialem, aut oblivionem timemus. (59) Si quiſpiam morbo acuto tentatus ex auribus perceperit bombum & tinnitum, mortis hæc prænuncia ſunt. (60) **Ex aurium tinnitu.**

§. 11. Ex læſa oculorum actione Medici identidem omnimoda ſigna hauriunt. Et ut generatim præcipua, quæ ad horum ſignificationem ſpectant, perſcribam, memoriæ mandandum eſt, ſi oculi lucem refugiant, aut citra voluntatem illachryment, aut per- **Ex oculorum actionibus vitiatis.**

ver-

(55) Hippocrates Sect. IV. aphor. XXVIII. & Coac. Præn. §. 627. & §. 192. Oborta in febribus ſurditas alvum ſiſtit.

(56) Idem Libro de Criſib. Dictis, quæ ſurditatem ſolvunt in febribus adde inteſtinorum difficultatem, coxendicis aut genuum dolores ſuccedentes. Ibidem.

(57) Celſus Libr. VI. Cap. VII.

(58) Hippocrates Prædict. Libr. I. §. 18. Et Coac. Præn. §. 194. addit dicta ſignificare etiam ſanguinis ex naribus profluvium. Et §. 131. ſcribit, niſi ſanguis ex naribus profluat, metuendam vehementem mentis alienationem.

(59) Coac. Præn. §. 161.

(60) Ibidem §. 193.

vertantur, aut altero alter fuerit minor; aut quæ alba in iis eſſe oportet, rubeſcant, aut venulæ eorum ſeu liveſcant ſeu nigricent; aut ſi circa ipſos gramia appareat, aut ſi inſtabiles, tumidi, vel cavi admodum fuerint; aut ſqualentes & obſcuri, aut totius vultus colos immutatus, hæc cuncta mala & exitioſa eſſe exiſtimanda. (61) Pulſatio quidem, ſi in præcordiis ineſt, mentis alienationem vel delirium ſignificat: verum ſi inſuper eveniat ut oculi crebro moveantur, inſania tum expectanda eſt. (62) Oculi hebetati, concreti ac caligantes, malum portendunt. (63) Obtuſior oculorum acies cum animi defectione, convulſionem non longe abeſſe, indicat. (64) In morbo acuto nihil boni denunciant rectus oculorum obtutus, motus pernicitas, ſomnus turbulentus, pervigilium, ſanguis ex naribus intervallis ſtillans. (65) In febre non lethali ſi æger caput dolere, aut tenebricoſum aliquid ante oculos obverſari dixerit; ubi etiam ſtomachi morſus acceſſerit, bilioſæ materiæ vomitionem inſtare, ſignificant: ſin vero eidem loco tenebrarum hebetas oculorum contingat, ſplendorque vibrans obverſari ipſis videatur: & loco ſtomachi morſus obveniat, in alterutra præcordiorum parte diſtentus quidam, & is quidem ſine do-

(61) Hippocrates Libro Prænot. Et Coac. Prænot. §. 218. Ubi etiam inter mala ſigna enumerat, ſi eorum album augetur, & nigrum imminuitur: aut nigrum a ſuperiore palpebra contegitur.

(62) Idem Libro Prænot.

(63) Idem Coac. Præn. §. 225. & Prorrhet. Libr. 1. §. 46.

(64) Ibidem §. 226. & Prorrhet. §. 113.

(65) Ibidem §. 227.

dolore, ſine inflammatione, indicium hoc eſt in adoleſcentibus hæmorrhagiam narium futuram: in adultioribus vero, qui ætate ultra triginta annos proceſſerunt, vomitus itidem exſpectandus. (66) Oculus ferox, ſeu trux vultus, delirium portendit. (67) Spaſtici item, quibus ſunt oculi fixi relucentes, mente alienantur; ac diutius morbum trahunt. (68) Oculorum quoque frequens motus, & in capitis dolore offuſæ oculis tenebræ, vel nullo dolore ſubſtante ſomnus ereptus, continuataque nocte & die vigilia, vel proſtratum contra conſuetudinem corpus in ventrem, ſic ut ipſius alvi dolor id non coegerit; item robuſto adhuc corpore inſolitus dentium ſtridor, inſaniæ ſigna ſunt. (69) Tandem in febre non intermittente, ſi quis propter imbecillitatem nec videt nec audit: aut cujus labrum, oculus vel naſus pervertitur, ei mors denunciatur. (70) Ita etiam omnes ſpes conciderunt; ubi quiſpiam tenebricoſa vertigine laborat, lucem averſatur, &

(66) Libro Prænot.

(67) Idem de morb. vulg. Libr. VI. Sect. I. §. 19.

(68) Idem Prædict. Libr. I. §. 124.

(69) Celſus Libr. II. Cap. VII.

(70) Hippocr. Coac. Prænot. §. 72. & Sect. IV. aphor. XLIX. & Celſus Libr. II. Cap. VI. breviter & ſummatim deſcribit. *Si oculi lumen refugiunt & illachrymant, quæque in his alba eſſe debent, rubeſcunt, atque in iiſdem venulæ pallent, pituitaque in his innatans, noviſſime angulis inhæreſcit: alterque ex his minor eſt: hique aut vehementer ſubſederunt, aut facti tumidiores ſunt, perque ſomnum palpebræ non committuntur, ſed inter has ex albo oculorum aliquid apparet: neque id alvus fluens expreſſit: eædemque palpebræ pallent, & idem pallor labra & nares decolorat: eademque labra, & nares, oculique & palpebræ, & ſupercilia, aliquave ex his pervertuntur: iſque propter imbecillitatem jam non audit, aut non videt, in propinquo mors eſt.* Item Hippocrates de morb. vulg. Lib. VI. Sect. I. §. 16.

& ſomno ardoreque multo detinetur. (71)

Ex odoratu.

§. 12. Nares etiam in febricitantibus multa præclara denunciant: odorum enim, quos ægri percipere ſibi videntur, permagna differentia eſt. (72) Quid? ipſa odoratio quoquo pacto læſa Medicis etiam alia atque alia ſigna ſuppeditat. v. gr. qui derepente ſine præſentia catarrhi olfactum amiſit, ſignum eſt, eundem febrem habiturum. (73) Si cuipiam videtur rem putridam odorari, ac fœtorem ipſis naribus percipit, indicium eſt humorem putridum propter os ettmoides conſidere. Ubi ægrotus in morbo aliquo acuto odoratur odorem rerum non præſentium, ut piſcis, aut luti infuſi, aut butyri, &c. inter ſigna mortifera refertur. (74)

Et guſtatu læſo.

§. 13. Ut odoratus, ita etiam guſtatus, omnifariam læditur, qui cum ſic fuerit omnis generis ſigna præbet. Equidem oris amarities plerumque bilis in corpore copiam prodit, quæ per vomitum apte educitur: (75) Verumtamen dicta oris amaritudo nonnunquam inediæ ſignum eſt. (76) Multitudinem vel materiam ſupervacuam in corpore eſſe ſignificat linguæ ſapor carni ſalſæ ſimilis. (77) Ita & acidus ſapor, & acerbus; nec non cæteri ingrati ſapores & ructus, qui vel

(71) Idem aphor. XV. Sect. VIII.

(72) Idem Prædict. Libr. II. §. 2.

(73) Rhaſis Libr. V. aphor. XIII.

(74) Avicenna Libr. III. Fen. V. Tract. I. Cap. V. & Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXXV. & Libr. III. Fen. V. Tract. II. Cap. I.

(75) Hippocrates de Rat. Vict. in morb. acut. & Sect. IV. aphor. XVII.

(76) Idem de Priſc. Medic.

(77) Idem de morb. vulg. Libr. VI. Sect. V. §. 16.

vel piſces corruptos, vel cœnum, vel aliud fœtidum referunt, indicant humorum male conſtitutorum redundantiam. Sic acidus vel ſalſus cum propenſione in ſomnum, gravitate capitis, tinnituque aurium, pituitâ corpus exuberare: ſi acerbus, & corpus aridum, ac adfuerit ſomnus inquietus, mœror, &c. melancholiam primatum inter cæteros tenere: Indicat autem amarus, ut paulo ante monui, abundantiam flavæ bilis. (78)

Somni vigiliæque potentia.

§. 14. Inter actiones animales a Medicis referuntur etiam ſomnus & vigilia; utraque, ſi ſolito magis fuerint, Hippocrates (79) in numero morborum habet. Uterlibet tamen, ubi naturæ congruens fuerit, multum ad corporis incolumitatem affert. Nam ſomnus ſanguinem refrigerat, humectat, emollit indurata, fundit cohærentia, inæqualia ad æqualitatem perducit, animi affectiones ſedat, deſtillationes ſiſtit, humores corporis denſando. (80) In jejuno habet facultatem extenuandi refrigerandique: at poſt matutinam deambulationem, ſiccandi. Vigilia jejunos quidem extenuat, verum minus lædit: (81) quæ in ventre ſunt, minuit, &, ut per inferiores partes exeant, præparat, ſudores cohibet, robur naturæ atque animo conciliat; atque adeo in cauſſa eſt, ut actiones quælibetcunque corporis dextre perfician-

(78) Actuatius Libr. de ſpir. anim. nutrit. Cap. II. Oribaſius Collector. Libr. VI. Cap. IV. & V.

(79) Sect. VII. aphor. LXXI.

(80) Idem Libro de Flatib.

(81) Hippocrates de Vict. Rat. Libr. II.

ficiantur. (82) Vigilia autem immodica alimentorum digeſtionem inhibet, & ægrotationem mentis, vel ejus alienationem corpori importat, ut & malum habitum, ac oculos profundos. (83)

Somnus qui bonus, qui malus.

§. 15. Quod vero ad ſomni rationem attinet, bonus is eſt, qui naturæ congruenter contingit; ſcilicet ubi quiſpiam interdiu vigilaverit, aſt noctu dormiverit. Quod ſi alterutrum contrario modo uſu venerit, deterius id exiſtimandum eſt. Verum enimvero minimum æger offenditur, ſi prima luce ad tertiam diei partem dormiat. Somnus autem, qui poſt dictum tempus accedit, pejor eſt: peſſimum vero eſt, neque noctu, neque interdiu dormire. Quippe id ſine dolore eſſe non poteſt, & ob dolorem inſania metuenda eſt, aut iſtud pervigilium futuri delirii nota eſt. (84) Æque vero ſignum malum eſt, etiam ſomno ultra debitum urgeri, pejuſque, quo magis ſe ſopor interdiu noctuque continuat: (85) eum enim interdum inſequi ſolet aut paralyſis, aut epilepſia, aut ſimilis ex ſopore oriundus affectus. (86) Verumtamen, quum ſomnus nocet, minus exitioſus is eſt, vigente jam atque increſcente morbi acceſſione; tunc temporis enim quandoque utilis eſt: magis autem, qui in declinatione contingit: qui vero morbi in principio adeſt, non adeo ſaluta-

(82) Oribaſius Collect. Libr. VI. Cap. VI. & Avicenna Cantic. Part. I. §. 159.

(83) Hippocrates de Rat. Vict. in morb. acut. & Avicenna loc. cit.

(84) Idem Libro Prænotion.

(85) Celſus Libr. II. Cap. IV. & Conſtantinus Afer. Libr. X. Cap. X. loc. comm.

(86) Haly Theoric. Libr. X. Cap. III.

lutaris, quia ſymptomata, quæ alias propediem oboriri ſolent, diutius protrahuntur, & febres vix ad vigorem perveniunt. Ubi vero ſomnus in declinatione morbi, quo tempore alias admodum, ut paulo ante memoravi, utilis eſt, nihil prodeſt, ſed potius nocet, mortem non ſine ratione ſignificat. Nam in quo morbo ſomnus laborem facit, mortale: ſin vero juvat, non mortiferum hoc eſt. (87) Ideoque Medici eſt animadvertere, quæ per ſomnum in dies ingraveſcunt, & quibus extrema perfrigeſcunt, atque mens perturbatur, cæteraque id genus, quæ per ſomnum eveniunt, & quibus contra, ac jamjam monui, omnia contingunt. (88) Etenim, præter paulo ante memoratas utilitates, ſomnus longior confert ei, qui poſtridie cibos eructat, ac cui præcordia ob cibos nondum mitigatos attolluntur. (89) Bonus itidem ſomnus eſt, ubi delirium ſedat: (90) nec non ubi corpus a ſomno melioris coloris eſt, atque vegetum ſe præbet. Et in hoc differt ſomnus ſponte naturæ proveniens ab eo, qui uſu medicaminum ex opio &c. confectorum efficitur, quem, ſi utpote a præpoſtero dictorum uſu fuerit concitatus, inſequi plerumque ſolent nimia corporis gravitas, debilitas, ac pallor. (91)

§. 16.

(87) Galenus in Libr. II. aphoriſmor. Hippocr. §. I.

(88) Hippocrates de morb. vulg. Libr. VI. Sect. VIII. §. 5.

(89) Idem de Salubr. Vict. Rat.

(90) Idem Sect. II. Aphor. II.

(91) Cæl. Aurel. acut. morb. Libr. I. Cap. XVII.

Prognoſtica ſomni.

§. 16. Ut cætera, quæ ſomni ratione ſum exorſus, pertexam, notandum eſt, quod ſi quis etiamnunc ſoſpes ſolito magis dormiat, id ipſum indicare futuram corporis ægritudinem: in ægroto autem morbi liberationem. (92) Somnos profundos, qui tamen non turbulenti ſint, criſis firmitatem denunciare: turbulentos vero non ſine corporis offenſione, & inſtabiles eſſe & infirmos. (93) Somnum multum in iis, qui fauces leviter exaſperatas habent, quorum venter inaniter exurgendo obmurmurat, frons dolet, quique contrectati fatigantur, & in ſtragulis veſtimentiſque dolent; in his, inquam, ſomnum convulſionem minari: vel potius oſtendere morbum eſſe periculoſum. (94) Somnum, qualis ſopore oppreſſis eſt, & totius corporis refrigerationes, perniciem portendere. (95) Cui ſano ſubitus dolor capitis ortus eſt; dein ſomnus oppreſſit, ſic ut ſtertat neque expergiſcatur, eum intra ſeptimum diem periturum; atque id magis, ſi eum alvus cita non anteceſſerit. (96)

Soporis.

§. 17. Vocabulo ſoporis auctores latini duplicem ſignificationem tribuunt, perque id ſignificant vel ſomnum naturalem, (97) vel ſomnum altum, quem Graji *cari* vel *co-*

(92) Alſaharav. Theoric. Tract. VI. Cap. XX. Rhaſis Libr. I. aphor. XLII.

(93) Hippocrates Coac. Præn. §. 153.

(94) Ut tradit Galenus Comment. III. §. 16. in Prorrhet. Hipp. Vide etiam Hippocr. Libr. I. Prorrhet. §. 109.

(95) Idem Coac. Præn. §. 181.

(96) Celſus Libr. II. Cap. VIII.

(97) v. g. Cicero Libr. I. de Divinat. §. 44. *cum jam quieti corpus nocturno impetu.* —— *Dedi, ſopore placans artus languidos.*

comatis vocabulo nominant. (98) Nos Medicorum plerorumque in veſtigiis inſiſtentes poſteriorem ſignificationem retinebimus. Sed ad rem. Sopor profundus vel altus omnino damnandus eſt. (99) Qui inter initia ſopore detenti, capitis, lumborum, cervicis, præcordiorum dolore, ac inſomnia conflictantur, eos conſiderare oportet num ſint phrenitici. In his narium deſtillatio perniciem oſtentat, idque præcipue ſi quarto inter initia die contingat. (100) Qui circa initia ſopore oppreſſi, tenuiter exudant, concoctas emittunt urinas, cum magna corporis æſtuatione, citra judicationem vero perfrigeſcunt, & rurſus celeriter incaleſcunt, torpore, ſopore, aut convulſione tentati, ii pernicioſe ſunt affecti. (101) Sopore, laſſitudine ac ſurditate tentatos, alvuse rumpens, & ad judicationis tempus rubra demittens, juvat. Qui ſopore detinentur cum incontinenti corporis jactatione, præcordiorum dolore, & modica vomitione, in iis tubercula ad aures ſperare oportet. Verum antea circa faciem tumores cum ſopore apparent. (102) In Cephalalgia ſopor & ſurditas aliquem

(98) Tali modo vocabulum uſurpat Plinius Hiſt. Nat. Libr. XXI. Cap. XIIX. ubi de Junci genere, quod euripicen vocant, ita ſcribit. *Hujus ſemine ſomnum allici, ſed modum ſervandum, ne ſopor fiat.* Plura exempla adducere ſupervacuum duxi, ne ſutori ultra crepidam judicanti ſim ſimilis.

(99) Hippocrates Coac. Præn. §. 178. Verum hoc enunciatum Prorrhetic. Lib. I. §. 63. ambigue dictum extat; ut animadvertendum eſt diligenter num profundus ſeu altus ſopor penitus damnari debeat.

(100) Idem Prædict. Libr. I. §. I. & Coac. Præn. §. 179.

(101) Ibidem §. 102. & Coac. Præn. §. 180.

(102) Coac. Præn. §. 182. 183.

quem pone aures abſceſſum fore, denunciant. (103) Eum ipſum expectamus in his, qui quodam ſopore, aut ictero detinentur, nec admodum ſentiunt; & quibus ſingultus adeſt, alvus aut affatim prorumpit, aut etiam ſupprimitur. (104) In ſopore affectis, ubi dejectiones ſpumeæ prodeunt, febris acuta ingraveſcit. (105) Sopor cum debilitate pulſus malum ſignificat. Item ſomnus adauctus in morbo, cui ſuccedit delirium, & frigus extremarum partium adeſt, nihil boni indicat. (106)

Inſomniæ. §. 18. Quamvis nonnulli ſatis diu pervigiles vitam degerint; (107) ac pervigilium affectus ſit, qui & infantibus, & ſenibus admodum eſt familiaris: (108) tamen id diu perſeverans corpori varia incommoda crebro inducit, ſicut ſupra §. XIV. indicavi: in primis vero, ubi iſtud in morbis acutis ad-

183. & Prædict. §. 165. Iiſdem fere verbis repetitur Coac. §. 185. ſed in fine poſt parotides additur, *ac fortaſſis ſopore tentati ad aliquam convulſionem deveniunt.* Vide etiam Prædict. §. 169.

(103) Libr. I. Prædict. §. 168.

(104) Ibidem §. 154. Idem repetitur Coac. Præn. §. 490. ſed ibi non fit mentio ſoporis; quin & in fine hæc clauſula eſt, *atque hi cum virore palleſcunt.*

(105) Ibidem §. 93.

(106) Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XLIX.

(107) Ut Mœcenas, cui, ut refert Plinius Hiſt. Nat. Libr. VII. Cap. LI. triennio ſupremo nullo horæ momento contigit ſomnus: quantumvis eidem, amoribus anxio, & moroſe uxoris quotidiana repudia deflenti ſomnus per ſymphoniarum cantum ex longinquo lene reſonantium quæreretur, ut monumentis prodidit Seneca de Providentia Cap. III. Ita etiam Fernelius Patholog. Lib. V. Cap. II. refert de quodam mente capto menſes quatuordecim inſomnes vitam ducente. Quid? Schenckius Libr. I. profert *ex Montuo* exemplum matronæ, quæ XXXV annos inſomnes duxit, & id quidem ſine ulla valetudinis imbecillitate.

(108) Hippocrates Sect. III. aphor. XXIV. XXXI.

adfuerit, non ſine periculo eſt: inſequuntur enim plurimum convulſio & delirium, quæ mala habentur. (109) Ita etiam in iis, qui dolore capitis, ſiti, levi pervigilio detinentur, obſcure loquuntur, ad motum impotentes ſunt, ac alvo humida & laſſitudine laborant, metuenda eſt inſania. (110) In vigiliis quibuſdam, quæ cum angore fiunt, ad aures maxime abſceſſus oboriri ſolent. (111) Qui ex tenuibus ſudoribus pervigiles ſunt, ad calorem revocati, ii male ſe habent. (112) In febribus ardentibus pervigilii & anxietudinis ſymptoma equidem exitioſum ſemper eſt; verum in principio morbi acuti non adeo timendum, ut ſudare. (113) Neque iſtam inſomniam, quæ circa criſin inſtantem apparet, formidare tantopere debemus; quippe ægri, quanto propius ad judicationem tendunt, tanto magis vigilant, maleque habent ſe, atque vehementius febricitant. (114)

§. 19. De ſomniorum natura, ſpeciebus atque ſignificationibus multi multa jampridem ſcripſerunt. Delibabo horum doctrinam, in quantum ea ad Medicinam ſpectat. Equidem aliquos fore animus præſagit, qui objectant inſomnia fieri, cum animus languore corporis, nec membris uti, nec ſenſibus Somnium quid.

(109) Idem aphor. XVIII. Sect. VII.
(110) Idem Coac. Prænot. §. 175. & Prorrhet. Libr. I. §. 38.
(111) Idem Prorrhet. §. 157.
(112) Idem Prorrhet. Libr. I. §. 68. & Coac. §. 41.
(113) Galenus in Libr. I. Hipp. de morb. vulg. Comm. II. §. 75.
(114) Idem in Sect. IV. aphor. LXXI. Hippocratis.

ſibus poteſt, incidat in viſa varia, & incerta ex reliquis, ut ait Ariſtoteles, inhærentibus earum rerum, quas vigilans geſſerit, aut cogitarit: quarum perturbatione mirabiles interdum exiſtere ſpecies ſomniorum: & quod magis eſt, nihil tam præpoſtere, tam incondite, tam monſtroſe cogitari poſſe, quod non poſſimus ſomniare. (115) Quæ cum ita ſint, apparere ex his, concludunt, ſomniis nihil ſignificari, atque ideo totam ſomniorum diſciplinam eſſe incertam ac ſuperſtitioſam. Verum enimvero licet non negem ſomniorum interpretibus deeſſe certa artis præcepta, rationeſque exploratas, quibus argumentari poſſint ex ſomniis alia eſſe vera, alia falſa: & illis, id ipſum, quod contendunt, & non aliud ſignificari. Quæ quamvis ita ſe habeant, ex literis tamen tam ſacris quam profanis conſtat complures ſecundum quietem aliquid vidiſſe, quod talem etiam, qualem ſomniorum conjector prædixit, rerum eventum habuit: Cujus varia exempla poſſem adducere, niſi ſcirem eſſe rem confeſſam, quæ nulla probatione indigeat.

Ex ſomniis quæ aliquid portendant, quæ minus.

§. 20. Ut autem ad propoſitum meum redeam. Somnium eſt motus aut ſimulacrum animæ multiforme futura bona aut mala ſignificans. (116) An vero aliquod ſomnium ſit ſignificans, vel minus, hoc variis notis internoſcitur. Statuunt enim ſomnio-

(115) Cicero Libr. II, de Divinatione §. 128. & 145.

(116) Artemidorus Libr. I, Cap. II.

mniorum interpretes, (117) eorum ſomnia, qui rarius ſomniant, vera eſſe; puerorum plerumque falſa: veriora eorum eſſe, qui amplos dignitatis gradus adepti, quique ſobrie ac ab animi affectibus liberi, quam, qui contra ac dixi, vitam ducant. Homines enim genio indulgentes, vel affectibus quibuſvis dediti, ea crebro totas noctes ſomniant, quæ interdiu aut geſſerunt, aut cogitarunt. Veriora etiam habentur ſomnia brevia, quæ ordinem quendam præ ſe ferunt; ſiquidem prolixis ac confuſis evidentiora ſunt. Veriora, quæ æſtate & hyeme, & quæ in primis ſole ſupra horizontem exoriente, vel primo diluculo, viſa.

§. 21. Somnia interpretes ad duo genera redigunt: uno contemplativa, altero *allegorica* complectuntur ſomnia. Illius generis ſunt, quæ ſuæ ipſorum viſioni reſpondent: hujus vero, ubi alia per alia ob convenientiam, ut putant, aliquam ſignificantur, anima ipſa quippiam obſcure in ipſis, indicante. (118) Utriusque generis tum apud Medicos, tum apud alios rerum memorabilium ſcriptores compluria admodum exempla proſtant, quæ indicare, ſupervacua duxi; quinimo a propoſito meo longius, quam par eſt, mihi declinandum eſſet. His igi-

Somniorum duæ ſpecies.

(117) Ibidem Cap. I. & Cardanus in Libr. I. Syneſior. Somn. Cap. V.

(118) Idem Cap. II. & Libr. IV. Cap. II. *ſpeculativa* ſomnia vocat, quæ ſic eveniunt, quemadmodum videntur. *Allegorica* vero, quæ ea, quæ ſignificantur, per ænigmata oſtendunt. Illa e veſtigio vel brevi admodum tempore: hæc vero intercedente modico vel longiori tempore evenire.

igitur miſſis properabo ad ſomniorum ſignificationes, quantum eæ ad Medicum pertinent: quantumvis interea non inficier plurima dubia, quæ mera hypotheſi nituntur, in hac divinandi arte tradi. Sed ad rem.

Ex Somniis prædictiones.

§. 22. Si quis viſus eſt ſibi per nocturnam quietem eodem modo ea agere, quæ interdiu recte geſſerit, aut conſuluerit, incolumitatis corporis ſignum eſt: ſin vero contraria in ſomno viſus eſt, aut ante acta inter ſe non conveniunt, in corpore perturbationem eſſe ſignificat. Cœlum, Sol, Luna, cæteraque aſtra ſecundum quietem viſa, ſanitatem corporis ſignificant. Si ſereno cœlo in ſomno videntur ſidera imbecilla, eorundemque ambitus ſiccitate detineri, morbi imminentis periculum denunciant: ſin autem ignea & calida, bilis ſecretionem indicant. Ubi evicta diſpareant, ex morbo mortis periculum ſignificant: ubi celeriter aufugere videantur, inſaniam portendunt: ubi pura & ſplendida ſuo ambitu excidere videantur, ſanitatis ſignum eſt. Salutem itidem ſignificant, ubi quiſpiam ſomniaverit, ſe ea, quæ in terra fiunt, acute cernere, audireque, vel valide iter facere, ſecure currere, aut terram bene cultam, arbores pullulantes, fructiferas, flumina ſolito modo fluentia, aquam limpidam, fontes puteoſve decenter conſtitutos videre. Ubi ſomniantium viſa his dictis adverſantur, contrarium ſignificant. Si quis imaginatus eſt audiendi videndive ſenſum eſſe læſum, capitis morbos: ſi terram aſperam ſe videre, im-

impuritatem carnis: ſi arbores ſteriles, ſeminis genitalis corruptionem indicant. Si ex arboribus folia decidere aliquis ſomniat, ſignificat ab humidis & frigidis offenſionem: at ſi frondoſas & ſteriles, a calidis & ſiccis læſionem. Flumina juſto magis aut minus fluentia ſanguinis aut multitudinem, aut defectum denotant; impura, perturbationem; fontes & putei, flatus circa veſicam: mare procelloſum, ventris morbum: Terra vel domus commota, in ſoſpite imbecillitatem, in ægroto autem ſanitatem: Terra diluvio mixta, morbum ab humorum exuperantia oriturum, denotat: nigra autem & exuſta, ſiccitatis in carne abundantiam. Si quis in ſomnis viſus eſt, in ſtagno, mari aut flumine natare, in febricitante bonum: at in ſano plenitudinem humorum ſignificat. Si quis ſecundum quietem videt mortuos nitidos & candidatos, vel aliquid purum ab ipſis capere, bonum: malum autem ſi atratos, ſordidos, aut aliquid accipientes vel ex ædibus exportantes videt. Viſa ſomniantium monſtroſa hominemque perterrefacientia, ciborum non conſuetorum repletionem & morbum ancipitem ſignificant. Si cuipiam per ſomnum videtur ſolitum cibum vel potum ut panem, aquam &c. ſumere, bonum. Si pugnare, pungi, aut ab aliis vinciri, ſecretionem ambitui contrariam in corpore factam ſignificant: ſi errare, aſcendereque ſibi videtur, gravia quædam denunciant: ſi fluviorum tranſitus cuipiam videre aut hoſtes armatos, aut mon-

ſtra

ſtra horrenda, morbum aut furorem prædicunt. (119)

Reſpiratio & venarum pulſus perdurant quamdiu animal vivit.

§. 23. Deſcriptis actionum animalium læſionibus pergam vitalium actionum læſarum

(119) Hæc ex Libro Hippocratis de Inſomniis. Dictis quædam ex aliis auctoribus ſubjungam. Si quis per quietem videt incendia, ignem, fulgura, res citrinas, vel cum aliquo jurgare ſibi videtur, bilis copiam indicant. Si imbres, nivem, glaciem, grandinem, flumina, humoris vel phlegmatis abundantiam indicant. Si gallorum gallinaceorum criſtas, res colore rubras, ſanguinis profluvium, ſeque ſanguini innatare &c. multitudinem ſanguinis produnt. Si fumum aut caliginem, aut profundas tenebras, aut res colore fuſcas vel atras, & alia, quæ apta ſunt pavorem, terrorem &c. inducere, atram bilem exuperare indicant. Si cuipiam per quietem videtur in loco fœtido vel cœnoſo eſſe, putredinem humorum declarat: ſi caliginoſa cernere, aut in hujuſmodi locis verſari, flatus indicant. Si aquilam, vel accipitrem ſe in ſomnis viſum eſſe factum, & alitum horum more volare, alias volucres invadere, rapere &c. ſiccitatis in corpore dominantis eſt nota. Si cuipiam in ſomno videtur a re gravante premi vel aggravari, plenitudinis ſignum eſt. Si quis ſomniat ambulationem a ſe per hortos ſuaveolentos factam, ſignificat humores corporis bene temperatos: ſin vero aliquis viſus eſt in ſomno ſe per loca anguſta aut foramina ire, ſignum hoc eſt vaſa reſpirationi dicata male affecta. Hæc Galenus Comment. in Libr. I. Hipp. de morb. vulg. §. I. & Libello de dignot. ex inſomn. Avicenn. Libr. I. Fen. II. Doctr. III. Cap. VII. Rhaſis ad Manſor. Libr. II. Cap. XXIV. & Libr. I. aphor. XXXI. ſcribit, eum, qui terribilia multa ſomniavit, ac horum, ubi evigilavit, fuerit memor, abundare humoribus: ſin autem eorum oblitus fuerit, ac noctem inſomnem duxerit, habueritque inſuper pulſum debilem, ſignificari infirmitatem corporis propter humorum defectum obortam. Vide etiam Gaizonem de Somn. &c. Cap. VIII. Sunt & alia in ſomnis viſa, quæ ægroto dicantur varia portendere. v. g. Artemidorus Libr. I. Cap. XXIIX. auctor eſt, cæcitatem viſam, vel non naſum habere: Cap. XXIX, vel plantam e genibus natam: Cap. XLIX. vel argenteum, aut aureum, aut æreum ſe eſſe factum, aut nimis pulchrum; Cap. LII. mortem ſignificare. Sic dentes excidere in ægroto morbum longum: dentes aureos icterum. Cap. XXXIII. literas barbaras legere aut cum barbaris verſari delirium. Cap. LV. portendere. Plures hujus generis inſomniorum ſignificationes ex hoc auctore, vel Syneſio, vel Apomaſari poſſem tradere. Verum iis ſuperſedere è re mea duxi, ne cuipiam malevolo occaſio detur maledicendi, me utpote fabellas aniles literis prodidiſſe.

rum ſignificationes tradere. Primum autem dicam de interſpiratione, quæ ut & pulſus in totum perire non poſſunt, quamdiu animal ſuperfuerit; tametſi propter utriuſque parvitatem ea ipſa periiſſe aliquando videantur. (120) Sic non raro in iis, qui vitio locorum prolapſæ ſunt, obſervatum eſt, minimam ipſis, & longo admodum temporis ſpatio protractam fieri reſpirationem: quam vix quiſpiam dignoſcet, præterquam quod aliquis ægrotæ nares digito compreſſerit, aut naribus vel ori pilum, plumam, vel ſimilem lævem rem admoverit. (121)

Reſpirationis genera.

§. 24. Totum reſpirationis negotium, per ſe conſideratum, conſiſtit in inſpiratione & exſpiratione. Quandoquidem vero utralibet ſeu temporis ſeu diſtantiæ loci, ſeu intermiſſionis, ratione inter ſe æqualis vel minus eſt; hinc ſenæ reſpirationis ſpecies oriuntur: quarum quaternæ ad motum, binæ vero ad hujus ceſſationem referuntur. Ita ratione temporis, quo reſpiratio peragitur, alia eſt velox alia tarda: ratione organorum diſtenſionis (alias ſpatii vel loci diſtantiæ) alia eſt magna, alia parva: aſt ratione intermiſſionis, alia eſt denſa, alia rara. Hæ ſex appellantur ſimplices reſpirandi difficultates. (122) Ex his variè inter ſe copulatis variæ oriun-

(120) Galenus de difficult. reſpir. Libr. I. §. 6.

(121) Ibidem Libr. III. §. II.

(122) Ibidem Libr. I. Cap. II. & Libr. III. §. 3. Nota, *denſas* arbores &c. plantari dicimus, cum breviſſimum intervallum, quo altera ab altera diſtat, indicare animus eſt: ex adverſo *raras*, ubi magnum intervallam inter ſingulas fuerit relictum. Quoniam vero reſpiratio ex contrariis moti-

oriuntur reſpirationis difficilis ſpecies, ut magna tarda, parva tarda, magna velox, parva velox. Et hæ circa utramque totius reſpirationis partem, inſpirationem puta & expirationem, ſeorſim conſiſtunt: (123) conjugatæ autem, ſunt ex actionum oppoſitione omnimoda, ut magnitudine, celeritate, & iis, quæ illis e diametro contrariæ ſunt. Ex ceſſatione reſpirationis oriuntur quatuor conjugationes, ut frequens velox, frequens tarda, rara velox, & rara tarda. (124) Hippocrates etiam (125) memorat reſpirationem parvam frequentem, magnam raram, parvam raram, frequentem magnam: calidam & frigidam. Commemorat præterea interſpirationes, quæ inæqualitatem quandam præ ſe ferunt, ut quæ foras magna, intro parva, & quæ intro magna, foras autem parva, procedit. Hanc extendentem vel tardam, illam vero urgentem vel velocem eſſe. His addatur duplex intro revocatio, qualis obſervatur in iis, qui ſuper inſpirant. (126)

§. 25.

motibus ſecundum intermiſſiones diſtinctis compoſita eſt, denſam ipſam efficit brevitas acceſſionum, raram vero longitudo. Avicenna Lib. III. Fen. X. Tract. I. Cap. VIII. & ſeq. plures anhelitus ſpecies enumerat; memorat enim ſpiritum magnum, parvum, ſublimem, altum, longum, brevem, velocem, tardum, frequentem, frigidum, fœtidum. Hippocrates Libr. II. Sect. III. §. 4. de Morb. vulg. mentionem facit reſpirationis frequentis, raræ, parvæ, magnæ, calidæ, frigidæ. Commemorat & alias, quæ vel ad compoſitionem vel ad inæqualitatem referuntur, de quibus paulo poſt agam.

(123) Galenus Libr. I. Cap. XX. & XXI. de diffic. Reſpir.

(124) Ibidem Cap. XXII.

(125) Libr. VI. Sect. II. §. 8. de morb. vulg.

(126) Galenus de difficult. reſpir. Libr. III. Cap. III. & ſeq. Nota, duplex intro revocatio animadvertitur in iis, quibus ipſa in faucibus eliditur,

§. 25. Antequam aliquis omnis generis reſpirationum ſignificationes prædicere poſſit, animo is prius præſagiat, neceſſe eſt, reſpirationem, prout ea cuique ætati propria eſt. Namque pueris plerumque eſt interſpiratio frequens & velox cum magnitudine aliqua: adoleſcentibus major quidem, ſed minoris velocitatis & frequentiæ: ſenibus minor eſt, quam juvenibus, ſed non adeo parva, ut decrepitis ſenibus: decrepitis vero ſenibus eſt omnium minima, tardiuſcula, & oppido rara. (127) Has reſpirationes heterorhytmas, i. e. earum ſecundum ætates differentias, niſi quiſpiam recta via ſecum reputaverit, errore capi nullo negotio poteſt futurum morbi qualemcumque eventum prænunciaturus.

Sua cuique homini ratione ætatis eſt reſpiratio.

§. 26. Igitur ſpirare facile magni momenti teſtimonium eſt ad ſalutem, cum in omnibus morbis acutis; quibus febris eſt conjuncta, tum in his, qui intra XL. dies judicantur. (128) Quantum vero ad reſpirandi difficultates attinet, ſciendum eſt ſimplices, quoniam quod ſignificant, id ipſis cum aliis affectibus eſt commune, nihil certi

Reſpirationis omnifariam læſæ ſignificationes.

tur, & unica inſpiratione ſpiritum bis terve recipiunt, ut pueris contingit, qui vapularunt. Hæc Duretus Comm. in Coac. Præn. Cap. IX. §. 4.

(127) Avicenna Libr. III. Fen. X. Tract. I. Cap. XXX. vel ut habet Galenus de difficult. reſpir. Libr. I. Cap. VI. Omnes, qui per ætates adaugeſcunt, ſcribit, habere inſpirationem magnam, velocem denſam; e contrario, qui decreſcunt, parvam, tardam, raram. Eadem differentia advertitur quoque in anni temporibus, inque diverſis Mundi plagis. Scilicet in calidis reſpirationem majorem juxta & denſiorem: in frigidis vero minorem eſſe & rariorem. Galenus de Utilit. reſp. §. 9.

(128) Hippocrates Libro Prænot.

ti ideo indicare. v. g. reſpirationis magnitudo, ſiquidem & urgente utilitate, & læſa mente, fieri ſolet, nullum, quod exploratæ rationis ſit, ſignum exhibet. Ita etiam comparata eſt reſpirationis parvitas, quæ tum dolorem partis alicujus, tum functionem vitalem eſſe proſtratam, indicat. Verum enimvero ſingularia oſtendet affectuum indicia, ubi alterutra fuerit alius generis reſpirationi difficili conjuncta. Sic reſpiratio magna & denſa urgentem utilitatem ſeu inflammationem, ut pleuritidem, peripneumoniam, anginam, & orthopnæum ſignificat: verum ubi magna & rara fuerit, delirium, aut convulſionem: (129) ubi parva & frequens, inflammationem aut dolorem partium reſpirationi inſervientium, i. e. quæ ſupra ſeptum tranſverſum ſunt. (130) Parvus & rarus fit ſpiritus, ac refrigeratur, ubi mors in propinquo eſt: (131) quem & videtur Hippocrates indicaſſe, ſcribens (132) frigi-

(129) Galenus de diffic. reſpirat. Libr. I. Cap. XXII. & Libr. III. Cap. V. & Libr. II. Cap. VII. Hippocrates Libr. Prænot. & Coac. Prænot. §. 260. Celſus Libr. II. Cap IV. Mali morbi teſtimonium eſſe, ſcribit, vehementer & crebro ſpirare. Et Cap. VII. ubi raro quis & vehementer ſpirat, timendam eſſe inſaniam. Et Cap. II. ſpiritum graviorem numerat in ſignis adverſæ valetudinis futuræ.

(130) Hippocrates Coac. Prænot. §. 260. Galenus de diffic. reſpir. Libr. I. Cap. X. & Libr. II. Cap. VII. & Libr. III. §. 6. Quin etiam ejuſmodi reſpiratio fit, ſi dolor circa coſtas, aut ſternum, aut ſtomachum, aut ſplenis caput, aut gibbam, jocinoris partem extiterit. Nec non parum & frequenter reſpirant aliqui a potu vel cibis, propter diaphragmatis coarctationem: item gravidæ, & qui aqua inter cutem, aut qui inflammatione ſeu hepatis, ſeu ventriculi, ſeu ſplenis laborant. Idem de Utilit. Reſpir. §. 9.

(131) Idem in III. Libr. Hipp. de Morb. vulg. Comm. III. §. 76.

(132) Libro Prænot. Quinimo

gidum ex ore & naribus expiratum, eſſe admodum exitialem. Præterea propter morbos & exercitationes aut exantlatas aut intermiſſas fit alia atque alia reſpiratio. Sic, ubi corpus calore abundat, fiunt veloces magnæ & denſæ inſpirationes: e diverſo, ubi frigore, contingunt tardæ, parvæ & raræ. Variat quoque exſpiratio ſecundum multitudinem & ſuperfluitatem rerum expirandarum. Hæ etenim ſi in copia præſto fuerint, evenire ſolet expiratio maxima, velociſſima & denſiſſima: ſi earundem defectus, vel ſi eæ pauciſſimæ modo adfuerint, fit tum minima, tardiſſima rariſſimaque exſpiratio. (133)

§. 27. Equidem ſpiritus frigidus, ut paulo ante ſcripſi, eſt mortifer; ejuſdem conditionis eſt etiam febriculoſus & fuliginoſus, minus tamen quam frigidus. Nec minoris momenti eſt inæqualis, ut magnus foras efflatus, intro parvus; & contra, foras parvus, intro magnus, qui ſane peſſimus eſt, & morti propinquus. Quin minus lethalis habetur tarda inſpiratio & propera exſpiratio, & reſpiratio obſcura, & duplex intro revocatio, qualis obſervatur in iis, qui ſuper inſpirant, convulſionem autem ſignificat. (134) Qui ſpiritum trahit ſublimem cum

Continuatio prædictionum ex ſpiritu.

mo Galenus auctor eſt de diffic. reſpir. Libr. III. §. 8. frigidum ſpiritum eſſe eundem, qui alias rarus & parvus dicitur.

(133) Idem Libr. I. §. 6. de diffic. reſpir.

(134) Hippocrates Coac. Præn. §. 260. Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXXI. ſcribit anhelitum plorantium ſimilem, interfectum, malum eſſe: quin etiam frigidum in morbis acutis.

cum voce ſtrangulatui ſimili, ubi vertebra ejus intro luxata; huic animam mox relicturo ſpaſtica quaſi continget interſpiratio. (135) Qui vehementer in dormiendo exſpirant; reflexaſque habent palpebras, atque projectos aut retractos oſtendunt artus, ii male ſe habent. (136) Si quis expiraverit ſine inſpiratione, & alterutrum labrum fuerit ſurſum everſum, is tertio die e vita excedet. (137) Reſpiratio obſcura vel exigua in tabidis & non parientibus, mala. (138) Spiritus in febribus offendens, i. e. qui in medio interruptus ſubſtiterit, malus eſt: portendit enim convulſionem. (139) Hinc in febre non intermittente reſpirandi difficultas & delirium, mortem portendunt. (140) Spiritus in febri peſtilentiali fœtidus mortem plerumque ſignificat. (141)

Monita quædam circa prædictiones e ſpirandi difficultate.

§. 28. Inter affectus, qui ſenectutem comitantur, locus eſt etiam ſpirandi difficultati: (142) hæc ſenes diu multumque, priuſquam vitæ curriculum abſolvant, ſæpenumero infeſtat. Non adeo certa itaque in his ejuſmodi affectus prædictio eſt, quam ſi ea in aliam ætatem inciderit. Neque certa prædictio eſt ex difficili reſpiratione, antequam morbus conſiſtat, complures enim inſtante criſi difficulter reſpirant, qua peracta tandem

(135) Idem Prædict. Libr. I. §. 87. & Coac. Præn. §. 266.

(236) Coac. Præn. §. 64.

(137) Hoc a Chinenſibus obſervatum, teſte Cleyero. pag. 34.

(138) Hippocr. de morb. vulg. Libr. VI. Sect. VII. §. 12.

(139) Idem aphor. LXVIII. Sect. IV.

(140) Ibidem §. 50.

(141) Avicenna Libr. IV. Fen. I. Tract. IV. Cap. II.

(142) Hippocrates Sect. III. aphor. XXXI.

dem apparet, quo pacto morbus ſit finem aſſecuturus. Quin etiam cuipiam ob, erratum in diæta, uſu aliquando venit reſpiratio difficilis, quæ tamen potiſſimum poſtridie deſinet. Hæc & ſimilia conſiderare diſcernereque oportet Medicum, ne rerum prædicendarum ignarus habeatur. (143)

§. 29. Hæc de reſpiratione difficili hactenus: aggrediar nunc quædam de ſtrangulatione, in qua ægri omnino parum vel vix aliquid inſpirant, perſcribere. Eſt autem ſtrangulatio interitus ſubitus propter defectum reſpirationis obortus. (144) Affectus proinde eſt admodum periculoſus. Et ſtrangulari, ut ſpecie ipſa mortiferum eſt, ita mortem in propinquo eſſe, omneſque ſpes ſalutis concidiſſe denunciat, quando ſtercus in ſtrangulatione forti ſponte ſua excernitur. (145) Ita etiam ex ſtrangulatis & reſolutis, necdum tamen mortuis, ii nunquam reſtituuntur, quibus ſpuma circa os fuerit collecta. (146) Quin minus peſtiferum eſt, ubi febrem habenti ſtrangulatus citra tumorem, fauces occupantem, repente ſupervenerit.

Prognoſtica ſtrangulationis.

(143) Idem Libr. Prædict. II. §. 2. & Galenus in aphor. LXXI. Sect. IV. Confer hæc cum iis, quæ ſupra §. 26. & in notis num. 130. memoravi.

(144) Galenus in aphor. XXXIV. Sect. IV.

(145) Duretus in Coac. Prænot. Libr. II. Cap. XV. §. 7. Ubi aliter, quam Fœſius §. 368. Coac. Præn. legit. Diſcrepantia eſt in voce πνιγμοῦ, quam hic legit σφυγμοῦ. Illam Latine reddunt ſtrangulationem; hanc vero pulſationem. Ex notis tamen a Fœſio adſcriptis apparet priorem vocis lectionem eſſe eligendam.

(146) Hippocrates Sect. II. aphor. XLIII. Videtur etiam Celſus Libr. II. Cap. VIII. ad hunc locum reſpexiſſe, quum ſcribit: *Neque is ad vitam redit, qui ex ſuſpendio ſpumante ore detractus eſt.*

nerit. (147) Imo ſtrangulatio in præcipitibus malis, ubi fauces graciles vel æquales ſunt, perniciem minatur. (148) Sic etiam dolor, ſtrangulationis in modum in faucium æqualitate aliquem invadens, convulſionem portendit. (149)

Animi defectio quæ, & quid portendat mali.

§. 30. Ad actiones vitales læſas referuntur etiam cordis palpitatus, ſyncope, animi defectio, & venarum pulſus quoquo modo depravatus. Cordis palpitationis atque ſyncopes in altera hujus operis parte, ubi corporis affectus de induſtria ſingillatim pertractabo, mentionem faciam. Heic loci pauca tantum dicam de animi defectione, quam Græci λειποθυμίαν, ἀψυχίην, *lipopſychiam* ſive *eclyſin* vocant. Et ſecundum Aretæum (150) ea eſt genuum reſolutio, ſenſuſque per aliquantum temporis ſtupor & exanimatio, & prolabſio: cujuſmodi affectus, ubi ſæpe ſæpius & vehementer, ſine manifeſta cauſſa in aliquem ingruit, portendit, hunc improviſo animam efflaturum.

(147) Hippocrates Sect. IV. aphor. XXXIV. Coac. Prænot. §. 277. Celſus Libr. II. Cap. VI. ita Græca videtur in latinum vertiſſe. *Neque is ſervari poteſt, qui ſine ullo tumore febricitans, ſubito ſtrangulatur, aut devorare ſalivam non poteſt.* Haly Theor. Libr. X. Cap. X. non mentionem facit tumoris, ſed ſcribit ſtrangulationem febri ſupervenientem eſſe funeſtum ſignum. Et Conſtantinus Afer. loc. comm. Libr. X. Cap. eodem fere modo ſcribit: *Suffocatio ſubita in peracutis febribus, ſi nequit tranſglutire, niſi cum difficultate eſt mortale.*

(148) Hippocrates Coac. Prænot. §. 61.

(249) Idem Prorrhet. Libr. I. §. 104.

(150) Libr. I. Cap. VII. de morb. diut. Ætius Tetr. II. Serm. I. Cap. CI. eam hac ratione differre a ſyncope tradit. Illam videlicet derepente hominem adoriri, ac eundem ſenſu & motu privare, atque talem omnino non ſedare: hanc vero vigilantes & dormientes pariter ſudore omnino præſente, invadere.

rum. (151) Ubi intenſior animi defectio in febribus acutis, funeſtum hoc crebro ſignum eſt. Tabidis ſi ſæpenumero contingit animo linqui, ſignificat mortem in propinquo eſſe. Peſtiferum quoque eſt, ſi is, qui animo linquitur, non facile ad ſe redit, ſed multum ac diu inſenſilis ac immobilis cum vultu viridis ſive lividi coloris perſtiterit. Non adeo extimeſcenda eſt animi defectio, quæ propter res graviter olentes, vel animi affectus, vel vitia locorum, oboritur. (152)

§. 31. Equidem Hippocrates non ignorabat venarum pulſationes, & ſpiritus reſpirationem pro ætate conſentire aut diſſentire; atque has morbi perinde & ſanitatis eſſe indicia. (153) Primus igitur fuit, qui nomen pulſus literis prodidit; & quamquam is videatur doctrinæ de pulſu non omnino ignarus fuiſſe: tamen hanc artis partem pene reliquit intactam, nec ſingulis arteriarum motionibus ſingularia nomina impoſuit. (154) Verum qui eum ſubſecuti ſunt, ut Praxagoras, Herophilus, in primis vero Galenus hanc de venarum pulſu doctrinam in tantum ampliavit, ut aſſerere non dubitem, hominis ingenium vix habile ad ea tactu

Difficile eſt pulſus ſcientiam diſcere. In ea multa inſunt, de quibus Medicis certum non eſt.

(151) Hippocrates Sect. II. aphor. XLI.

(152) Hæc ex Theatro Prax. Med. Zwingeri. §. de lipothymia.

(153) Libro de alimentis.

(154) Galenus de pulſ. differ. Libr. I. Cap. II. Libr. III. Cap. XI. de Criſib. Pergamenus noſter ſcribit, Hippocratem ſingula futuræ criſeos ſigna tradidiſſe excepto pulſu; & paulo poſt. Signa ex arteriarum pulſu deſumta Hippocratem non eſſe executum: incertum eſſe, utrum id fecerit, quia non noſſet, an quia non magni ea fecerit.

tactu dignoſcenda, quæ pulſuum genera paſſim ab ipſo, ejuſque ſectatoribus memorantur. Imo nonnullis vix veroſimile videtur, vaſtam iſtiuſmodi a Galeno de pulſu traditam diſciplinam, unquam ab aliquo ad uſum Medicum revocatam, aut revocari poſſe: & multa multos de pulſuum quorundam dignotione potius jactare, ut non minus, quam Galenus & alii Medici ſapere videantur, quam quod re vera eos mente aſſequantur. (155) Quotus enim quiſque ſibi aliiſque ad veritatem perſuadebit, ſe tactu conſtrictionem arteriæ explorare poſſe. Equidem de adeo exquiſito tangendi ſenſu gloriabantur olim, qui de familia Herophili erant: verum complures ex aſſeclis Eraſiſtrati, & ex Pneumaticis Agathinus, & ex recentioribus Baptiſta Montanus & Hercules Saxoniæ &c. inficiabantur *ſyſtolen* ſub tactum cadere. (156) Galenus tamen, auctor idoneus, ſcribit, (157) in pulſu vehemente & magno, arteriam verſus ſuperiora mediocriter palpatam frequenter *ſyſtolen* prodere. Quotus quiſque Medicorum eſt, qui habeat vel ingenium vel judicium adeo acre, ut tot genera pulſus, quotquot a Galeno, vel a Chinenſibus Medicis, literis mandata, examuſſim dignoſcere valeat. Non erubeſco fateri, quod in hac doctrina non modo mihi, verum plurimis ex Medicis, aqua hæreat, ut ajunt. Demus hoc adverſariis, & conceda-

(155) Sennertus Inſtit. Libr. III. Part. I. Sect. IV. Cap. VI.

(156) Ibidem & Galenus Libr. I. Cap. III. de dignoſc. pulſ.

(157) Ibidem Cap. VII.

damus, eſſe multos adeo ſenſiles, ut ſingulas pulſus ſpecies, & percipere poſſint, & dijudicare. Nonne plura ſuperſunt obſervanda, antequam aliquis ex pulſu hominis cujuſmodicunque conſtitutionem ſciſcitari, aut, quæ futura ſunt, prædicere poſſit. Enimvero animadvertenda ſunt ætas, anni tempora, regiones, temperamenta, affectus animi & corporis, ſomnus, vigilia, tempora poſt vel ante cibum &c. quæ ſingula, tametſi corpus integrum, pulſum plurifariàm turbare queunt. Proinde eſt boni Medici dicta obſervare, & naturalem cujuſque pulſum addiſcere, ne hujus gratia errore capiatur. (158) Quid? quod Medici, cum nonnullorum venam tetigerint, adverterunt pulſum intermittentem, corde interea continenter palpitante. Nonne ſæpe ſæpius obſervatum eſt, plurimis morbo maligno ægris fuiſſe pulſum ſanorum ſimilem, & tamen eos confeſtim e vita exceſſiſſe. E contrario complures, quæ vitio locorum prolabſæ, aut qui ob cauſſam externam animo linquuntur, convaluiſſe, quantumvis vena tacta vix ſenſiferum motum digitis impertiret. Itaque ex his & aliis exemplis, quorum pluria, niſi anguſtia ſcriptionis inhiberet, in medium proferre poſſem, efficitur, Medicum oportere moderate ſe gerere, & caute excogitare quid dicat de præſagio ex pulſu deſumendo. Is enim poteſt nullo nego-

(158) Celſus Libr. III. Cap. VI. & Bellinus Tract. de Pulſib.

negotio ſagaciſſimum quemque in errorem ſeducere. (159)

Pulſuum genera quot.

§. 32. Quandoquidem verò longa annorum ſerie in more poſitum eſt, ut, ſi ægro placet accerſiri Medicum, is illius venam tangat, ac ita de qualicunque ejus conſtitutione judicium proferat, non ab re fore putavi; ſi ea, quæ a multis prolixe ac copioſe dicta, ad compendium quoddam contulero. Sed ad propoſitum redibo. Pulſuum varia genera ſunt; ut, ſecundum diſtenſionis arteriarum quantitatem, pulſus eſt longus, latus ſeu profundus: huic e diametro contrarius eſt brevis, anguſtus, humilis. Pulſus igitur, qui ſecundum triplicem iſtiuſmodi dimenſionem inſigniter fuerit adauctus, magnus appellatur: parvus magno contrarius eſt. Secundum motus qualitatem pulſus eſt vel celer vel tardus: hic a remiſſiore, ille a concitatiore ſanguinis motione oritur. Secundum arteriarum qualitatem alius mollis, alius durus eſt: Illius generis eſt ubi carnoſior; hujus vero ubi arteria rigidior corii inſtar, apparet. Secundum quietem (quam ſive pulſationum intervallum, ſive arteriæ contractionem dixeris, perinde eſt) pulſus eſt vel creber vel rarus. Denique ſecundum vigorem vitalitatis, alius eſt vel vehemens vel debilis. (160) Hæ ſimplices pulſuum differen-

(159) Proſper Alpinus de Præſag. vit. & mort. Libr. IV. Cap. IV. V. & Bohnius de Offic. Medic. Part. I. Cap. VIII.

(160) Galenus de Pulſ. ad tiron. Cap. II. & ſeq. Utcunque hujuſmodi pulſuum differentiæ excogitatæ ſint, aſſentior tamen Bellino & Fieno, Cap. VIII. Part. II. ſemiotic. pauciora pulſuum genera ſtatuentibus. Nempe pulſum magnum

rentiæ ſunt: ex quibus multimodis inter ſe copulatis oriuntur varii pulſus compoſiti, ut magnus poteſt eſſe inſimul vel celer, vel moderatus, vel tardus. Eadem conditio eſt parvi pulſus. Ita etiam pulſus vehemens poteſt inſuper eſſe aut durus aut mollis. Debilis & moderati eadem ratio eſt. Si rhytmum (qui eſt ordo & lex temporis, in quo ſpiritus, vel ſanguis potius, arterias dilatat vel conſtringit) (161) quilibet ſervaverit, æqualis; ſin minus, inæqualis pulſus appellatur. Inæqualitas autem ejus vel ex unico, vel ex pluribus venarum percuſſibus, apparet. Ex unico, ſi quis quatuor digitis venam tangens, unoquoque digito peculiarem arteriæ motionem ſenſerit. Hujuſmodi eſt *caprizans*, *Dicrotus*, &c. Ex pluribus, ſi percuſſus modo major aut minor: modo velocior aut tardior &c. fuerit, cujuſmodi pulſum Græci συστηματικὸν nominant: (162) & ejus varias ſpecies enumerant ut *myurum* intermittentem, fornicantem &c. (163)

§. 33. Medici, omnibus veſtigiis venarum percuſſus indagaturi, eſt animadvertere quædam — Præcepta de vena tangenda.

gnum eſſe eundem, qui vehemens & plenus: parvum eſſe inſimul debilem. Non differre etiam inter ſe crebrum & celerem: nec rarum & tardum. Siquidem tunc homines celeriter currunt, ubi pedes per minimum temporis ſpatium quieverint.

(161) Philaretus de Pulſ. Cap. x.

(162) Actuarius Libr. I. Cap. IX. Method. Med. Inordinatus etiam dicitur, ubi tres magnos & unum exiguum duo vehementes percuſſus comitantur. Philaretus Ibidem.

(163) De quibus vide Dialog. x. Hiſtor. noſtræ Medic. ubi iſtiuſmodi vocabula interpretatus ſum. Vide etiam Galeni Libr. de Pulſ. ad tiron. Cap. VII. VIII.

dam præcepta contrectandi venam; deinde aliqua, quæ circa ipſum infirmum obſervanda ſunt. Medicus igitur ægrum inviſens, non illico, quam advenerit, venam tangat, ſed moram pauliſper faciat, donec is tranquillo pacatoque animo videatur. Hinc digitis quatuor nec nimis calidis nec nimis frigidis ſub carpo alterutrius manus, ab omni motu voluntario liberæ, arteriam contrectet; ita tamen ut plures percuſſuum differentiæ poſſint percipi. Quæ ut poſſint examuſſim indagari, neceſſe eſt arteriam modo comprimere, ut innoteſcat pulſus magnitudo ſeu vehementia: modo leniter eandem palpare, ut parvitas ſeu debilitas: modo mediocriter comprimere, ut perfectiorem pulſus ſeu vigoris, ſeu languoris notitiam ſibi pariat. Nec ſatis eſt unius manus arteriam tetigiſſe, ſed oportet alterius prehendere; ſubinde etiam ſupra carpum verſus pollicem. Nec non ex uſu aliquando eſt circa tempora arteriarum pulſationem inquirere. Uſus namque docuit pulſum, qui vix poterat in manu explorari, ſenſiſerum notabiliter iſtic loci fuiſſe. Quod ad ipſum ægrotum attinet, oportet eum ab omni animi affectu eſſe liberum, nec cujuſmodicunque exercitationem ſubiiſſe. (164)

Pulſus variat ratione ſexus, ætatis, anni temporum, regionum &c.

§. 34. Antequam Medicus ſententiam de natura pulſus promulget, neceſſe eſt ipſi perſpectum habere pulſum; prout is ſexui, tem-

(164) Sennertus Inſtit. Libr. III. Part. I. Sect. IV. Cap. VI. Bohnius de Offic. Med. Cap. VIII.

temperamentis, ætati, regioni, exercitationibus, cibo, potui, animi affectibus, &c. congruenter ſe habeat. Horum differentiam, ac notitiam, niſi ex diuturno uſu ſibi comparaverit, vix aliquid, quod exploratum ſit, Medicus de contrectatione venæ judicabit. Proinde memoriæ mandandum eſt, viros mulieribus habere plerumque pulſum majorem, vehementiorem, paulo tardiorem vel rariorem. Quos natura calidiores, eorum pulſum eſſe multo majorem, celeriorem, crebriorem, quam qui frigidum ſortiti ſunt temperamentum. Graciles præ obeſis habere pulſum majorem, vehementiorem, rariorem. Infantibus creberrimum, ſenibus autem rariſſimum eſſe pulſum. Juvenibus maximum vehementiſſimumque: ſenibus vero minimum languidiſſimumque: at medium inter hos pulſum eſſe pueris. Gravidis eſſe pulſum majorem, ocyorem, denſiorem, quam quæ utero non graves. Ratione anni tempeſtatum medio Vere vel autumno pulſus eſſe maximos & vehementiſſimos & celeres & crebros: circa mediam æſtatem & hyemem pulſus eſſe parvos ac debiles: velociores tamen ac frequentiores æſtate, tardiores autem & rariores hyeme. Regionum nec non aëris naturam in variandis pulſibus ita comparatam eſſe, ut temporum anni. Ratione ſomni pulſum ab initio eſſe minorem, debiliorem, tardiorem, rariorem: poſtea tarditatem juxta & raritatem augeri: præſertim vero a cibo majorem vehementioremque fieri. Eos, qui expergiſcuntur,

tur, e veſtigio habere pulſum magnum, vehementem, celerem, crebrum quodammodo vibrantem: quem tamen paulo poſt in mediocritatem vergere. Eum, qui exercitationem quamvis moderatam ſubivit, habere pulſum vehementem, magnum, celerem, crebrum; ſin vero immodicam exantlaverit, parvum, languidum, velociſſimum, frequentiſſimum. Balnea moderate calida parere pulſum magnum, vehementem, celerem, crebrum; ubi juſto calidiora, parvum, debilem: & ſi modum excedant, inſimul tardum & rarum. At frigida balnea efficere extemplo parvum, languidiorem, tardum ac rarum pulſum. Cibum largum concitare pulſus inæquales inordinatos: moderatum, magnos, celeres, crebros, vehementes: vinum pari modo ut cibos pulſum variare: diſcrimen tamen quoddam inter utraque eſſe, quod in eo ponitur, quod vinum extemplo pulſum immutet, aſt hæc mutatio non tamdiu durat, quam illa, quam cibus effecit. Ratione animi affectuum pulſum itidem alio atque alio modo conſtitutum eſſe. Nempe in Ira pulſum eſſe magnum, vehementem, celerem, crebrum: in lætitia magnum, vehementem, rarum; in triſtitia parvum, languidum, tardum, rarum: in timore tandem recentiore vehementem, celerem, *vibratum*, inordinatum, inæqualem. Ubi autem timor inveteravit, ejuſdemmodi pulſum efficiet ut triſtitia. (165)

§. 35.

(165) Hæc e Galeni Libro & e Libello de pulſib. ad tiron; tertio & quarto de cauſſ. pulſ. Cap. x, & deinceps,

§. 35. Indicium, quod Medicis pulſus miniſtrat, ſitum eſt in ſenſu & intellectu: ille de præſentibus, at hic de præteritis, deque futuris judicat. (166) Verum, ut ne rerum confuſio oboriatur, obiter moneam, neceſſe eſt, Medicos, prout alicui familiæ nomen dederint; ita verbis ſingularibus ſolere judicium de pulſu indicare; quamquam, quod ad res pertinet, inter omnes conveniat. Exempli gratia in medium proferam pulſum vehementem, ſeu magnum. Hunc Eraſiſtrati ſectatores, ſiquis eos de iſtius indicio interrogaret, dicerent ſignificare calorem adauctum in ſpiritibus. (167) Galenus & ejus aſſeclæ, facultatem validam, inſtrumentum molle, & uſum auctum. (168) Waldſchmidius, ſanguinis guttulas ita diſpoſitas eſſe, ut, propter copiam particularum volatilium & ad fermentandum aptarum, prompte rareſcant. (169) Bellinus, ſanguinem libere per corpus fluere, ac copiam ſpirituum in cor influentium, & vaſa cerebri patere. (170) Frid. Hofmannus, *ſpirituaſcentiam* ſeu tenuitatem ſanguinis, & ſpirituum animalium copiam. (171) Boerhavius, vim contracti cordis validam, influxum liquidi nervoſi in cor a cerebello validum, ſanguinis copiam, ſecretiones circui-

Medici, prout Sectæ cuipiam addicti, ita de re eadem aliis atque aliis verbis mentem explicant.

(166) Philaretus Capite ultimo.

(167) Ibidem; is enim, cum ita ratiocinatur, videtur de Secta Eraſiſtrati fuiſſe.

(168) Galenus de Præſag. ex pulſ. Libr. I. Cap. VII. & Sennertus Inſtit. Libr. III. Part. I. Sect. IV. Cap. XIII.

(169) Inſtitut. Medic. Libr. III. Cap. III.

(170) Tractatu de pulſibus.

(171) In Fundam. Med. Semiotic. Cap. I. §. 13.

cituſque humorum bonos, arteriam liberam contractioni idoneam. (172) Quis jam non videt, de pulſu tali omnes ad unum idem ſentire, quamvis ſinguli ſingularibus verbis mentem ſuam expreſſerint, ut robur vitalitatis indicarent. Proinde velim, ut æquus lector non verba, ſed res, quarum ſatago, ponderet, ac æqui bonique conſulat, ſi in hoc volumine offenderit nonnunquam dictiones ſententiarum, a priſcis prolatas. Sed in viam.

Significationes pulſus.

§. 36. Pulſus debilis ſeu parvus contrarium ſignificat vehementis & magni: celer vel frequens, auctum cordis ſanguiniſque motum & calorem indicat; huic contrarius eſt tardus vel rarus: Durus, arteriæ duritiem, quæ vel ab ejus tenſione, vel ſiccitate oritur: mollis humorum copiam, vel humidum corporis habitum. Compoſitus ut magnus & mediocriter rarus, indicat vitalitatis robur: magnus & celer, uſum ſolito magis auctum. Febribus equidem hoc proprium eſt, ut arteriæ celeriter pulſent; verum ſi pulſus celer & magnus, febrem diariam: ſi inſuper inæqualis, febres putridas: ſi celer fuerit una debilis cum parvitate & duritie hecticam prodit: ſi celer vel frequens & parvus, indicat is quidem concitatiorem ſanguinis motum, ſed inſuper facultatis vitalis debilitatem: ſi parvus & tardus, eandem facultatem oppido proſtratam. Dicti tam ſimplices quam compoſiti pulſus, ſi æqua-

(172) In Inſtit. Medic. §. 725. 727.

quales fuerint, generatim quidem indicant cauſſam morbi fixam parti affectæ adhuc ineſſe, tamen in ſpe habemus naturam ægri eſſe ſatis habilem ad illam e loco dimovendam. At inæquales, præſertim vero ſingulares, i. e. qui unico percuſſu inæqualitatem quandam præ ſe ferunt, antedictis periculoſiores habentur. Inæquales, qui cito veniunt & diu durant, periculum denunciant. Intermittentes, quomodocunque fuerint, magis timendi in juvene, quam in ſene vel puero. Inæquales, in quibus plures magnos ſeu vehementes, quam parvos ſeu languidos, percuſſus offendimus, bene etiamnunc de ægroti ſalute ſperare jubent: abjicere autem ſpem, ſi aliter, ac dixi, fuerint comparati. Ad ſummam, ne agam de ſingulis, pulſus languidi, parvi, tardi &c. qui naturæ imbecillitatem produnt, ubi etiam alia ſigna funeſta præſto fuerint, mortem minantur: ex inæqualibus *vermiculans*, intermittens, intercurrens, *myurus* perniciem minitantur: at omnium longe perniciosiſſimus habetur *formicans*, is enim mortis plerumque prodromus eſt. (173) Chinenſes perhibent, ſi pulſus videatur deſtrui, ſi os hiaverit & pedes intumeant, hunc poſt quintam diem moriturum. (174)

§. 37. Ex contrectatis venis præſagire quoque Medicus poteſt, quem eventum habitura ſit *criſis*. Pulſus altus & vehemens bo- Pulſus eventum Criſis indicat.

(173) Hæc ex Galeni Libris de Præſag. ex pulſib. partim ex Sennerto, partim ex Fieni Semiotica, excerpſi.

(174) Cleyerus pag. 56. §. 40.

bonæ judicationis nota eſt, & ſignum conſtans eam jam adeſſe. Si fuerit mollis & undoſus, & ad *diaſtolen* potius feſtinet; ſudoris inſtantis ſignum eſt: ſi vehementer ac valide feriat digitos, & ad diſtentionem magis, quam ad contractionem properet; ſanguinis per nares profluvium indicat, præſentibus utpote oculis fulgentibus, ſeu rubris, præcordiorumque ſine dolore diſtentione, vel difficultate ſpirandi. Si vehemens & durus ac inæqualis, & ad contractionem magis inclinet, per alvum judicationem futuram ſignificat: verum per os, ubi oris ventriculi morſus cum dolore capitis, & vertigo; & oculorum obſcuritas, & agitatio labri inferioris, & multum tenue ſputum ex ore profluens, adfuerint. (175)

Fames, ſitis, quid. Vocabulum famis ut ad mentem Hippocratis interpretari debemus.

§. 38. Ad actiones naturales veteres redigebant nutritionem & generationem, & complures alias hiſce duabus inſervientes actiones. Quandoquidem vero hæ plurifariam læſæ alios atque alios corporis affectus conſtituunt, quos ſingulariter animus eſt in parte ſequente hujus operis pertractare: ideoque miſſis ſingularibus generalia modo heic loci tradam: ea utpote, quæ ad appetitum referuntur. Generatim autem vocabulo appetitus Medici amplectuntur cibi & potus deſiderium. (176) Cupiditatem cibi famem; potus vero, ſitim, appellare ſolemus. Famis vel eſuriei vocabulum variam quoque ſigni-

(175) Galenus Libr. III. Cap. XI. de Criſib. & Ætius Tetr. II. Serm. I. Cap. XXVII.

(176) Galeni Finit. Med. Cap. III.

ſignificationem eſt ſortitum. Nam eſurire illos dicimus, qui ob ciborum inopiam ad extremam cibi appetentiam perveniunt. Hippocrates omnem ciborum abſtinentiam, etiamſi citra penuriam ex electione vel juſſu fiat, conſuevit famem appellare. Igitur aphoriſmum, ubi fames, laborandum non eſt, interpretamur. Qui cibis reficiendi ſunt, iis eo die labor aliquis non eſt injungendus. Namque rationi adverſatur, ſi quis ſeu ſano, ſeu ægroto exercitationes & cibi abſtinentiam pariter præcipiat: utriuslibet quippe vires corporis hoc pacto admodum imminuerentur. (177) Interdum tamen, v. g. quando ſcribit, famem vini potio ſolvit, non illam, quæ cum appetitu naturali fit, ſed eam, quam Medici appetentiam caninam nominant, indicare voluit. Hanc enim vinum epotum profligat, at non illam, quæ ex longa inedia, id eſt jejunitate, orta; ſeu, quæ quamlibet corporis exinanitionem inſequi ſolet: talem nempe non vino, ſed cibis, explere oportet. (178) Ita etiam ea, quæ ſcribit de fame, quod morbus ſit, ſiquidem homini moleſtiam afferat, (179) explicanda ſunt de appetitu ciborum præter naturam.

§. 39. Jejunium facillime ſenes ferunt, dein qui ætatem conſiſtentem habent: minus | Inediam, qui facile ferant, qui minus?

(177) Galenus in aphor. XVI. Sect. II. Et de uſu part. Libr. V. Cap. IX. Famem definivit eſſe ſenſum alimenti ipſi animanti deficientis, quem orificio ventriculi eſſe.

(178) Idem in aphor. Hipp. XXI. Sect. II.

(179) Hippocrates Libro de flatib.

nus adoleſcentes: minime omnium pueri: præſertim vero, qui inter ipſos ſunt alacriores. Etenim qui creſcunt, plurimo indigent alimento; cujus in defectu corpus alioqui conſumitur. Decrepito autem ſeni, etſi non poſſit longam inediam ſuſtinere, paucus tamen cibus eſt opus, ad robur corpori modo conciliandum. (180) Equidem in quovis morbo mente conſtare, & appetentiam cibi permanere, bonum ſignum eſt; (181) modicus tamen ægro propinandus eſt: imo nocet aliquando, in primis febricitanti, quamquam in ſanis robur efficiat. (182) Etenim corpora non pura quanto plus aliquis nutriet, tanto magis lædet. (183) Et ſi cibus præter rationem copioſior vel corpori ſano importare morbum poteſt: (184) quales turbas eundem exiſtimatis eſſe corpori ægroto conciturum? Proinde maxime vituperandi ſunt, qui ut officioſi in ægrum videantur, eidem cibos identidem miniſtrant. De cætero, ſiquis famem tolerat, firmæ corporis conſtitutionis ſignum non eſt: corpus enim, ut vegetum ſe præbeat, alimento

(180) Idem Sect. I. aphor. XIII. & XIV. Vide etiam Galeni explanationes in dictos aphoriſmos. Quare autem decrepiti paulatim cibandi Galenus comparationem facit, & dicit eos apte cum lucernis pæne extinctis comparari poſſe. Has quidem pauculi olei affuſionem, ſed non multi nec ſubito effuſi, ſufferre. Ita etiam illos tali pacto ſuſtinendos, ne ciborum mole obruantur, atque adeo flammula vitæ, ut cum Williſio loquar, extinguatur.

(181) Galenus in aphor. XXXIII. Sect. II. Hippocr.

(182) Idem in aphor. Hippocr. LXII. Sect. VII. Confer. cum his aphor. XI. & XIX. Sect. I.

(183) Hippocr. aphor. X. Sect. II.

(184) Ibidem aphor. XVII.

to eget. Neque is, cui appetentia cibi eſt immodica, bene ſe habet; ortum autem hæc ab humoribus depravatis, ventriculo inſidentibus, ducit: qui, ubi ventriculus iis accumuletur, non modo calamitatem corpori, ſed & mortem non raro, inferre ſolent. (185)

§. 40. Faſtidire omnem cibum erat præter cætera peſſimum ſignum eorum, qui in Thaſo febrem, ad tertianæ naturam accedentem, habebant. (186) Ita etiam Hermocrates, quem recidiva febris corripiebat, continue cibum nauſeabat, nec ſitiebat, quamvis lingua eſſet arida. Non ſentiebat enim, antequam e vita excederet, ſe materiæ vel ſiccæ vel humidæ indigere. Neque vero id ipſi uſu veniebat, quia alterutram non adverteret, mens enim ipſi conſtabat, ſed quia facultas ejus extingueretur. (187) Namque maximum facultatis emorientis ſignum eſt, quod ſi ægri cibos ad deſiderium ſuum confectos, ſimulac guſtarunt, culpent, nec etiam aliquid ex his edant. Hi tametſi ſe habeant peſſime, deteriori tamen conditione ſunt, qui nihil appetunt. Signum enim hoc eſt, virtutem naturalem, qua cibum ac potum appetimus, oppido proſtratam. (188) Præter hæc, faſtidium cibi malum eſt in morbo diuturno; privatim

Faſtidium cibi quid minetur.

(185) Rhaſis Libr. v. aphor. XXXVI. XXXI.

(186) Cujus hiſtoriam monumentis prodidit Hippocrates de morb. vulg. Libr. I. Sect. II. §. 4. 5.

(187) Galenus in Libr. III. Hipp. de morb. vulg. Comm. I. §. XI.

(188) Ibidem Comm. II. §. 3.

tim vero, ſi una dejectiones ſinceræ vel meracæ affuerint. (189) Malum etiam id ipſum eſt in longis dyſenteriis: pejus autem ubi cum febre fuerit. (190) Appetitus proſtratus cum nauſea, vel copioſus ſub ſiniſtro hypochondrio flatus, colicam minatur. (191) Qui ex longo malo convaleſcentes, bene quidem cibum appetunt, aſt in hoc nihil proficiunt, & deinceps eundem faſtidiunt, de morbo recidivo metus eſt. E contrario qui circa initia non valde, poſtea autem bene, cibum appetunt, de his bene ſperamus, eos utpote in tutum evaſiſſe. (192)

Prognoſtica ſitis.

§. 41. Licet Avicenna (193) univerſe de ſiti proferat, eam, ubi magna, in morbis acutis cum ſiccitate vehemente juncta fuerit, inter mala ſigna referri: verumtamen, utut

(189) Sinceræ dejectiones dicuntur, quibus nihil aquati admixtum. Solum enim humorem evacuatum, ſive is melancholicus, ſive bilioſus, ſive porri, aut æruginis colorem præ ſe tulerit, veteres ſtatuebant dejici. Ita Galenus in aphor. VI. Libr. VII.

(190) Hippocrates aphor. III. Sect. VI.

(191) Haly Theoric. Libr. X. Cap. III.

(192) Hippocrates Coac. Prænot. §. 127. & aphor. XXXI. & XXXII. Sect. II. Confer cum his aphor. VIII. hujus Sectionis. quem hoc modo fere legendum arbitratur Galenus. Si quis a morbo revaleſcens cibum cum appetitu ad ſatietatem comedat, ex hoc autem non corroberetur, verum potius gravetur, ſignum id eſt corpus uberiori alimento uti. Sin vero hoc eveniat cibum ſine cupiditate capienti, ſcilicet ut non roboretur, indicium hoc eſt, talem exinanitione humorum vitioſorum indigere: quibus eliminatis fieri non poteſt, quin convaleſcens moderato alimentorum uſu, vires recuperet. Hippocrates Aſiaticorum more ſcripſit. Hi enim, quando dicunt aſſumere cibum, indicare idem ſatagunt, quod nos proferimus; edere cum appetitu ad ſatietatem: non aſſumere autem, comedere ſine cupiditate. Græci ἀποσίτους vocant, qui oblatum cibum faſtidiunt: ἀσίτους, autem, qui eundem ob defectum appetitus non aſſumunt. Idem in Libr. I. Hippocr. de morb. vulg. Comm. I. §. 28.

(193) Libr. III. Fen. XIII. Tract. II. Cap. XIX.

utut hæc dicta ſint, nos de ea ſigillatim potius ſcribemus. Ubi calida & adurente febre, aut deſtillatione acris humoris in ventriculum aliquis non ſitiat, maximæ hoc ſignum eſt pravitatis. Indicat enim facultatem ſentiendi eſſe deperditam: quoniam utrumlibet affectum ſitis inſequatur, neceſſe eſt. (194) Malum eſt, ubi ſitis in morbis acutis præter rationem ceſſet. Pejus eſt, ubi lingua ſicca & urinis claris permanentibus, ſitis tollatur. Peſſimum autem, ubi morbo acuto æger prorſus non ſitiat. (195) Intra XX dies moriturum eum ſcribit Rhaſis, (196) qui in febre ardente non fuerit ſiticuloſus, & cujus pedes frigidi & os amarum fuerit. Sitis mala eſt, quæ celeriter ad contraria permutatur. (197) Scilicet ubi æger, qui paulo ante ſitiebat, nunc non ſitit; & rurſus poſt paulo ſiticuloſus redditur, non deſinente interea affectu ſitim efficiente. (198). Quantum ad ſitim explendam pertinet, prohibet eam os claudere, tacere, auram cum potu frigidam intro ducere. (199) Theorema ſalubre eſt, dare potum

(194) Galenus in Lib. I. Hipp. de morb. vulg. Comm. I. §. 29.

(195) Hippocrates Libr. I. Prædict. §. 57. Præter rationem dicitur ſitis ſolvi in morbis acutis, ſi contingat ſine criſi, ut ſine ſudore, vomitu, dejectione, abſceſſu critico. Vide Galeni Comm. II. in Hipp. Præd. §. 22. & Coac. Prænot. §. 58.

(196) Aphoriſm. Libr. V. §. XI.

(197) Hippocrates Prædict. Libr. I. §. 43.

(198) Galenus in Prorrhet. Hipp. Com. II. §. 8. Duretus in Coac. Hipp. Libr. I. §. 53. Hujuſmodi ſitim, quæ modo accenſa modo ſedata videtur, interpretatur, cum æger modo eſt diligens, modo negligens potionis.

(199) Hippocrates de morb. vulg. Libr. VI. Sect. III. §. 24.

tum ſive ob potationem vini meracioris, ſive ob defectum humidi, valde ſitienti: ſin vero ſitis, utrolibet modo exorta, ſuſtinendo par, melius eſt potu abſtinere, & obdormiſcere. Uſu enim plurimum venit ſitim à ſomno imminutam. (200) Non convenit ſiticuloſis, ſive ita natura ſint, ſive ex aliqua occaſione ſitiant, lac dare. Id quippe in talibus facile in nidorem abit. (201)

Colores corporis varii quid indicent.

§. 42. Dictis ex omnimodis actionibus læſis deſumptis ſignis ſubjungam quædam, quæ partim univerſo corporis habitui, partim alicui ex ejus membris, tribuuntur. De coloribus primum, de calore & frigore deinceps narrabo. Quandoquidem Galenus & ejus ſectatores placitum hoc ratum habebant, quaternos corporis humores, ſanguinem puta, & pituitam, & bilem tum flavam tum nigram, ſi aliquis ex his abundet, poſſe plurimum ad corporis conſtitutionem naturalem depravandam. Proinde dictus hujus diſciplinæ auctor ſtatuit, humorem quemlibet, ubi multitudine exceſſit, poſſe certis notis dignoſci: (202) quas inter colores qualeſcunque corporis in primis retulit. v. g. ubi hoc ſolito albidius factum, notam hanc eſſe abundare pituitam: ubi pallidius aut flavius, bilem: ubi rubicundius, ſanguinem: ubi nigrius, atram bilem: ubi color plumbo ſimilis, aut lividus, aut ex albo & livido mixtus, ſignificare hujuſmodi, crudis hu-

(200) Galenus in aphor. Hipp. Libr. v. §. 27.
(201) Ibidem §. 64.
(202) Ibidem Libro I. aphor. II.

humoribus corpus refertum eſſe. (203) Ipſe Hippocrates ſæpenumero in ſcriptis ſuis memorat colorem, ut ſignum alicujus morbi v. c. quando enumerat ſigna morbi lienis vel icteri, inſimul mentionem facit coloris nigri, pallidi, plumbei, albidi, lividi &c. (204) quos, ſi de his morbis dabitur ſcribendi copia, ſuo loco referam. Attamen liceat heic loci meminiſſe, quæ de colore generatim propoſuit. Quibus juvenibus diu color ſine morbo regio malus eſt, hi capitis doloribus conflictantur, & lapides vel terram edunt, aut hæmorrhoidas patiuntur. Quibus diu color cum virore pallidus ſine vehemente aurigone, hi quidem non terram edere appetunt, ſed illi magis doloribus præcordiorum torquentur. Qui diu habent faciem pallidam & tumidam, hi aut capite, aut viſceribus aut alvo laborant. (205) In malis ſignis annumerat, ſi frequens coloris cum calore ſeu frigore mutatio fi:. (206) Da-

(203) Idem de Sanit. tuend. Libr. IV. Cap. VII. Rhaſis de affect. Junct. Libr. I. Cap. II. Tradit equidem Galenus in aphor. Hipp. Libr. IV. §. 2. plura ſigna quorumvis humorum multitudinis: verum quoniam ea meram hypotheſin præ ſe ferunt, idcirco hæc faciam miſſa. Exempli tamen gratia memorabo reliquas notas, bilem flavam abundare, indicantes; ut puſtulas binoſas univerſum per corpus diſperſas, morſum aliquem in ventriculo, faſtidium vel appetitus cibi defectum, ſitim, os amarum, alicujus membri eryſipelatem, febrem ſeu tertianam ſeu ardentem. Hæc, quomodocunque fuerint, putant Galenus & ejus aſſeclæ, bilis copiam prodere. Reliquorum eadem ratio eſt.

(204) Libro de intern. affect.

(205) Prædict. Libr. II. §. 28. & Celſus Libr. II. Cap. VII.

(206) Aphor. XL. Sect. IV. & §. 60. Sect. VII. Celſus Libr. II. Cap. V. indicia longi morbi deſcribens, ita Hippocratis mentem aſſequitur: ubi corpus modo frigidum modo calidum eſt, & color alius ex alio

Damnat etiam Avicenna, (207) colorem flavum vel nigrum, qui ſubito oboritur; nigrum tamen præ flavo deterioris notæ eſſe. Ubi livor in ſummis corporis partibus in febre fit, mortem in propinquo eſſe, ſignificat. (208)

Prædictiones ex ægroti calore aut frigore.

§. 43. Quantum ad calorem & frigus attinet, Hippocrates ſtatuit, (209) in qua corporis parte calor aut frigus inſigne ineſt, ibi morbum eſſe. Inæqualem calorem & frigus, ubi eodem die contigerint, efficere morbos autumnales. Reliquarum anni tempeſtatum eandem eſſe conditionem. (210) Malum eſſe, ubi in febribus circa ventrem æſtus vehemens & oris ventriculi dolor. (211) Malum itidem ſignum eſt, ubi alio aliud membrum fuerit calidius: præſertim vero, ubi pars ventris partibus reliquis fuerit calidior. (212) Malum eſt ab ardoribus vehementibus fieri convulſionem aut tetanum. (213) Lethale habetur, ſi in febribus non in-

alio fit. Equidem Coac. Prænot. §. 125. habetur crebram coloris in calore mutationem, bono eſſe: verum ejuſmodi aliquam bonam ſpem nobis præbere cum Dureto Libr. I. §. 131. ſtatuo in perturbatione humorum critica: contra in propagatione morbi, eam eſſe ancipitis judicii: quoniam affectiones variæ, unde coloris varietas, non tam facile a natura vincantur, quam quæ ſimplices & uniuſmodi ſunt.

(207) Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXVIII.

(208) Hippocrates Coac. Prænot. §. 68.

(209) Aphor. XXXIX. Sect. IV. Galenus addit *inſigne*.

(210) Idem de humoribus. Cujuſmodi morbi autem ſingulis anni temporibus ſolent homines cumprimis corripere, inveniet. B. L. ſupra. Cap. III. §. 4. hujus operis.

(211) Idem aphor. LXV. Sect. IV.

(212) Rhaſis ad Manſor. Libr. X. Cap. XXI.

(213) Hippocrates aphor. XIII. Sect. VII. Inter ſe diſſentiebant olim veteres, quid per ardores ſeu æſtus ſignificaretur. Ex iis aliqui febres: aliis aëris ambientis fervorem: alii cauteria & cruſtas intellexerunt. Omnes autem ad

intermittentibus externa frigida ſint, interna vero urantur, & ægri ſint ſiticuloſi. (214) Malus eſt æſtus in præcordiis relictus cum febre, in qua univerſi corporis habitus perfrigeſcit; præſertim vero ſi cum ſudoribus contingat. (215) Qui æſtum ſentiunt, & prodeuntibus alvi dejectionibus ſudore tenui diffluunt, iis febris ingraveſcit. (216) Qui corporis æſtuatione & inquieta jactatione conflictantur, ſi hæc in dies ingraveſcant, ii male ſe habent: nec non qui ſpaſtici citra vomitum evadunt. (217) Malum eſt, in morbis acutis frigus partium extremarum. In morbis diuturnis vero, qui præcipue ſine febre, & hyeme, & ætate ſenili oboriuntur, partes extremas corporis, veluti nares, aures, pedes & extremas manus fieri frigidas, non adeo abſurdum eſt. (218) Inſanibile eſt; cum frigus calidis & ſiccis morbis ſuccedat. (219)

§. 44. De dolore, quatenus partem affectam univerſe indicet, ſupra Cap. II. §. 13. dixi. Impræſentiarum autem memorabo etiam dolorem, quatenus is, univerſum præcipue corpus invadens, morbi eventum generaliter ſignificet. De ſignificatione autem do-

Quædam dolorum ſignificationes.

ad unum dixiſſe verum Galenus memorat. Siquidem nervorum diſtentiones, dictis quibuſvis ſupervenientes, propter nervorum ſiccitatem, difficillime curantur.

(214) Idem aphor. XLVIII. Sect. IV. & §. 72. Sect. VII.

(215) Idem Prorrhet. Libr. I. §. 7.

(216) Idem Coac. Prænot. §. 646.

(217) Ibidem §. 557. & Prorrhet. 76.

(218) Idem aphor. I. Sect. VII. Cætera ex Galeno perſcripſi.

(219) Galenus in Libr. III. Hippocrat. de morb. vulg. Comm. I. §. 7. Plura præſagia Frigoris habentur capite antecedente. §. 18.

doloris variorum corporis membrorum deinceps ſigillatim verba faciam. Verum ad rem. Dolores, qui ſine febre invadunt, non mortiferi, at diuturni plurimum ſunt; & multifariam mutantur, ac recurſant. (220) Dolores ſenſim ingraveſcentes, ubi jugulo tenus, & ad partes ſuperiores tendant, perniciem minantur. (221) Duobus doloribus ſimul non in eodem loco obortis. v. g. ubi alter in cubito, alter in tibia fuerit, vehementior alterum obſcurat. (222) Dolent & febricitant magis ægri circa puris generationem, quam cum id ipſum fuerit factum. (223) Quicunque aliqua corporis parte dolentes, dolorem fere non ſentiunt, his mens ægrotat. (224) Dolores ſine criſi ſoluti, vel, ut Galenus ſcribit, repente occultati, inutiles ſunt. (225) Quiſquis dolor deorſum tendit, ſanabilior eſt: e contrario omnis dolor minus Medicinæ patet, qui ſurſum procedit. (226)

(220) Hippocrates Prædict. Libr. II. §. 25.

(221) Idem Coac. Præn. §. 70.

(222) Idem aphor. XLVI. Sect. II.

(223) Ibidem §. 47.

(224) Ibidem §. 6. Celſus Libr. II. Cap. VII. ſic latine vertit. *Quibus cauſſa doloris, neque ſenſus ejus eſt, his mens labat.*

(225) Galenus in Prorrhet. Hipp. Comm. III. §. 75.

(226) Celſus Libr. II. Cap. VIII.

CAPUT VII.

De Excrementis.

§. 1. PAndam hoc loco ſigna, quæ Medici ex rebus, a variis corporis partibus ſecretis, hauriunt. In harum numero referunt ſanguinem, omnis generis bilem, pituitam, ſudorem, ſordes aurium, quas veteres latini *cerumina* aut *marmorata* appellitabant; lachrymas, gramia, ſputum, pus, lac, vomitum, dejectiones alvi, flatus, vermes, urinam; liquorem genitalem. (1) De ſingulis ſigillatim dicam.

Excrementorum appellationes.

§. 2. Sanguinis eruptio, prout ea pluri-fariam contingit, ita alio atque alio modo, ratione locorum, ex quibus prorumpit, appellatur. Equidem verbum αἱμοῤῥαγέω univerſe quamvis ſanguinis eruptionem ſignificat: Hippocrates tamen ei ſtrictiorem ſignificationem tribuit, ac eo potiſſimum indicat ſanguinem per nares fluentem. (2) Ubi ſanguis per os citra ſcreatum redditur, Græci affectum vocant ἔμπτυσιν. i. e. expuitionem: ubi pauciſſimus, & guttatim, exit: aut etiamſi copioſus ex capite, ex ore proruperit, πτύσιν, *ſpuitionem*: ubi a pectore, viſceribuſque inibi latentibus, ut ex pulmo-

Sanguinis eruptioni varium nomen imponitur.

(1) Vide Ruffi Epheſ. Libr. 1. Cap. XXXVI. de appell. Part. Corp. hum. & finit. Medic. Galeno attrib. Cap. 11.

(2) Galenus in 1. Prorrhet. Hipp. Comm. III. §. 45.

mone, aſpera arteria, lociſque ſpinæ finitimis, fertur, *ἀναγογὴν*, rejectionem, (3) recentiores vero *αἱμοπτύσιν*: ubi menſtruo ſpatio e locis erumpit; *γυναικεῖαν*, *καταμήνον*, menſes vel menſtrua: (4) ubi ani ora venarum tanquam ex capitulis quibuſdam ſurgentia, ſanguinem fundunt *αἱμοῤῥοίδας*. (5) Cæteras ſanguinis eruptiones Medici plerumque per quandam verborum circumſcriptionem ſignificant: exceptis lochiis, dyſenteria &c. in quibus affectibus is cum aliis rebus permixtus excerni ſolet: de quibus alibi erit dicendi locus.

Sanguinis e naribus prorupturi præſagitiones.

§. 3. Quibus in febri non exitioſa caput dolet, & oculi caligant, hiſque vibrans ſplendor obverſari videtur, & in alterutra præcordiorum parte diſtenſio quædam ſine dolore & inflammatione oboritur, in adoleſcentibus hæc narium hæmorrhagiam, in adultioribus autem vomitionem futuram, ſignificant. (6) Idem ſanguinis e naribus profluvium indicatur in iis, qui capite gravati, ad ſynciput dolorem ſentiunt, ac pervigilio afficiuntur; in primis vero, ſi in cervice aliquis

(3) Aretæus de cauſſ. & ſign. morb. acut. Libr. II. Cap. II.

(4) Ruffus de appell. part. corp. hum. Libr. I. Cap. XXXVI.

(5) Celſus Libr. VI. Cap. XIIX.

(6) Hippocrates Libro Prænot. & Libr. I. de morb. vulg. Sect. II. §. 7. hoc pacto ſcribit. *Qui febribus ardentibus aliiſve conflictantur cum cervicis dolore & temporum gravitate, ſi tenebricoſa caligo oculis obverſatur, præcordiorum contenſio ſine doloris ſenſu affuerit; iis ſanguis e naribus profunditur.* Et Prædict. Lib. II. §. 29. Quibus ſine febre, ſine colore fœdo frequens eſt verticis temporumque dolor, & ſi nullus adfuerit faciei abſceſſus, aut vocis gravitas, aut dentium dolor, in his ſanguinis e naribus profluvium ſperamus ut contingat.

quis diſtentus ſenſus appareat. (7) Quin & in iis, qui ſtatim ſine ratione perturbantur, ac pervigilant, & quorum alvus nigra compactaque dejicit. (8) Nec non in iis, qui inſomnia cum ſubita corporis jactatione & inquietudine laborant; præſertim vero ubi is antea per nares non fluxerit. (9) Eundem erupturum prænunciant cervicis dolor, oculique admodum rubri: (10) nec non febres ex rigore cum laſſitudinis ſenſu & dolore cervicis. (11) Item, quæ caput concutiunt, & aurium ſonitus excitant. Portendunt etiam hæc menſes erupturos, & hos præcipue, ſi ardor pone ſpinam ſentiatur. (12) In febre ardente aurium ſonitus, cum oculorum obſcuritate, & ad nares gravitatis ſenſu, mentis alienationem, & hæmorrhagiam prænunciant. (13) In hujuſmodi febre, ubi lachrymæ invitis ægris effluunt,

(7) Idem Prorrheticorum Libr. I. §. 135. & Coac. Prænot. §. 168.

(8) Idem Coac. Prænot. §. 110. Paulo aliter §. 87. & Prorrhet. §. 132. *Qui ſtatim ſine ratione perturbantur, pervigiles ſunt, ſanguinem e naribus ſtillantes, ſexto die noctu allevantur, poſtridie vero laborantes tenui ſudore correpti, & in ſomnum delati, iis larga ſanguinis e naribus profuſio morbum ſolvit, cujus rei indicium eſt diluta urina.*

(9) Idem Prorrhet. §. 137. & Coac. Præn. §. 111. ſcribit in ſpe nos hæmorrhagiam habere, ubi aliquid ſanguinis antea profluxerit. Et Coac. Præn. §. 184. *Quibus in morbis ſubita fit mentis perculſio cum inquieta corporis jactatione.*

(10) Prorrhet. §. 137.

(11) Ibidem. §. 142.

(12) Ibidem §. 143. & Coac. Præn. §. 167. Galenus Comm. III. §. 50. in Prorrhet. verbum σείοντα obſcurare ſenſum innuit. Eſſe enim alios, qui hoc omnibus capitis ſymptomatibus tribuant: alios, palpitationibus pulſationibuſque temporum venarum, vel tremulis, vel quodammodo vibrantibus, vel cuidam totius corporis motioni.

(13) Coac. Prænot. §. 194. Et §. 131. ſcribit, niſi ſanguis per nares fluat, inſaniam eſſe metuendam. Verum Prorrhet. §. 18. dicta, ſcribit, indicare furioſam mentis alienationem tantum.

fluunt, dummodo nulla alia ſigna exitiabilia affuerint; hæmorrhagia eſt expectanda. (14) Eandem ſperare oportet in iis, qui ſurditie cum capitis gravitate, & præcordiorum diſtenſione vexantur, perturbata inſuper oculorum acie. (15) Quin etiam in iis, qui cephalalgia & catocho affecti, habentque oculos oppido rubros. (16) Item quibus, ubi inhorruerint, una ſudores critici contingunt, & poſtridie rurſus inhorreſcunt, & pervigiles ſunt. (17) Multum ſanguinis erumpet, quibus lumborum dolor in caput recurſat, quorum manus torpore affectæ, quique oris ventriculi dolorem, aut aurium ſonitus, ſentiunt. (18) Namque ex lumborum dolore fit copioſum ſanguinus profluvium: (19) quod rigor ei ſuperveniens, ſiſtit. (20) His ſubjungam, quæ ſummatim deſcripſit Celſus: (21) *Ante febres, ſi caput grave eſt, aut ex ſomno oculi caligant, aut frequentia ſternutamenta ſunt, circa caput aliquis pituitæ impetus timeri poteſt: ſi ſanguis aut calor abundat, proximum eſt, ut aliqua parte profluvium ſanguinis fiat.* Cæterum ſanguinis

e

(14) Hippocrates de morb. vulg. Libr. I. Stat. III. §. 6.

(15) Coac. Prænot. §. 195. & Prorrhet. §. 147.

(16) Coac. Præn. §. 166.

(17) Prorrhet. §. 149.

(18) Coac. Prænot. §. 308. & Prorrhet. §. 139.

(19) Coac. Prænot. §. 306. 307.

(20) Prorrhet. §. 150.

(21) Libr. II. Cap. VII. Et Hippocrates Libro Prænot. Quod ſi dolor capitis vigeſimum diem ſuperet, & febris perſeveret, ſanguinem e naribus erupturum, aut quendam ad inferiores ſedes abſceſſum fieri, ſuſpectandum eſt. Eandem convenit expectare, quamvis dolor fuerit recens, in primis vero, ſi circa tempora & frontem. Sanguinis profluvium in his, qui nondum trigeſimum quintum annum attigerunt: ſuppurationem vero in ſenioribus.

e naribus profluvium accidit his, qui aliquantulum palleſcentes nigricant, aut ex rubro palleſcunt, aut quadantenus pallent. (22)

§. 4. Ex uſu aliquando eſt ſanguinem per nares fluxiſſe. Etenim copioſum ac multum ſanguinis e naribus profluvium morbos plurimum ſolvit. (23) In primis vero obſervavit Hippocrates, febri ardente ægros, quorum nares copioſe ſanguinarunt, maxime fuiſſe ſervatos: quinimo neminem eorum fuiſſe mortuum. (24) Evadent in tutum, qui in febre continua voce defecti jacent, & oculis conniventibus nictantur, ubi exacta hæmorrhagia & vomitione, ad loquelam & ad ſe redeant. Sin ſecus, ac dixi, eveniat, cum ſpirandi difficultate propediem interibunt. (25) Quibus caput & cervix dolent, ac quædam totius corporis impotentia cum tremore eſt, his hæmorrhagia auxilio eſt. (26) Capite laboranti, & ſi id circumcirca dolet, ſi pus aut aqua, aut ſanguis per nares, aut per os, aut per aures effluat, bono eſt. (27) Quibus in febre aures obſurduerunt, hos ſanguis e naribus erumpens, aut alvi dejectio, juvat. (28) Equidem urina multa craſſa & alba, qualis in febribus cum

Hæmorrhagia narium quando utilis.

(22) Hippocrates de morb. vulg. Libr. VI. Sect. III. §. 17.

(23) Idem de morb. vulg. Libr. II. Sect. I. §. 8.

(24) Ibidem Statu. III. §. 2. Libr. I.

(25) Coac. Prænot. §. 77.

(26) Ibidem §. 170. & Prorrhet. §. 152.

(27) Idem aphor. X. Sect. VI. Coac. Prænot. §. 172. a capitis dolore liberat pus e naribus effluens, aut ſputa craſſa & inodora, aut ulcerum eruptio, interdum & ſomnus, & alvi dejectio.

(28) Idem aphor. LX. Sect. IV.

cum laſſitudine quarta die a quibuſdam excernitur, liberat ab abſceſſu ad articulos. Verum ocyus convaleſcet æger, ubi ſanguis quoque ex naribus exiverit. (29) Bonum eſt etiam ſanguinis e naribus profluvium in mulieribus, quibus ſanguis per menſtrua non reſpondet. (30).

Quando damnoſa.

§. 5. Confert equidem ſanguinis e naribus multum profluvium perſæpe iis, qui ſanguine abundant, ac colore rubro dotati; quique capitis dolorem facile tolerant: minime vero iis, qui decolores ſunt. (31) Malum etiam eſt ſanguinis ex parte adverſa profluvium. v. g. ſi in lienis tumore ex dextra nare effluat. Eadem conditio eſt alterutrius lateris dolorum. Pejus eſt, ſi id contingat cum tenui circa frontem & thoracem ſudore. (32) Morbi mali ſignum eſt, ubi ſanguis e naribus erumpit cum tenui ſudore & totius corporis algore. (33) Peſſima eſt ſanguinis eruptio vehemens cum totius corporis refrigeratione *critica*. (34) Quando ſanguis e naribus quarto die exit in febre ardente, malum eſt, niſi aliud, quod bonum eſt, ceciderit. Quod ſi quinto die eveniat, minus periculum portendit. (35) Quibus quin-

(29) Idem aphor. LXXIV. Sect. IV.

(30) Idem aphor. XXXIII. Sect. III. Celſus Libr. II. Cap. VIII. ita latine reddidit. *Quæ menſtruis non purgatur, ſi ſanguinem e naribus fudit, omni periculo vacat.*

(31) Hippocrates de morb. vulg. Libr. VI. Sect. VI. §. 19.

(32) Idem Prædict. Libr. I. §. 125. & Coac. Præn. §. 327.

(33) Prædict. §. 126. & Coac. Præn. §. 342.

(34) Prædict. §. 134. Verum Coac. Præn. §. 326. verbum *vehemens* refrigerationi conjungitur.

(35) Coac. Præn. §. 133.

quinto die multum ſanguinis prorumpit, & qui ſexto corripiuntur rigore, ſeptimo autem refrigeratione tentati celeriter recaleſcunt, eorum alvus male afficitur. (36) Malum eſt in febre quartana ſanguinis e naribus profluvium. (37) Copioſam ac vehementem ſanguinis e naribus eruptionem interdum inſequuntur convulſiones; his ſanguinis miſſio auxilio eſt. (38) Moleſtum equidem eſt ſanguinem e naribus undecimo die ſtillare: præcipue vero ſi poſtea denuo ſtillarit. (39) Perniciem portendit ſanguinem e naribus, præſertim vero quarto inter initia die, ſtillare, ubi quis inter initia ſopore detentus, capitis, lumborum, præcordiorum, cervicis dolore, ac inſomnia conflictatur. Typhomaniam hujuſmodi affectum vocat Galenus. (40) Moleſtiam quandam exhibet, quibus paucus ſanguis e naribus ſtillat præſentibus ſurditate & torpore. His confert vomitio & alvi dejectio. (41) Sanguinem e naribus ſtillare, malum; imo peſtife-

(36) Ibidem §. 329.

(37) Sect. VIII. Aphor. III.

(38) Prorrhet. Libr. I. §. 145. At Coac. Præn. §. 336. ſcribitur eruptio per vim, i. e. uſu refrigerantium medicamentorum, ſuppreſſa.

(39) Prorrhet. §. 148. Et Coac. Præn. §. 337. habet, ſi bis, aut rurſus nares ſtillare inceperint.

(40) Prorrhet. §. I. & Coac. Præn. §. 179. in fine ſubjungitur. Ventris quoque rubra proluvies, malo eſt.

(41) Prorrhet. §. 141. & Coac. Præn. §. 334. Galenus Comm. III. §. 48. Sanguinis ſtillicidium pro non parvo malo habet, in primis vero mortiferum eſſe, ait; ubi cerebrum affectum. Vomitum autem & alvi dejectionem ex uſu eſſe morbi in principio, ubi vires valent vel humorum quorumvis abundantia adeſt: mavult tamen hoc in caſu ſanginis miſſionem vel ventris purgationem, quam vomitionem, inſtituendam.

ſtiferum frequentiſſime eſt in febri ardente. (42) Repentinum ſanguinis ſtillicidium in morbis acutis tempeſtate ſeu æſtiva, ſeu autumnali in homines ingruentibus, diſtentum, & multum circa venas fervorem ſignificat, & poſtero die urinas tenues futuras. Et ſi æger ætate viguerit, fueritque corpore *athletico*, aut manus ex potatione fuerint tremulæ, delirium, aut nervorum diſtenſio, recte prædicitur. (43)

Continuatio. §. 6. Malum denunciat vel ſingultus, vel convulſio copioſo ſanguinis profluvio ſuperveniens. (44) Qui ſanguinis profluvium diu tolerant, in his progreſſu temporis, niſi urina concocta prodierit, alvus male afficitur. (45) Qui ſtatis temporibus ſanguinem fundunt, hunc autem, ubi ſiticuloſi ſunt, haud profuderunt, ii morbo comitiali pereunt. (46) Qui ſuppreſſa alvo ſanguinem ex naribus fundunt, ac novo ſubinde rigore corripiuntur, eorum venter inteſtinorum lævitate laborabit, fietque durus, aut aſcarides eoſdem infeſtabunt, aut utrumque. (47) Qui-

(42) Ut conſtat paſſim ex Hippocrate, ut Libr. III. I. & II. de morb. vulg. & ex Galeni Comm. de morb. vulg. Libr. I. § 75.

(43) Idem de Rat. Vict. in morb. acut.

(44) Coac. Prænot. §. 338. & Aphor. III. Sect. V. Aſt Sect. VII. aphor. IX. ſcribit a ſanguinis fluxu delirium, aut etiam convulſio malum.

(45) Prorrhet. §. 133. Coac. Prænot. §. 332. Et §. 335. *Quæ magna ſunt in principiis ſanguinis exceptiones, dum ægri vires recolligunt, alvos effundunt.* Non diſſimilia dictis ſunt, quæ literis prodidit aphor. XXVII. Sect. IV. *Quibus per febres ſanguinis copia undecunque eruperit, in refectionibus, his alvi humectantur.*

(46) Coac. Prænot. §. 345. Prorrhet. §. 131. Siti junguntur moleſtia ac virium debilitas.

(47) Prorrhet. §. 130. Coac. Prænot. §. 344.

Quibus ex copioſa frequentique ſanguinis eruptione, nigrorum multorum eſt dejectio, hi alvo ſuppreſſa dolenter ſanguinem fundunt: e contrario fuſa alvo melius ſe habent. Fortaſſis hi frigidis, copioſis ac tenuibus ſudoribus diffluunt. In his urina turbida mala non eſt, neque quod genituræ ſimile in fundo ſubſidet; mejunt autem ſæpiſſime urinam aquæ ſimilem. (48) Ab hæmorrhagia nigrorum per alvum egeſtio, malum: quin etiam rubræ vel ærugini ſimiles dejectiones damnandæ ſunt. Quibus ejuſmodi ſanguinis profluvium IV. die contingit, hi tandem ſopore & convulſione conflictati moriuntur, prægreſſis nigris dejectionibus, & ventre in tumorem ſublato. (49)

Notæ, quibus cauſſæ & loca, ex quibus ſanguis fertur, innoteſcunt.

§. 7. Antequam reliquarum ſanguinis per varia loca eruptionum prognoſin perſcribam, tradendas primum eſſe, duxi, notas cauſſarum ſanguinis exeuntis: deinde partium, abs quibus fertur. Triplicis generis cauſſas eſſe Medici auctores ſtatuunt. Sanguinem namque exire parte aliqua vel exeſa, vel rupta, vel ore alicujus venæ patefacto. Primam διάβρωσιν, ſecundam ῥηγμοχαομὸν, vel ῥῆξιν, tertiam ἀναςομώσιν appellant. (50) Signa, quibus quælibet proditur, hæc ſunt. Si pars quædam exeſa, excreatio ſanguinis fit paulatim: ſin vero pars magis exeditur, mul-

(48) Prorrhet. §. 140. Coac. Prænot. §. 333.

(49) Ibidem §. 127. & Coac. Præn. §. 330.

(50) Celſus Libr. IV. Cap. IV. §. 3. Dictis addunt διαπήδησιν, in qua ſanguis tenuis per tunicam vaſorum rarefactam tranſmittitur.

multus ſimul rejicitur. Quod ſi cum ſanguine etiam particulæ ſeu carnoſæ, ſeu membranaceæ redduntur, ſignum hoc eſt ſanguinem ferri ex partibus reſpirationi inſervientibus. Ruptam eſſe partem aliquam indicat ſanguis copioſus *plethoram*, vel cauſſam quandam violentam, quæ præceſſit, ſtatim inſequens. Ex ore autem venæ patefacto eundem prorumpere innoteſcit, ſi modica, ſi paulatim fiat ejus rejectio. (51) Tenuiorem, flavum ſpumoſumque ex arteriis: craſſiorem vero & atriorem e venis erumpere, perhibet Aretæus. (52) Sequuntur ſigna partium, ex quibus fertur. Si a capite, titillatio in palato gignitur, creber fit ſcreatus, hinc ſputum erumpit, tuſſiſque vehemens ægrotum vexat. Si ex palato in gurgulionem defluat, tum tuſſiendo rejicitur. Si ex capite in gulam, cum nauſea evomitur. Poteſt etiam ſæpenumero viſu pars affecta dignoſci: depreſſa utpote lingua conſpicitur aſperum quiddam, aut tubercula; aut palatum ſordidum, ulceroſum & ſæpius cruentum. Ex aſpera arteria paucus ac flavus ſanguis fertur, ſalivæ vel alii humori complexus, in modum tenuiſſimæ ſtriæ, aut plurium: ſequuntur pruritus ac morſus, in primis circa gutturis extantiam cum quodam titillatu, & tuſſicula levi. (a) Si vas inſigne ruptum, copioſus ſanguis exit, vox eſt

(51) Trallianus Libr. VII. Cap. I. & Sennertus Praxeos Libr. II. Part. II. Cap. VI.

(52) Libr. II. Cap. II. de cauſ. & ſign. acut. morb. item Aurelianus loco paulo poſt allegando.

eſt rauca obtuſa cum dolore, modo is titillatione, modo tuſſi vehementiori movetur, excluditurque plurimus, tenuis, ſpumoſus, plurimum fervens. Si ex pulmone, fertur repente, & majori in copia; privatim vero, ubi διάβρωσις in cauſſa, tuſſis permoleſta tum eſt; ſanguis flavus, ſpumans, rotundus, ſic ut pars ejecta a parte diſtincta ſit. Adſunt thoracis gravitas, indolentia, facieique rubor. (b) Si ex pectore fertur, dolor læſam partem oſtendit: & tuſſi, quamvis ea vehemens fuerit, vix quicquam ejus rejicitur, & is, qui per os redditur, non multum flavet, modice craſſus eſt, & ſpuma caret. Si a ſepto tranſverſo fertur, ſingulare ejus ſignum eſt dolor ab inferiori pectoris parte procedens, & rotunditate quadam thoracem pungens. Si a membrana coſtas veſtiente, quam pleuram vocant, ſanguis lævis, niger tetri viroſique odoris per tuſſim ejicitur, doloribus acutis membrana ſuccingens torquetur. (c) Si ex ſtomacho, ſine tuſſi fit vomitus ſanguinis nigri & denſati, modo ſolius modo cum cibis mixti. Dolor inter utraſque ſcapulas verſus ſuperiora tendit, & in primis eo tempore, quo æger quædam acria glutiverit. Accedit etiam animi defectio cum cibi faſtidio, & ſalivæ fluore, & corpore frigido & pulſu obſcuro. Si ex ventre, præter antedicta communia, ſequitur dolor & mordacitas, & tormentum inter præcordia: & interdum ſanguinis particula per anum excernitur. Si ex jocinore, dolor eſt in dextra præcordiorum parte cum

colore ictericorum ſimile. (d) Si e ſplene, dolor eſt in ſiniſtra. Si ex vena magna, juxta ſpinam dolor percipitur. (53)

Prognoſtica Hæmoptyſis.

§. 8. Quantum ad prædictiones ex rejectione ſanguinis attinet, Celſus auctor eſt, (54) eam, quæ fit ore venæ alicujus patefacto, minime nocere, graviſſime autem, quæ ob partem aliquam exeſam contingit. Et Hippocrates (55) pronunciat ſanguinem, qualiſcunque fuerit, ſive ſpumoſus, ſive ruber, ſive flavus, ſive niger, ſive aquoſus, ſive craſſus, qui utpote ſurſum per os redditur, malum eſſe; deorſum vero bonum, qui per hæmorrhoides fluit, quando nempe nigra evacuantur. A ſanguinis ſputo, puris ſputum, malum. (56) Eos, qui ſanguinem per

(53) (a) Aretæus dicto capite addit vocem raucam & obſcuram inſuper adeſſe, cum ſanguis ex gurgulione reddatur. (b) Hippocrates Sect. v. aphor. XIII. ſcribit, *Qui ſanguinem ſpumoſum expuunt, his ex pulmone talis rejectio fit.* Et Galenus Libr. IV. Cap. VI. de loc. affect. certum eſſe ſignum ſanguinem e pulmonibus rejici, ſi ſpumoſus tuſſiendo ſine dolore excernatur. (c) Et Coac. Prænot. §. 433. „ Qui ſanguinem ſpumantem vomunt, „ partibus infra ſeptum transverſum non dolentibus, talis ex pulmone fertur. Et „ quibus in ipſo rupta eſt magna vena, copioſus tum per „ os redditur, ac periculum „ imminet. Quibus autem minor, minus ejus rejicitur, „ & magis ægri in tuto ſunt. Qui vero dolente quadam thoracis parte ſanguinem neque multum neque rubrum, ſed nigricantem & grumoſum expuunt, horum pars affecta primaria thorax eſt. Hæc Galenus. d. l. Aurelianus ſcribit ſanguinem minus flavere & minori copia excerni: dolorem verſus latera vel pectus tendere, nonnunquam etiam inter ſcapulas dolorem fieri. (d) Et Coac. Prænot. §. 408. Qui ſpumantem ſanguinem expuunt, dextroque laborant hypochondrio, his ſanguis ex epate fertur, & plerumque pereunt: item §. 450. Cætera partim ex Aretæo. d. l. partim ex Cæl. Aureliano de morb. Chronic. Libr. II. Cap. XI. excerpſi.

(54) Libr. IV. Cap. IV.

(55) Aphor. XXV. Sect. IV. Vide explanationem Galeni in hunc aphoriſmum, qui tali modo, ut a me ſcriptum, eum declarat.

(56) Aphor. XV. & LXXVIII. Sect. VII.

per os reddunt, præſente febre intenſa, dolore ad mammam thoracem & dorſum, propediem morituros: tardius autem, qui prædictis omnibus non affliguntur, nec adeo intenſe. Ad ſummum autem, niſi thorax per ſputa repurgetur, diebus quatuordecim inflammationem oborituram, quam deinceps ad ſuppurationem tendere. (57) Sic etiam ſanguinis ſtillas ſupra modum rubras in pulmonum vitiis, malum denunciare. (58) Mulieri ſanguinem vomenti bonum eſſe, ubi menſtrua proruperint. (59) Cæterum ſanguinem ſputantibus conducere eſſe ſine febre, & tuſſi doloreque leviter conflictari, ſputumque ad XIV. dies tenuari. Ex adverſo intenſe febricitare, ac tuſſire, aut dolere, ſanguinemque recentem ſemper ſpuere, exitioſum eſſe. (60) Neque ignorari oportet ſanguinis mediocre profluvium in eo, qui ex ſuperiore loco decidit, terribile eſſe, ſi tamen in ejus urina nihil novabit. Neque vomitum hujus afferre periculum etiam quum repetit, ſi ante corpus confirmare & implere licuit: & ex toto nullum nocere, qui in corpore robuſto neque nimius eſt, neque tuſſim aut calorem movet. (61)

§. 9. Aliquando etiam ſanguis ex aliis corporis partibus fertur. v. g. ex gingivis, quæ, ubi multo ſanguine manant, & alvus inſuper eſt fuſa, perniciem minantur. Et ſanguinis e vulnere exeuntis, vel per urinam redditi.

(57) Coac. Prænot. §. 426.

(58) Ibidem §. 412.

(59) Aphor. XXXII. Sect. V. & Libr. I. de morb.

(60) Coac. Prænot. §. 417. & aphor. XXXVII. Sect. VII.

(61) Hæc Celſus Libr. IV. Cap. IV.

tur. (62) Qui ex vulnere cum tenui ſudore ſanguinem fundunt ; ii male ſe habent , & inter loquendum derepente moriuntur. (63) Malum eſt a valido in ulceribus pulſu ſanguinis profluvium. (64) Quod ſi ſanguis ex vulnere aut vena in ſuperiorem ventrem confluxerit , ibi in pus vertatur neceſſe eſt. (65) Interdum aliqui ſanguinem per urinam reddunt. Quod ſi raro ſine febre, ſine dolore uſu veniat, nihil mali indicat , & laſſitudinem ſolvit. Verum ſi crebrius mictu reddatur, aut dictorum aliquid acceſſerit , periculum minatur. Quomodocunque autem reddatur , prædicendum eſt , pus inſuper cum urina effluxurum , ac hoc pacto dolores ſublatum iri. (66) Qui ſponte ſanguinem mejunt , iis in renibus venulam ruptam , ſignificatur. (67) Si ſanguinem , aut pus , renum aut veſicæ exulcerationem ſignifi-

cat.

(62) Hippocrates Coac. Prænot. §. 241. & §. 647.

(63) Prorrhet. §. 128. Verum Coac. Prænot. §. 328. ubi idem placitum repetitur , ſcriptum eſt , Qui ex vulnere ſubinde rigentes ſanguinem &c. ut ſupra.

(64) Aphor. XXI. Sect. VII.

(65) Idem Libr. de morbis. At aphor. XX. Sect. VI. ſcribit ſi in ventrem ſanguis præter naturam effunditur &c. Ex veteribus aliqui per ventrem quamlibet corporis cavitatem intellexerunt. Eadem ratio eſt verbi ſuppurare , quod putabant idem ſignificare , ac corrumpi. Proinde magis generalem ei tribuebant ſignificationem , ac opinabantur ſanguinem , ſive in pus vertatur, ſive denigretur , ſive tandem in grumos abeat , hoc verbo indicari. Vide Galenum in hunc aphor.

(66) Idem Prædict. Libr. II. §. 4. Hunc locum videtur etiam Celſus reſpexiſſe Libr. IV. Cap. IV. Ubi hæc habentur : *Neque ignorari oportet , eis , quibus ſanguis fluere ſolet , aut quibus ſpina dolet , coxave , aut poſt curſum vehementem , vel ambulationem , dum febris abſit , non eſſe inutile ſanguinis mediocre profluvium , idque per urinam redditum , ipſam quoque laſſitudinem ſolvere.*

(67) Hippocrates aphor. LXXVIII. Sect. IV.

cat. (68) Si quis ſanguinem minxerit, & grumos, & urinæ ſtillicidium habuerit, & dolor ad imum ventrem & pectinem, & femen incidat, indicium hoc eſt partes circa veſicam laborare. Si quis ſanguinem & pus minxerit, & ſquamas, & odor gravis adſit, veſicam exulceratam indicat. (69) De cætero ſunt nonnuli, qui ſanguinem, pari modo ut ex hæmorrhoidibus conſuevit, circuitu, vel ſtatis temporibus e renibus excernunt. Corripiuntur autem hoc affectu potius qui in vigore ætatis; in primis vero juvenes, qui immodice Veneri indulgent. Et hi, qui taliter ſanguinem reddunt, pallent valde, torpent, cibum faſtidiunt, cruditate laborant, languent: caput vero levius & agilius redditur. Sin vero iſtiuſmodi mictus periodum non ſervaverit, homines capitis dolore vexantur, oculi hebetant, eiſque tenebræ obverſantur, vertigine laborant. Ex his alii morbo comitiali, alii melancholia, alii nervorum reſolutione tentantur: alii tumidi, ſimiles eorum, qui aquam inter cutem habent. (70)

§. 10. Nonnunquam ſanguis per inteſtina fluit: ſæpe etiam ora venarum, quæ in ano ſunt, hæmorrhoidas vocant, ſanguinem fundunt. Qui ab altioribus locis fertur, & aliquandiu in corpore moratur, nigrior eſt: hic

Sanguinis per inteſtina fluentis differentia. Præſenſiones ſanguinis per hæmorrhoidas excernendi. Hæmorrhoidarum fluentium utilitas.

(68) Ibidem §. 75.

(69) Ibidem §. 80. 81. & Sect. VII. aphor. XXXIX.

(70) Hæc Aretæus de ſign. & cauſſ. diut. morb. Libr. II. Cap. III. Eadem fere ex Archigene citat Ætius Tetrab. III. Serm. III. Cap. III. & Ægineta de Re Med. Libr. III. Cap. XLV. §. 3.

hic vero purus, ſincerus, qualis ex jam cæſis hoſtiis profluit. Qui a jocinore fertur carnium recens mactatarum eluviei ſimilis eſt, & ſine inteſtinorum dolore, ſine continua aſſurgendi moleſtia & deſidendi deſiderio, & ne paulatim quidem, excernitur. (71) Sanguinem per hæmorrhoidas excretum iri indicatur, ſi dolentibus lumbis oris ventriculi dolor acceſſerit: aliquando ſignum eſt, ejuſmodi ſanguinis ſecretionem præceſſiſſe. (72) Pruritus itidem ani futuras hæmorrhoidas ſignificat: tamen hoc adeo certum ſignum haud eſt, quia eundem & aſcarides (ſunt vermiculi, qui anum incolunt) excitare ſolent. (73) Multum ſæpenumero homini prodeſt tale ſanguinis profluvium. Etenim is nec lateris dolore, nec pulmonis inflammatione, nec ulcere exedente, (quod phagedænam vocant) nec furunculis, nec tuberculis, (quæ a ciceris ſimilitudine therminthi dicuntur) ac forte ne lepra quidem aut vitiligine corripitur. (74) Confert etiam melancholicis & phreniticis. (75) Nec non inſanientibus, quibus & varices ſupervenientes auxilio ſunt. (76) Ubi vero aliquis intempeſtivam eis curationem adhibuerit, is ægroto auctor erit, ut aliquod ex antedictis ma-

(71) Actuarius Method. Med. Libr. I. Cap. XX.

(72) Hippocrates Prorrhet. Libr. I. §. 130. & Coac. Præn. §. 312.

(73) Rhaſis ad Manſor. Libr. IV. Cap. VIII. Et Haly Theor. Libr. X. Cap. III. Si in ano pruritus perſeverat, hæmorrhoidas ſignificat.

(74) Hippocrates Libro de humorib. & de morb. vulg. Libr. VI. Sect. III. §. 28.

(75) Idem Aphor. XI. Sect. VI.

(76) Ibidem aphor. XXI.

malis oboriatur. (77) Quin etiam ſi ora venarum ſanguinem ſolita fundere ſubito ſuppreſſa ſunt, aut aqua inter cutem, aut tabes ſequitur. (78) Igitur in his, qui ab hujuſmodi ſanguinis profluvio non imbecilliores fiunt, parum tuto ſupprimitur. Habent enim purgationem hanc, non morbum. Ideoque curati quidam, quum ſanguinis exitum non haberent; inclinata in præcordia ac viſcera materia, ſubitis & graviſſimis morbis correpti ſunt. (79)

§. 11. De ſanguine hæc hactenus; nunc de reliquis humoribus, de utraque bile nempe & de pituita, verba faciam. Bilem flavam, quæ eſt corporis humor amarus, ſtatuit Hippocrates (80) ubi redundarit, efficere anxietates, æſtum & impotentiam: tum vero hominem in primis in periculum adducere, quando oculi flavi, ungues lividi, corpus ulceroſum, & ora ulcerum livida, & ſudor aliqua tantum corporis parte erumpit &c. Quod ſi ſua ſponte aut infra aut ſupra feratur, eam difficilius ſedari. (81) Febricitanti & bilioſo, ſi bilis ſuo tempore ad exteriora delata, bono eſſe: ſi ſub cutem effuſa diſperſaque, promptiorem Medicinæ locum eſſe, malum autem, ſi effuſa ac diſſipa-

Bilis multorum in corpore obortorum effectrix.

(77) Idem locis num. 74. citatis.

(78) Celſus Libr. II. Cap. VII. Hippocrates aphor. XII. Sect. VI. ſcribit niſi una aperta ſervetur, periculum eſſe, ne dicti affectus ſuperveniant. Plura ex ante dictis malis enumerat Actuarius Method. Med. Libr. I. Cap. XX. ut vertiginem, oculorum caliginem &c.

(79) Celſus Libr. VI. Cap. XIIX.

(80) De Priſca Medicina.

(81) Idem de locis in homine.

pata, in aliquam corporis partem incumbat. (82) Verumenim vero, quoniam ſupra Cap. 11. §. 9. de ſignis atque efficientia principum corporis humorum quaternorum egi, heic loci ideo memorabo duntaxat præſagia, quæ Medici ab iis vel per os vel per alvum excretis hauſerunt. Verum antequam Medicus de dicendis excrementorum coloribus judicet, neceſſe eſt prius inquirat, num aſſumpta per os vim habeant, ea, quæ excernuntur, colore aliquo inficiendi. Quod ſi ita uſu venerit, paulo poſt dicenda longe aliter, ac a veteribus tradita, exponenda ſunt.

Prædictiones ex vomitu.

§. 12. Quibus bilis cum pituita permixta eſt, horum ſaluti conducit vomitus; qui tamen nec admodum craſſus nec multus ſit. Quo ſincerior enim materia vomitu ejicitur, eo pejoris notæ eſt. Prava itidem eſt, quæ porri colorem refert, quæque aut livida eſt, aut nigra. Peſtiferum eſt, ſi quis eadem vomitione, materiam variam, dictis coloribus refertam, rejecerit: præſertim vero, ubi livida ac graviter olens fuerit, celerrimam mortem denunciat. (83) Lethifer quoque eſt vomitus ruber, præcipue vero, ſi cum majore conatu & dolore contingat. (84) Vomitionem bilioſæ materiæ in febre non lethali futuram indicant capitis dolor, ocu-

(82) Libr. 1. de morbis.

(83) Libro Prænot.

(84) Coac. Prænot. §. 556. Celſus Libr. 11. Cap. 111. Vomitum, mixtum ex bile & pituita, inter bona indicia refert: inter mala vero, Cap. 1v. vomitum ſinceræ pituitæ vel bilis, pejoremque eſſe, ſi viridis aut niger.

oculorum caligo, & oris ventriculi morſus: ocyus eam affore, ſignificatur, ſi rigor ſubortus, ſi inferiores præcordiorum partes frigidæ fuerint. (85) Equidem vomitus bilioſus non voluntarius, vel protinus, ut percuſſus eſt aliquis, vel dum inflammatio manet, in his duntaxat, quorum vel nervi vel etiam nervoſi loci vulnerati ſunt, malum ſignum eſt. Sponte tamen vomere non alienum eſt, præcipue iis, quibus in conſuetudine fuit: ſed neque protinus poſt cibum, neque jam inflammatione orta, neque quum in ſuperioribus partibus plaga eſt. (86) Vomitus exigui, bilioſi, malo ſunt, potiſſimum vero ſi ægri pervigiles ſunt. (87) Ejuſdemmodi vomitus, ſi inſuper ſynceri & crebro in copioſiore ventris ſubductione & intenſo lumborum dolore, repetant, mali ſunt. (88) Vomitus varius, ſi continenter & aſſidue prodeat, malus eſt. Damnandus item eſt, qui fit cum angore, aut incontinenti corporis jactatione. (89) Qui virulentus, & æruginì colore ſimilis in capitis doloribus cum ſurditate & inſomnia, inſaniam portendit. (90) Vomitum nigrorum in phrenitide non longe affuturum indicant ſputum crebrum & algor. (91) Eundem indicant cre-

(85) Hippocrates Libro Prænot.

(86) Celſus Libr. v. Cap. xxv. Coac. Prænot. §. 507. generaliter ſine exceptione ſcribitur. *Bilis vomitus vulneri ſuccedens, malum denunciat, præcipueque in capitis vulneribus.*

(87) Hippocrates Prorrhet. Libr. I. §. 79. & Coac. Prænot. §. 558.

(88) Coac. Prænot. §. 560.

(89) Prorrhet. §. 60. 62.

(90) Ibidem §. 10. & Coac. Præn. §. 169.

(91) Ibidem §. 31. & Coac. Præn. §. 102.

crebræ iiſdem caſibus perſeverantibus morborum everſiones, in quibus ægri impendente criſi ſanguinem profundunt. (92) Ubi poſt vomitionem anxioſam vox ſtridula eſt, oculi ſqualidi, & pulvere obſiti, inſania portenditur; & ægrotus, ubi furioſus evaſerit, voce defectus interit. (93) In omni ſuperflua purgatione, frigus cum ſudore exitiabile eſt. Et inter hæc male ſe habent, qui ſubinde vomunt & ſiticuloſi ſunt. (94) Deteriori conditione ſunt, qui, cum antehac in vomitione admodum ſitirent, nunc ſitis ſunt expertes: prænunciat enim delirium ac phrenitidem. (95) Vomitus, qui diarrhoea diuturna laboranti ſponte ſupervenit, ventris fluorem ſiſtit. (96)

Notæ ani illuviei; ex quibus locis deſcendat.

§. 13. Quandoquidem ea, quæ alvus reddit, per longos anfractus feruntur, antequam dejiciantur: a veteribus itaque literis proditæ ſunt certæ notæ, quibus dignoſcitur, unde vel ex quibus locis, ani illuvies deſcendit, vel apud quem locum commoratur. Etenim ſi apud ſuperiora, adeſſe tum ſtomachi diſtenſionem, dorſi dolorem, & aliquam anhelationem, perhibent. Et ſi venter laborat, proluviem eſſe albidam, aut modice a bile flava tinctam, & aliquando humidam, aliquando ſiccam. Si jejuno & gracilibus inteſtinis

(92) Coac. Prænot. §. 122. dictas reverſiones etiam efficere, auctor perhibet, ut ægri tremuli evadant. Eadem habentur §. 571.

(93) Prorrhet. §. 17. & Coac. Præn. §. 561.

(94) Coac. Prænot. §. 568.

(95) Ibidem §. 562.

(96) Idem aphor. xv. Sect. VI. & de morb. Libr. I. *vehementi alvi profluvio detento ſuccedens vomitus bono eſt.*

ſtinis immoretur, adeſſe nauſeam, ſalivæ copiam, & frequentes propter umbilicum æſtus: id autem, quod exinanitur, eſſe concretum ſtrigmentorum inſtar humorem, & nigricantem, in quo ſanguineas interdum fibras conſpici: nonnunquam & flava admodum copioſaque excerni. Si a tenuibus ducatur, materiam porri colorem referre, ac variam eſſe, continuoque paucam excerni, ſortirique ſubitaneas mutationes, ac deſcendere magna cum moleſtia, & marcore. Si a colo, ob illius materiæ retentionem, & flatus, qui nunquam non præſto ſunt, inteſtina circa umbilicum cruciabiliter torqueri. Si a craſſis, forma furfuri quadantenus ſimilia, & mucum quendam referentia, hæcque cupiditate ſtatim excitata, multa confertim etiam atque etiam ſubduci. Si a recto, purum craſſumque mucum, vel ſanguinem floridum cum magna & crebra deſidendi cupidine, quæ vix inhibetur, fluere. Si lumbi patiantur, gravitatem ſentiri, & quæ excernuntur, pariter ac in defluviis vel deſtillationibus evenit, infracta & ſanie imbuta eſſe. (97)

§. 14. Quantum ad ſignificationem eorum, quæ per alvum prodeunt, attinet, adeo multa ab uno Hippocrate horum gratia monumentis prodita ſunt, ut pæne mihi diffidam ſuo quæque ordine diſponere. Utut hæc ſint, conabor tamen ea, & quæ his a poſteris adjuncta ſunt, breviter, quatenus fieri

Prognoſtica generalia alvi excrementorum.

(97) Hæc ex Oribaſii Collect. Libr. VIII. Cap. XXIV.

ſieri potuit, perſcribere. Æquo animo benevolum lectorem, ſpero, accepturum, ſi quem præpoſterum ordinem in ſcribendo obſervaverim, aut aliqua interdum repetiverim: obrutus enim fui obſervationum magnitudine. Sed ad rem. Ex alvi dejectionibus optimam Hippocrates autumat, quæ mollis, quæ conſiſtit, quæ quadantenus fulva; nec admodum graveolens, quæque tunc temporis, quo valetudine ſecunda ſolebat; deſcendit; copiaque ciborum ingeſtioni reſpondet. Liquidam vero ex uſu eſſe, quæ nec ſtridet; nec crebro nec brevibus intervallis, excernitur. Frequentem enim deſidendi laborem non modo fatigare, ſed etiam ægro inſomniam afferre. Quod ſi is aſlatim & ſæpius ventrem exinaniat, periculum eſſe, ne animus ipſum deficiat. Oportere autem dejectionem, morbo ad judicationem procedente, fieri craſſiorem, quam bonam eſſe: verum malam, quæ vel aquoſa, vel alba, vel ex viridi pallida, vel vehementer rubra, vel ſpumans, vel exigua, candida, glutinoſa & lævis: peſtiferam autem, quæ ſeu nigra, ſeu pinguis, ſeu livida, ſeu æruginì colore ſimilis, fœtida. Equidem dictis diuturniorem eſſe, quæ ſtrigmentorum ſimilis, quæ bilioſa, cruenta; quæ porri colorem refert, vel livida; quæ ſive mixta ſimul, ſive diſcreta per vices, prodeat; nihilominus tamen quamlibet exitioſam eſſe. (98) Licet liquidior alvi dejectio, quæ

(98) Hippocrates Libro Prænot. & Coac. Prænot. §. 631. 601. 604. 610. 608. Prædict. Libr. 1. §. 116. & Libro de Cri-

quæ ſine febre die ſeptimo aut ocyus finitur, utilis ſit, ſi modo non repetat: verum ſi febris acceſſerit, ſi ventris fluor repe-

Criſibus. Siquidem Celſus multa ex Hippocrate in linguam latinam tranſtulit, ea, quæ de alvi dejectionibus paſſim mentionem fecit, heic inſerenda non ab re fore, putavi. Capite III. Libr. II. ſcribit, ventrem ei, qui a periculo tutus eſt, reddere modo mollia figurata, eodem fore tempore, quo ſecunda valetudine aſſuevit, modo convenientia iis, quæ aſſumuntur. Pejorem eſſe citam alvum; ſed ne hanc quidem terrere protinus debere, ſi matutinis temporibus coacta magis ſit: aut procedente tempore paulatim contrahatur, & rufa ſit: neque fœditate odoris ſimilem alvum ſani hominis excedat. Et Cap. IV. Alvum ex toto ſuppreſſam eſſe malam: periculoſam etiam, quæ inter febres fluens conquieſcere hominem in cubili non patiatur: utique, ſi quod deſcendit, ſit perliquidum, aut albidum, aut pallidum, aut ſpumans: item ſi exiguum, glutinoſum, læve, album, ſubpallidum: vel ſi ſit aut lividum, aut biliofum, aut cruentum, aut pejoris odoris, quam ex conſuetudine. Malum etiam eſſe, quod poſt longas febres ſincerum eſt. Et Cap. VI. Alvum quoque variam peſtiferam eſſe, quæ utpote ſtrigmentum, ſanguinem, bilem viridem, aliquid modo diverſis temporibus, modo ſimul & in mixtura quadam, diſcreta tamen, repræſentet. In præcipiti vero jam ægrum eſſe denunciare, ſi dejectio liquida, eademque vel nigra vel pallida ſit, vel pinguis, utique ſi magna fœditas odoris acceſſerit. Cap. VIII. Articulorum vitia maxime torminibus leniri, & ex quocunque modo ventrem fluere. Dejectionem autem hanc ſine ulla noxa eſſe, quæ ſine febre, ſi celeriter deſinat, ſi contrectato ventre nullus motus ejus ſentiatur, ſi extremam alvum ſpiritus ſequatur. Acria tormina periculoſa non eſſe, ſi ſanguis & ſtrigmenta deſcendant, dum febris cæteræque hujus morbi acceſſiones abſint. Oris reſolutionem etiam alvo cita finiri: omnemque dejectionem lippienti prodeſſe. Et nihil plus adverſus ſurditatem, quam bilioſam alvum poſſe. In pulmonis morbo ut in tabe, vomica, periculoſiſſimum eſſe, ſi ſputum diverſi coloris, de quo deinceps agam, dejectio ſubita ſequatur. Quin etiam tormina ab atra bile orſa mortifera eſſe, aut ſi ſub his extenuato jam corpore ſubito nigra alvus profluxerit, aut inteſtinorum levitas. Periculoſiorem eſſe, ſi dejectio fuerit frequens: ſi venter omnibus horis & cum ſomno & ſine hoc profluat: ſi ſimiliter noctu & interdiu: ſi, quod excernitur, aut crudum fuerit, aut nigrum, & præterea leve & mali odoris. Pernicioſam etiam eſſe alvum nigram, ſanguini atro ſimilem, repentinam, ſive cum febre, ſive etiam ſine hac. Cap. VII. Alvum, ubi pluribus diebus non deſcenderit, docere aut ſubitam dejectionem, aut febriculam

petat, ſi diu perſeveret, ejuſmodi omnino vitioſum eſſe, quamvis bilioſa vel pituitoſa, vel cruda fuerint excreta. (99) Lævitatem quoque inteſtinorum frequentem, & multo tempore perſeverantem, omnibuſque horis, vel cum ſtrepitu, vel ſine hoc: & ſimiliter noctu & interdiu affligentem, malam eſſe, ſi id quod profluit, valde crudum fuerit, aut nigrum & læve, ac mali odoris: ventris autem fluorem, quem Graji διάρροιαν vocant, mitiorem eſſe, ſi ſine febre fuerit, & pauco tempore durarit. Hunc ceſſaturum poſſe aliquem prædicere, ubi contrectato manu ventre nullus ejus motus ſentiatur, & poſt noviſſimam dejectionem flatus prodiverit. (100) Imo ſummam judicii in hoc conſiſtere, quod ſi id, quod per quævis corporis loca excernitur, parum fuerit, parvum fieri morbum: ſi multum, magnum; ſi admodum multum, hoc ipſum lethale eſſe. (101)

Hippocratis Prædictiones ſingulares ex alvi excrementis.

§. 15. Traditis generalibus, pergam ſingularia præſagia tradere. Ubi crebro deſidendi labore pauca aliquantulum flava glutinoſaque cum paucis alvi excrementis, & præcordiorum & lateris dolore, excernuntur, ſignificant hæc morbum regium futurum. (102) Diuturna obſervatione Medici com-

culam inſtare. Et Libr. IV. Cap. XIX. Pro valetudine ſæpe eſſe alvum uno die fluere, atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra ſeptimum diem conquieſcat: Purgari enim corpus, &, quod intus læſum erat, utiliter effundi, verum ſpatium periculoſum eſſe.

(99) Prædict. Libr. II. §. 3.

(100) Ibidem §. 20. 21.

(101) Idem aphoriſmo ultimo Sect. VII.

(102) Libr. I. Prædict. §. 145. & Coac. Prænot. §. 621.

compererunt, frequentes deſidendi labores rigorem afferre: & quibus alvi excrementum vitioſum ſit, id maximam moleſtiam exhibere, ſi quarto die apparuerit. (103) Alvum perturbatam, ut pauca ſæpiſſime ſubduxerit, diſtendere buccas, delereque faciei exanthemata. (104) Eandem, ubi ſalſilagini ſimilia cum febre demittat, raro ſopore & torpore affectos adoriri. (105) Bilioſos, quorum alvus turbata, paucaque reddiderit conglobata genituræ ſimilia, & mucoſa, & ſi dolor ad imum ventrem perrexerit; urina etiam non facile prodeat, tendere ad aquam inter cutem. (106) Alvum fuſiorem eſſe malam in pleuritide, peripneumonia ſuppuratoque thorace: bonam é contrario in ſubaquoſis, lienoſis, pituitoſiſque. (107) Pituitam de capite fluere, ſpumeas alvi dejectiones indicare. (108) Glutinoſas, bilioſaſque alvi dejectiones abſceſſus juxta aures excitare. (109) Conſortium quoddam videtur auribus cum alvo eſſe. Nam bilioſas alvi dejectiones ſurditatem, & hanc illas ſedare. (110) In bilioſis ſinceriſque dejectionibus, ſpumoſus quaſi flos ſurſum erumpens, (ἐπάνθισμα græce) malum eſſe, & in iis præſer-

(103) Coac. Prænot. §. 620.

(104) Ibidem §. 616. Hæc ita latine reddidit Duretus in Coac. Libr. ultim. §. 34.

(105) Ibidem §. 641.

(106) Ibidem §. 455. & 644.

(107) Libro I. de morb. & de Judic. *Si pituita alba detento vehemens alvi profluvium ſuccedat, ſolutio contingit.*

(108) Aphor. XXX. Sect. VII.

(109) Coac. Prænot. §. 622. & §. 626. Scriptum eſt, *in bilioſa alvo, molli, ſtereoracea egerente, apparentes æſtus tumorem ad aures excitant.*

(110) Ibidem §. 627. & aphor. XXVIII. Sect. IV.

ſertim, quos antea lumborum dolor, ac deſipientia vexavit. (111) In præcipitibus malis, bilioſis, albicantes ſpumantes, & bile circumductas alvi dejectiones, eſſe malas. (112) Qui, dum alvum bilioſam habent, ad pectus morſum ac amaritudinem ſentiunt, eos ſe male habere. (113) Alvi excrementa, ſi in ſpumoſa & ſincera deſinant, mali incrementum ſignificare. (114) In his vero maxime, qui convuiſione tentantur. In his caſibus ſolere tuberculas ad aures oriri. (115) Meracas alvi dejectiones, & appetitum proſtratum in morbo diuturno, malum. (116) Malum itidem eſſe, ſi meracas dejectiones dyſenteria inſequatur. (117) Æſtuoſam vel præuſtam cum tenſione alvi dejectionem, male alvum affectam prænunciare. (118) Tenuem ſine mordacitatis ſenſu, ei, qui ſibi bene conſtat, prodeuntem, malam, in primis vero hepatico, eſſe. (119) Alvi recrementum purum & ſyncerum cum ſudore febrem acutam ſolvere. (120) Albican-

(111) Ibidem §. 607. & Prorrhet. Libr. I. §. 21.

(112) Prorrhet. Libr. I. §. 53. Galenus Comm. II. §. 18. ſuper hunc locum, putat vocabulum περίχολον omittendum, vel ſi id admittendum, ſequi ut ex duobus alterum ſit. *Nam vel uno tempore albicantia, in altero perichola dejici, eſt putandum*, ſcribit: *vel ſi uno tempore utraque ſecerni quis voluerit, albicantia quidem tum conſtantium, tum durorum excrementorum colorem indicabunt; perichola vero excrementa, ea bilem tenuem circiter ſubſtantia, atque ea circumvolvi oſtendent.* Et Coac. Prænot. §. 606. tale effatum eſt. *Spumans & bile obductum alvi recrementum vitio eſt: quin & inde morbus regius contrahitur.* Et §. 602.

(113) Coac. Præn. §. 43.

(114) Prorrhet. §. 50.

(115) Ibidem §. 111. & Coac. Prænot. §. 613.

(116) Sect. VII. aphor. VI.

(117) Ibidem aphor. XXIII.

(118) Coac. Præn. §. 643.

(119) Prorrhet. §. 78.

(120) Coac. Prænot. §. 649.

cantem dejectionem in phreniticis, malo eſſe. (121) Proluviem ventris intenſe rubram in omnibus morbis malam eſſe. (122) Malum quoque eſſe ſanguinem purum ſeu ſplendidum per alvum dejectum: in primis vero dolore aliquo præſente. (123) Morbis quibuſvis incipientibus, ſi bilis atra vel ſurſum vel deorſum prodierit, lethale eſſe. (124) Et hanc, prout copioſius vel parcius fuerit alvi excrementis permixta, indicare morbum aut majorem eſſe, aut minorem. (125) Tum atram bilem, tum ſanguini nigricanti ſimilia per alvum dejecta, mortifera eſſe in quibuſvis fere morbis; in primis vero eos poſtridie morituros, qui ad extremam extenuationem pervenerint, & quorum alvus alterutra excreverit. (126) Alvo ſtercora nigra de-

(121) Prorrhet. §. 13. & Coac. Præn. §. 615. exacte candicans alvi recrementum in febre nullam bonam criſin denunciat.

(122) Ibidem §. 2. & Coac. Prænot. §. 611.

(123) Coac. Prænot. §. 605.

(124) Aphor. XXII. Sect. IV. Hic univerſe, ſed Coac. Prænot. §. 88. ſigillatim de febribus dicitur. Obiter hic lectores monendos duxi, ne rerum verborumque confuſio oboriatur, Galenum & ejus ſectatores ſtatuere, humorem melancholicum ex ſanguine craſſiore fieri, eſſe ſpiſſum, fæcibus vini haud abſimilem: bilem atram vero gigni, ubi bilis flava fuerit vehementer aſſata. Hanc præ illo ſubtiliorum partium eſſe. Quam ſi quiſpiam evomuerit & olfecerit, acidam eſſe: hanc etiam terram rodere, attollere, & fermentare, atque ampullas, quales ferventibus juſculis ſupernatare videmus, excitare. Ut habet Libr. III. de loc. affect. Cap. VI. & in Progn. Hipp. Comm. III. §. 29. Item Libr. de multid. Cap. XVII. Commentar. aphor. XXIII. & XXI. Sect. IV. Aſt aphor. LIII. Libr. VI. fatetur ſe nominibus abuti, & atræ bilis vocabulo cooptare aliquando humorem melancholicum, quoniam is, ſi non quamprimum evacuetur, ſit paulo poſt bilis atra futura.

(125) Libro de Criſibus.

(126) Aphor. XXIII. & XXI. Sect. IV. & Coac. Prænot. §. 612. Enuntiatum hoc exceptis coloratis dejectionibus, a medicamento ductis, proferendum eſt: Hujuſmodi quippe nihil abſurdum ſignificant: cum

dejicienti coma ſuperveniens parotidas excitare. (127) Quibus nigra ex alvo deſcendunt, eos tenuibus & frigidis ſudoribus diffluere. (128) Glutinoſum alvi recrementum, maculis nigris diſtinctum in iis, qui ſanguinem e naribus profuderunt, perniciem denotare; maxime vero in ſubalbidis, qui pituita abundare dicuntur. (129) Tenues nigrorum dejectiones horrorem inducentes in juvenibus, qui ob diuturnitatem morbi extenuati, meliores eſſe, quam alvum derepente & ſine ratione concitam; quam, ubi inſuper vocis defectio cum tremore adfuerit, periculum portendere. (130) Eos, qui ventris fluore diutius cum tuſſi laborant, non liberari, niſi vehementer propter pedes dolores exoriantur. Bonum eſſe alvi profluvio detineri lippitudine laboranti. (131) Quorum alvus in juventa fuerit liquida, eam in ſenectute fore ſiccam: & verſa vice alvum in juventute ſiccam, in ſenio liquidam fore. (132) Dejectionem liquidam, quæ multum ac ſæpe moveatur, aut parum ac ſæpe, malam eſſe: hanc enim inſomniam, illam vero virium defectionem inferre. (133) Ubi alvus intercepta, coactaque parva, nigra,

cum e diverſo illa ſeu nigra, ſeu alia, perverſe colorata, quæ ultro alvus reddit, admodum pernicioſa ſunt.

(127) Prædict. Libr. I. §. 166.

(128) Coac. Prænot. §. 618. 633.

(129) Ibidem §. 614.

(130) Ibidem §. 635. 634. & §. 258. *Alvi ſolutio, quæ præter rationem accidit, cum voce tremula in his diutius perſeverante perturbatione, pernicies intentatur.*

(131) Libro de Judicat.

(132) Aphor. XX. & LIII. Sect. II.

(133) Coac. Prænot. §. 609.

gra, caprarum ſtercoribus ſimilia reddiderit, tum male eſſe ſanguinem e naribus profundi. (134) Dictis pauca, quæ ad ipſam alvum pertinent, ſubjungam. Alvum male affectam indicare ſerpentia ſupra inguina ulcera, ad pubem & ilia enata. (135) Quin & cutem corporis ſqualidam, & plus æquo ſiccam. Qui hoc pacto affecti, in his caruncules valde rubras purulentaſque plurimum ex alvo prodire. (136) Alvi tumores duros cum dolore & febre horrorem inferente & ciborum faſtidio, niſi paulum humectata alvo expurgentur, ad ſuppurationem tendere. (137)

Alvi male affectæ ſigna.

§. 16. Deſcriptis eis, quæ paſſim ex operibus Hippocratis conquiſivi, non ab re fore, exiſtimavi, ſi pauca, ex diverſis in Medicina celeberrimis auctoribus, deſumpta, ante memoratis ſubnexuero. Alvi excrementum optimum habetur, quod molle, cohæret, & eodem tempore excernitur, quo per ſanitatem aſſolebat; quantitate vero ciborum rationi reſpondet. Proinde, ubi excedat, indicat corpus debilitari, & emacreſcere: ubi album, bilem non rite ſecerni, atque id ipſum non raro morbum regium ſignificare: ubi ſubalbidum, lacteum, nec cohærens, digeſtionem ventriculi a frigore eſſe læſam: ubi album, forma ſtercori canum quodammodo ſimile neu confertim, neu crebro prodeat, meatus bilis obſtructionem:

Continuatio prædictionum ex aliis auctoribus deſumptarum.

(134) Prorrhet. §. 41. & Coac. Præn. §. 603.
(135) Coac. Prænot. §. 628.
(136) Ibidem §. 623.
(137) Ibidem §. 303. & 640.

nem : ubi fulvum , flavum , bilis copiam : ubi valde coloratum , mordens & exurens anum , bilis rubræ abundantiam : ubi viride, vel colore ærugini ſimile , bilem viridem , & putredinem in viſcere aliquo latere : ubi nigrum, incenſionem corporis, vel bilem atram vel ſanguinem aduſtum excerni : ubi lividum, inteſtinorum frigus vel partem quandam emortuam : ubi pingue , adipem colliqueſcere, & hecticam adeſſe : ubi viſcidum , quod pingui pejus , ſolida corporis colliquefacta : ubi rubrum ſeu nigrum, morbi diuturnitatem : ubi nigrum ſponte proveniens non cito mutetur, peſſimum : ubi loturæ carnium ſimile , hepar male affectum : ubi ſincerum poſt dyſenteriam reddatur , malum : ubi aquoſum, digeſtionis defectum : ubi ſtridens, ſpumoſum, flatus copiam : ubi fœtidum, putredinem ; & id malum eſſe in febre acuta : ubi torridum, nimium viſceris calorem : eundem ſignificari , ubi ſiccum & modicum fuerit : ubi varium, diuturnum & pravum affectum : ubi varium & copioſum, depravatorum in corpore humorum multitudinem : ubi ſpiſſum & paulatim feratur, malum ; maxime vero, ſi pungat : ubi paucum, viſcidum, album , pinguedinis diſſolutionem : ubi in dyſenteria caruncula videantur ipſi immixtæ , lethale : ubi ſimile corticibus lupinorum ipſi fuerit permixtum , mortiferum : ubi alvus cita cum torminibus & ardore in ano, ſignificare dyſenteriam. Si in gravidis alvus fuſa diu fuerit, minari abortionem. Ubi morbi in principio

cipio aut augmento alvus perſeveranter liquidiora dejecerit, aut pura quaſi bilioſa, & febris perſeveret, morbum frequentiſſime eſſe periculoſum: ubi in vigore morbi alvus multum ſua ſponte reddat, eam fere morbi ſolutionem efficere; at aliquando circa vigorem, in chronicis alvum fuſam deterere materiam morbum efficientem. Verum in acutis & nigra pura, & graveolentia, præſertim in principio deſcendiſſe, lethiferum eſſe. Cæterum, antequam aliquis ex alvi excrementis prædicat, neceſſe eſt, velut & ſupra lectoribus inculcavi, conſiderare, an edulia an medicamenta aſſumpta vim habeant ſtercora colore aliquo inficiendi: aut an venter, cum debilis ſit, ſoleat fluore laborare, nec ne. (138) Chinenſes obſervarunt, quod ſi æger in ſomno alvum exoneret; & ejus rei nullus ipſi ſenſus ſit, mortem ſignificare. (139)

§. 17. Princeps Medicorum ſcribit oportere Medicum ea inſpicere, quæ per veſicam prodeunt, an ſint talia, qualia a ſanis redduntur. Quæ ſi ita fuerint, minime ea tum morboſa eſſe: eo magis autem hæc mor- *Judicium de urinæ inſpectione.*

(138) Hæc e variis contraxi, ut e Galen. Libr. I. de criſib. Cap. VII. XI. & Comm. I. in III. Hipp. de morb. vulg. §. 5. de ſympt. cauſ. Libr. III. in aphor. XXXV. Sect. VII. Hipp. Theophil. de Exer. Cap. XIV. XVI. Æginet Libr. II. Cap. XIII. Ætii Tetr. II. Serm. I. Cap. XLV. XLVI. Actuar. Meth. Med. Libr. I. Cap. XX. Conſtant. Arif. Libr. VII. Cap. XV. & Libr. X. Cap. X. Locor. Com. Haly Theoric. Libr. X. VI. Avicenn. Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. LXXVII. Rhaſis ad Manſor. Libr. X. Cap. XXXI. Alsharav. Theoric. Tract. IX. Cap. I. Haly Theoric. Libr. X. Cap. III.

(139) Cleyerus de Med. Sin. Part. II. pag. 57. §. 48.

morboſa, quo magis illis diſſimilia fuerint. (140) Lotium vel urinam appellamus iſtum liquorem, quem veſica excernit. Ex hoc varia valetudinis auguria traduntur: quæ tamen non adeo explorata, ut ſine exceptione dicta poſſint haberi. Quantumvis licet hæc uromantes contradicant, velintque ſe ex urinæ inſpectione, quanquam is, qui eam reddit, fuerit abſens; poſſe de qualibetcunque corporis ejuſdemque partium ſeu bona ſeu adverſa valetudine judicare: non vereor tamen Galeno, aliiſque in Medicina celebribus auctoribus aſſentiri, ſtatuentibus urinam bilis, renum, veſicæ &c. affectus, nec non ſanguinis indolem, morborum diverſorum ſtatum, judicationemque &c. ſolum indicare. (141) Nec horum certa ſemper ratio eſt. Videtur enim perſæpe urina in febribus concoxiſſe, febre nihilominus in vigore perſeverante. Quid? quod eadem in variis morbis acutis & diuturnis, ut in febre maligna, peſte, angina, columellæ inflammatione, in paralyſi, arthridide & in hydrope, ſanguinis aliorumque humorum per os vomitu rejectioneve; aut eorundem per alvum dejectione, ſanorum ſimilis eſt: cum tamen mors in propinquo ſit. Efficitur igitur ex his

(140) Aphor. LXVI. & LXXIX. Sect. VII.

(141) Galenus Comm. II. in Prorrhet. Hipp. §. 2. ſcribit urinam partium jocinoris, renum & veſicæ affectus, & vaſorum ſanguinem continentium, & virtutis, ſuccos generantis tum robur tum imbecillitatem ſignificare; & Cap. V. Comm. II. in Prænot. Ex urina cognoſci Jecoris venarumque facultatem, vide etiam Sennert. Inſtit. Libr. III. P. I. Sect. III. Cap. XII. Boerhav. Inſtit. Med. §. 794.

his dictis, eos graviſſime errare, qui ſola urinæ inſpectione confidant, & negligant cætera ex facultate tum animali, tum vitali, tum naturali depromenda ſigna. Enimvero alterum alteri prius comparandum eſt, antequam Medicus de eventu morbi quicquam certi prædicere poteſt. (142)

§. 18. Medico de urina judicaturo curæ ſit de ætate hominum inquirere: pueri enim & ſenes aliam reddunt urinam, quam juvenes: hi magis coloratam, illi magis dilutam. Hujuſmodi ergo in juvenibus: at iſtiuſmodi in pueris inque ſenibus, vitio eſt. Neque vero hæc noſſe ſatis eſt, ſed conſiderare oportet urinam cibi & potus colorem ſubinde referre; interdum & odorem. (143) Namque experientia docuit Rha barbarum, crocum, radices curcumæ flavum; pulpam caſſiæ nigrum; ſalſamenta atrum; olera viridem ſeu praſinum; betam, vinaque rubra, rubrum ſuum colorem; & graveolentia, ut allium, Therebintinam, odorem ſuum urinæ impertiviſſe: quinimo uſu rerum calidarum & fumo induratarum colorem urinæ intendi, & uſu thuriorum aſparagi & aliorum, urinam nonnunquam turbulentam fieri, quamvis corpus fuerit integrum. Quæ cum ita ſe habeant, conſequens eſt, ut Medicus, ne famam & exiſtimationem amittat, non ex urina duntaxat, ſed præſente ægro, vel pa-

Urina differt ratione ætatis, aſſumptorum &c.

(142) Plura vide apud Foreſtum de incert. urin. Judic. Libr. I. Cap. IV. & Rhaſin. Libr. X. Cap. XXX.

(143) Hippocrates Libr. VI. Sect. V. §. 14. de morb. vulg. & Libr. IV. de morb. vulg.

patefacta per literas, aut nuntium, morbi hiſtoria, aliquid de morbi natura & exitu prædicat. (144) Sunt quidem, qui urinam pauliſper decoquunt, vel cum ea aliquod acidum, vel *alkalicum* ſal permiſcent; tamen utut fuerit tractata; facies quidem ejus omnifariam immutatur; verum aliquod præſidium ad certam morbi cognitionem vix quiſpiam inde hauriet.

Quæ ab urinam inſpecturo conſideranda.

§. 19. Ne autem hoc volumen, in quo decrevi generalia ad Clinicen pertinentia tradere; mancum quodammodo & imperfectum ſit; ſtatui apud animum breviter, quoad fieri poteſt, varias urinæ ſignificationes, ex auctoribus idoneis petitas, perſcribere. Potiſſimum tamen Hippocratis utar teſtimoniis, quandoquidem is non modo ea, quæ ipſe expertus eſt, ſed quæ ab aliis, prædicendi peritis, cum quibus ipſis, vel eorundem filiis vel diſcipulis commercium habuit; aut quæ ex quorundam ſcriptis hauſit, fideliter memoriæ prodidit. (145) Igitur, ut ad propoſitum redeam, Medicum, urinam inſpecturum, conſiderare oportet, ejus (1) quantitatem, ſi ea utpote fuerit naturæ conveniens, aut ſi fuerit juſto major, aut an minor: (2) habitum vel conſtitutionem, utrum urina fuerit nimis tenuis, an ſpiſſa: (3) diverſitatem coloris & odoris: & ſonitus: (4) contenta, quæ triplicis potiſſimum generis ſunt. Quæ ejus in ſuperficie hæ-

(144) Foreſtus de Urin. &c. Libr. 11. Cap. 1.

(145) Ita per quos profecerit ingenue fatetur Prædict. Libr. 11. §. 4.

hærent, nubeculæ; quæ medio innatant, enæorema; quæ ad fundum ſubſident, hypoſtaſis vel ſubſidentia, dicuntur. Sed de generalibus primum; de ſingularibus deinceps ſcribam.

§. 20. Urinam eſſe optimam, ſcribit Hippocrates, (146) in qua per totum morbi tempus, donec judicatus fuerit, ſubſideat album læve & æquale aliquid. Talem enim indicare morbum minus periculoſum ac ancipitem, ſed brevem, fore. Morbum etiam ſolvere urinæ concoctionem paulatim matureſcentem, in primis vero ſi die *critico* uſu veniat. Morbum diuturnum ac

Prognoſtica generalia urinæ.

(146) Libro Prænot. & de Judicationib. & Coac. Prænot. §. 577. Et Celſus Libr. II. Cap. III. Bonum ſignum eſſe, ſcribit, ubi in urina, quod ſubſidet, album, læve & æquale eſt: ſic ut etiam ſiquæ quaſi nubeculæ innatarint, in imum deferantur. Malam autem urinam eſſe, Cap. IV. ſcribit, in qua ſubſidant ſubrubra aut livida: deteriorem, in qua quaſi fila quædam tenuia atque alba; peſſimam ex his, ſi tanquam ex furfuribus factas nubeculas repræſentet. Dilutam quoque & albam vitioſam eſſe, ſed in phreniticis maxime. Et Cap. VI. Longi morbi ſignum eſſe, ubi urina modo liquida & pura fuerit, modo habeat quædam ſubſidentia: ſi hæc lævia atque alba rubrave ſint, quæ in ea ſubſidunt: aut ſi urina quaſdam quaſi maculas repræſentet, aut ſi bullas excitet. Et Cap. VIII. ſpem ſalutis eſſe, ſi urina & vini mutatione, & epotis aliquibus medicamentis mutetur. Plinius H. N. Libr. XXIIX. Cap. VI. *Si mane candida, dein rufa ſit: illo modo concoquere, hoc concoxiſſe ſignificatur.* Per verbum τὸ concoquere Medici ſignificant motionem, qua cauſſa morbi agitatur atque apta redditur, ut e loco, cui inhærebat, poſſit dimoveri; aut a ſanguine vel ab aliis humoribus, quibus erat immixta, ſecerni. Hinc Urina fulva & tenuis crudum morbum ſignificat, hoc eſt, in quo adhuc nulla fit partium vitioſarum a ſanis ſecretio: ſin vero appareant ſubſidentia alba, lævia & æqualia, indicant hæc morbi concoctionem. i. e. materiam morbum efficientem a reliquis ſejungi, quæ deinceps ad partem quandam ignobilem delata ad ſuppurationem tendit, vel per varia loca, humorum ſecretioni atque excretioni dicata, excernitur, & id quidem vel ſcreatu vel tuſſi, vel ſudore, vel mejendo, vel alvi dejectione &c.

ac minus ſecurum fore, ſignificari, ſi urina intermittat, ſi ſubinde pura mejatur, & ſubſidentia interdum fuerint alba & lævia; at diuturniorem, nec tamen lethiferum, ubi ea fuerit ſubrubra, & ſimiliter, quod ſubſidet, læve. Urinam præter rationem derepente concoctam; immo omnem, quæ in morbo acuto præter rationem cocta eſt, vitium denotare. (147) Sic & eam, quæ celeriter & parvo tempore matureſcit in iis, quæ circa aures ſuppurant, vitio eſſe. (148) Vehementem in corpore perturbationem eſſe, ubi urina fuerit facta diſtans, i. e. inæqualis. (149) In febre etiam morbum produci, ubi urina varia fuerit. (150) Scilicet; quæ faciem ſuam ſæpe mutat, hanc morbi diuturnitatem prodere; ipſumque ægrum modo meliore modo deteriore conditione eſſe. Difficilem quoque & ambiguam morbi judicationem futuram, ubi urina noviſſima primæ minime ſimilis, ut ſi craſſam paulo poſt tenuis inſequatur: vel ſi ea omnino tenuis fuerit. (151) Item eam, quæ ab initio concocta, verum poſt quartum diem tenuis evadit, periculum in pulmonum inflammatione portendere. (152)

Prædictiones ex urinæ copia aut ſuppreſſione deſumptæ.

§. 21. Quod ad urinæ quantitatem attinet, Medici exiſtimant, eam naturæ congruenter reddi; ſi proportione potus quantitati

(147) Hippocrates Coac. Prænot. §. 579.

(148) Ibidem §. 587.

(149) Aphor. XXXIII. Sect. VII.

(150) Coac. Præn. §. 595.

(151) Libro de Judicationib.

(152) Coac. Præn. §. 580.

titati reſpondeat, ſi æqualis; i. e. eodem tenore ac impetu feratur. Quod ſi diluta & copia major, quàm quod potui erat deſtinatum, ſignificat hominem non fuiſſe dicto audientem; ſed abundantiore uſum fuiſſe potu: aut eum non poſſe nutriri, quamdiu talis urina reddatur. (153) Ubi quiſpiam noctu multum mejat, ſignificare modicam alvi dejectionem. (154) Quod ſi aliquis febricitans liberaliter mejat, & in lotio ſint ſubſidentia pinguia, ſignum hoc eſſe febrem finiri. (155) Si febriens urinam paucam, craſſam, grumis refertam minxerit, poſtmodum vero copioſam ac tenuem, juvat. Talem autem maxime prodire, cui ab initio aut non multo poſt ſubſidentia inſunt. (156) Interdum urinæ iter vel vitio ſui, dum nimis denſa eſt; vel vitio renum, uretherum, ſeu veſicæ intercipitur. Et quomodocunque hujus rei cauſſa fuerit, affectus tamen periculo haud caret. Verbi gratia, ſi urina in bilioſis intercepta, mortem brevi affore, minatur. (157) Peſtiferum eſt, ſi ea in malis præcipitibus ex algore ſupprimatur.

(153) Prædict. Libr. II. §. 4.

(154) Aphor. LXXXIII. Sect. IV. poteſt etiam indicare meatus cutis eſſe obſtructos, & paululum humidi ſeu ſudando, ſeu inſenſibili *tranſpiratione* eſſe abactum.

(155) Ita legit Duretus in Coac. Præn. Cap. III. §. 26. Aſt Fœſius §. 582. *quæ emittitur urina, in qua quod ſubſidet pinguedinem habet, febrem ſignificat.*

(156) Coac. Præn. §. 597. & aphor. LXIX. Sect. IV.

(157) Coac. Præn. §. 592. Duretus *pro bilioſis* legit *Ileoſis*. Et ad ejus lectionem ſtabiliendam facere multum videtur aphoriſmus XLIV. Sect. VI. Quibus tenuioris inteſtini morbus urinæ ſtillicidio ſupervenit, hi in VII. diebus pereunt, niſi ſuborta febre urina abunde prodierit. Eadem Coac. Præn. §. 475.

tur. (158) Mala & convulſionis prænuncia eſt urinæ cum rigore ſuppreſſio; privatim vero ubi æger antea alto ſopore detentus fuerit. (159) Solet enim rigorem urinæ ſuppreſſio comitari. (160) Ubi urina intercepta, & ad imum ventrem pondus quaſi ſentiatur, futuram plerumque ſtranguriam iſta ſignificant, aut alium conſuetum affectum, ut dyſuriam, ut Iſchuriam &c. (161) Et veſica intercepta, in primis præſente capitis dolore, nervorum diſtentionem minatur. Quæ ex his cum ſtupore exolvuntur, difficilia quidem ſunt, at non pernicioſa. Animadvertendum autem eſſe, * auctor ſubjunxit, an hujuſmodi mentis alienationem inducat. (162) Ubi cum urinæ ſuppreſſione renum dolor ſubito fuerit obortus, oſtendit is aut lapillos, aut urinam craſſam mejendo reddendam. (163) Ubi urina membranulis dotata cum horrore ſubſidet, i. e. ſubſiſtit, convulſionis hæc prænuncia eſt. (164) Aliquando urina inſcio, nec admonito ægroto profluit ob muſculum ſphincterem ſenſu carentem. Quod ſi phreniticis, lethargicis, comatoſis &c. uſu veniat, mortiferum ſignum eſt. Obſervandum autem eſt an ſic reddatur, qualis ſit, ubi hypoſtaſin perturbaveris. (165) Item quibus incogitantibus urina fertur, ac pudendum contrahi-

(158) Prædict. Libr. 1. §. 51.
(159) Ibidem §. 155. & Coac. Præn. §. 25.
(160) Ibidem §. 110. & Coac. Præn. §. 29.
(161) Coac. Prænot. §. 591.
(162) Ibidem §. 588. & Prorrhet. §. 120.
(163) Ibidem §. 589.
(164) Ibidem §. 584.
(165) Ibidem §. 596. & Prorrhet. §. 29.

hitur, de iis omnes ſpes conciderunt. (166)

§. 22. Quantum ad omnimodam urinæ conſtitutionem attinet, ſciendum eſt, ſi ea tenuis & fulva fuerit, talem indicare morbum eſſe crudum. Quod ſi diutius ita perſeveret, periculum eſſe, ne æger tantiſper, quoad urina fuerit concocta, non poſſit ſufficere. Verum ſi reliqua ſalutaria ſigna præſto fuerint, in iis abſceſſus propter loca infra ſeptum tranſverſum expectari oportere. (167) In febribus longis, parvis, vagis ſi tenuis urina reddatur, ſignificare ſplenis affectum. (168) In morbo comitiali obnoxiis urinam præter conſuetudinem tenuem & crudam, dempta prægreſſa alimentorum ſatietate, acceſſionem morbi denunciare: & tum cummaxime dolore aut ſpaſmo in ſummum humerum, aut cervicem, aut dorſum incidente, aut turbulento inſomnio viſo. (169) Urinam aquoſam & albam, quæ diluta alias dicitur, diuturnis in morbis perſeverantem, ſuſpicioſam prodere judicationem. (170) Urinam dilutam cum aſperitate arenæ ſimili indicare alvum fore liquidam. (171) Perſpicuam & albam urinam eſſe malam:

Ex urina tenui

(166) Ibidem §. 474. ſcilicet de iis, qui nervorum reſolutione, vel cervicis veſicæ vulnere, vel ob caſum laborant, vel quorum vertebræ ſub ſepto exciderunt. In hujuſmodi caſibus ſi urina ſine voluntate prorumpit, ſpes eorum deſperatiſſima eſt.

(167) Libro Prænot. & de judicat. & Coac. Præn. §. 582. Celſus Libr. II. Cap. VII. hunc locum ita latine vertit: *Interdum quoque urina tenuis & cruda ſic diu fertur, ut alia ſalutaria ſigna ſint, exque eo caſu plerumque infra tranſverſum ſeptum fit abſceſſus.* Nota de febribus hoc loco differit.

(168) Coac. Præn. §. 595.

(169) Ibidem §. 599.

(170) Ibidem §. 576.

(171) Ibidem §. 583.

lam: præſertim vero ſi talis in phrenitide appareat. (172) Aquoſam in pueris deterrimam. (173) Puram, ſi ejus in ſummitate furfuri ſimilia ferantur, denotare, veſicam ſcabie laborare. (174) Aquoſam & albam, quæ ſubſidentia rubra, hordei toſti quadantenus moliti fruſtulis craſſioribus (κριμνώδεα Græci appellant) ſimilia habet, ſignificare dolorem juxta & periculum. (175) Urinam ſeri inſtar limpidiſſimam calculoſis propriam eſſe: (176) interdum tamen in ea ſubſident arenoſa, quæ itidem calculi in veſica præſentiam prodere. (177)

Ex urina craſſa, turbida &c.

§. 23. Hucuſque de tenui; nunc de ea, quæ craſſitiem quandam præ ſe fert, ſcribam. Craſſiorem pallidioremque urinam Hippocrates judicat, (178) præ tenuiori & nigricante melioris notæ eſſe. Quod ſi faciem in dies mutet, eam morbi & longitudinem indicare & inſtabilitatem. Urinam craſſam, in qua quodquod ſubſidet album eſt, articulorum dolorem aut tumorem denuncia-

(172) Ibidem §. 579. & aphor. LXXII. Sect. IV.

(173) Libro Prænot.

(174) Libro de Natur. homin. verum aphor. LXXVI. Sect. IV. aliter hoc placitum profertur. Nimirum, *Quibus cum urina craſſa furfuri ſimilia quædam exeunt, iis veſica pſora laborat.*

(175) Coac. Prænot. §. 586.

(176) Idem de aer. aq. & loc.

(177) Aphor. LXXIX. Sect. IV. Galenus indict aphor. putat addendum, *vel in renibus:* utroque enim calculum generari, & indidem una cum urina exire arenoſa. Celſus Libr. II. Cap. VII. ſigna calculi conjunctim exponit his verbis. *Si urina difficulter redditur, paulatimque, interdum etiam ſine voluntate deſtillat: eadem arenoſa eſt: nonnunquam aut ſanguis, aut cruentum, aut purulentum aliquid cum ea excernitur, eamque quidam promptius recti, quam reſupinati*, reddunt. Ejuſdem generis ſigna tradit Hippocrates Libr. IV. de morbis.

(178) Hippocrates Libro de Rat. Vict. in morb. acut.

ciare. (179) Ubi una cum urina craſſa prodeant minutæ carunculæ, capillamentorum ſpeciem referentes, ſignum eſſe eas a renibus prodire: nec non eos, qui arthritide laborant, hujuſmodi reddere. (180) Urinam craſſam albam, qualis Archigenis puero aderat, in febribus cum laſſitudinis ſenſu interdum quarto die prodire, & ab abſceſſu vindicare. (181) Quorum urina in febribus turbida, qualis jumentorum eſt, hanc denunciare capitis dolorem aut adeſſe aut affore. (182) Eam, quæ confuſa, ſeu turbida pingue quiddam oſtentat, & poſtea limpida fit, ſignificare citam febris dimiſſionem. (183) Urinam ſpiſſam, quædam divulſa continentem, in febriente, aut morbi reverſionem portende-

(179) Idem Libr. II. Prædict. §. 4. Celſus Libr. II. Cap. VII. hunc locum ita de græcis literis expreſſiſſe videtur. *Urina craſſa, ex qua, quod deſidet, album eſt, ſignificat circa articulos, aut circa viſcera dolorem, metumque morbi eſſe.*

(180) Hippocrates Libro de Nat. Hom. & aphor. LXXVI. Sect. IV. Celſus Libr. II. Cap. VII. ſcribit, urinam craſſam, ſi carunculas quaſdam exiguas quaſi capillos habeat, aut ſi bullet, & male oleat, & interdum quaſi arenam, interdum quaſi ſanguinem, veſicam vel renes exulceratos eſſe. Urinæ itidem crebram cupiditatem, ſed magnam difficultatem adeſſe, & quod inde excretum eſt, aquæ ſimile, vel rufum, vel pallidum eſſe: paulum tamen in eo levamenti eſſe, alvum vero cum multo ſpiritu reddi, utique in renibus vitium eſſe. At ſi paulatim deſtillet, vel ſi ſanguis per hanc edatur, & in ea quædam cruenta concreta ſint, idque ipſum cum difficultate reddatur, & circa pubem inferiores partes doleant, in eadem veſica vitium eſſe. De cætero urinam quoque, quæ in homine ſano parum liquida eſt, circa aures futuram aliquam ſuppurationem eſſe, denunciare.

(181) Hippocrates de Humoribus circa finem & Libr. VI. Sect. IV. §. 2. de morb. vulg. & Libro de Judicationib.

(182) Idem aphor. LXX. Sect. IV.

(183) Ita Duretus: Fœſius autem Coac. Præn. §. 575. celerem febris liberationem denunciat, quæ diluta indiſcretam quandam pinguedinem habet.

dere, aut ſudorem. (184) Eam, quæ turbida micta hypoſtaſin habet, quæque reſidet, i. e. quæ inſtar vini, fæcem ad fundum deponentis, limpida evadit, denunciare rigorem circa *criſin*; fortaſſe etiam tranſitum in tertianam aut quartanam. (185) Cruentam circa initia morbi mictam, ejus diuturnitatem: turbidam, quæ non ſubſidit, recidivum morbum: albam, qualis eſt jumentorum, capitis dolorem; & quæ videtur membranulis referta, ſpaſmum denunciare. (186) Malam eſſe illam, quæ ante rigorem oleoſa mittitur. (187) Urinam lixivio ſimilem reddi cum ſpirandi difficultate, prænunciare abdomen aquis repletum iri. Decolorem tandem ſuſpenſa quædam nigra in medio habentem præſente pervigilio & mentis alienatione portendere phrenitidem. (188)

Ex urinæ colore.

§. 24. Urina multum alba in iis, qui febrem ardentem habent, aut quibus cum febre eſt catochus, peſſima eſt. (189) Quod ſi quis deficiente febre, & accedente ſudore urinam fulvam alba ſubſidentia habentem minxerit, huic eodem die febris reverſio erit. Verum talis ſolet quinta die citra periculum finiri. Verum enim vero ſi peracta judicatione aliquis urinam rubram ſubſidentia rubra habentem reddiderit, huic quoque eadem die febris reverſio erit. Pauci autem, qui tali pacto afficiuntur, revaleſcunt.

(184) Coac. Prænot. §. 593. Duretus legit divulſum aſperum habens urina.

(185) Ibidem §. 585.

(186) Ibidem §. 582. 177.

(187) Ibidem §. 579.

(188) Ibidem §. 582.

(189) Ibidem §. 582.

ſcunt. (190) Urina aliquantulum rubra, lævia habens ſubſidentia, pleuritide ægro ſalutarem criſin prænunciat: celerem quoque, quæ paululum pallida, coloreque florida eſt, habetque ſubſidentia alba. At ſi ea admodum rubra, & colore florida, habueritque ſubſidentia pallida, lævia, pura, ſignificant hæc morbum fore diuturnum, valdeque turbulentum, & in alium tranſiturum, non tamen exitium ægroto allaturum. (191) Verumtamen ſi ea fuerit valde rubra, ita ut opaca inſpicienti videatur, adſintque ſubſidentia varia indiſcreta, portendit hæc pleuriticum intra XIV. dies moriturum. Idem in hoc affectu prænunciat urina viridis, vel praſina, quæ ſubſidentia nigra, aut furfuribus ſimilia, habet. (192) Malum in acutis minatur, ubi urina viridat, nec tamen is color tantum ſuperficie tenus, ſed toti urinæ ſubſtantiæ ſit permixtus. (193) Ad ſummam urina, quæ fœtida, aquoſa, nigra ſeu craſſa, exitium minatur. Et nigra quidem in viris inque mulieribus, at aquoſa in pueris, peſſima eſt. (194)

§. 25.

(190) Libro de Judicationib.

(191) Coac. Prænot. §. 586.

(192) Ibidem §. 581.

(193) Ita Duretus fere interpretatur. §. 16. Cap. III. At Fœſius Coac. Præn. §. 579. *Malæ quoque & in acutis morbis, & quæ ex viridi palleſcunt, nec in colore perſiſtunt.*

(194) Hippocrates Libro Prænot. Celſus Libr. II. Cap. VII. De antedicta viridi urina ſcribit, eam aut viſcerum dolorem, tumoremque cum aliquo periculo ſubeſſe: aut certe corpus integrum non eſſe, teſtari. De reliquis vero Cap. VI. *Urina tenuis & rubra in magna cruditate eſſe conſuevit, & ſæpe antequam ſpatio matureſcat, hominem rapit. Itaque ſi talis diutius permanet, periculum mortis oſtendit. Peſſima tamen eſt; præcipueque mortifera, nigra, craſſa, mali odoris; atque in vi-*

atque ex ejus contentis.

§. 25. Proſequar nunc ea, quæ in urina continentur, tradere. Nubeculas, quæ per urinam feruntur, ubi albæ fuerint, Hippocrates, (195) bonas eſſe, ſcripſit, aſt malas, ubi nigræ. Damnandam quoque pinguedinem aranearum telas referentem ſupra urinæ innantem, quam ſignificare ſyntexin, i. e. corporis conſumptionem, ceu contingit in tabe, febre hectica &c. Nigras nubeculas in febribus errantibus denunciare quartanam. Rubras quarta die urinæ ineſſe, quorum morbus ſeptima die judicatur, cæteris vero ſecundum rationem procedentibus. (196) Bullas urinæ ſuperſtantes, renum affectus, aut longam corporis infirmitatem fore ſignificare; ſin vero eidem aliquid, quod pingue & confertum eſt, ſupernatet, id ipſum renum morbum, eumque acutum ſignificare. (197) De urinæ ſubſidentiis paſſim dixi. His, quæ reſtant, ſubjungam. Subſidentia alba & tenuia valde prava eſſe, judicat Hippo-

ris & mulieribus talis deterrima eſt; in pueris vero, quæ tenuis & diluta eſt. Et Plinius Libr. XXVIII. Cap. VI. Mala ſigna rubræ urinæ eſſe, ſcribit, peſſima nigræ: mala bullantis & craſſæ, in qua quod ſubſedit, ſi album ſit, ſignificare circa articulos aut viſcera dolorem imminere. Eandem, ubi viridis, viſcerum: ubi pallida, bilis: ubi rubens, ſanguinis morbum indicare. Malam etiam eſſe eam, in qua veluti furfures atque nubeculæ appareant Dilutam quoque albam vitioſam eſſe: mortiferam vero craſſam, gravi odore: & in pueris tenuem ac dilutam.

(195) Libro Prænot. & Coac. Præn. §. 582. 577. Et Celſus Libr. II. Cap. VIII. in tabe ubi urina quædam araneis ſimilia ſubſidentia oſtendit, atque in his odor fœtidus eſt, ſignum hoc mortiferum eſſe.

(196) Hippocrates aphor. LXXI. Sect. IV. & Coac. Præn. §. 575.

(197) Aphor. XXXIV. XXXV. Sect. VII. Galenus vult ejuſmodi pinguedinem ſignificare renum adipem colliqueſcere.

pocrates; (198) his autem deteriora, quæ furfuri ſimilia. Sic etiam ea, quæ hordei toſti non exacte moliti partes referunt, prava eſſe; pejora autem, ubi laminis fuerint ſimilia. Verum in febre alba & lævia ſubſidentia ſignificare celerem febris liberationem. Ubi in urina aliquantulum rubra, ſubſidentia inſint quodammodo rubra juxta & lævia, eademque ante ſeptimum diem appareant, hæc, ſeptimo die febris ſolutionem eſſe futuram, deſignare: poſt ſeptimum autem tardiorem, aut plane diuturnam. (199) Quorum in urina cito aliquid ſubſidet, hos brevi judicari. (200) Si id, quod ſubſidet bonum eſt, protinus evaneſcit, oſtendere id ipſum dolorem & mutationem. (201) Urinam, quæ multa habet ſubſidentia, tollere delirium. (202) Ubi febricitantium in urina ſunt ſubſidentia craſſiora farinæ ſimilia, ſignificare hæc longam infirmitatem: at acutam, ubi bilioſa, ab initio autem tenuia, ſubſidentia fuerint. (203)

§. 26. Hucuſque ea, quæ paſſim in Hippocrate inveni, conſcripſi. Ordo ſcriptionis poſtulat, ut reliqua, quæ a poſteris inventa, commemorem. Aliqui de his doctrinam de urina ampliarunt adeo, ut nihil ſupra. Ejus cauſſa potiſſimum erat ſtudium Sapientiæ: dum unuſquiſque, prout alicui Sectæ deditus, ſtudebat colores contentaque urinæ ſe-

(198) Libro Prænot.

(199) Coac. Prænot. §. 575.

(200) Ibidem §. 598.

(201) Ibidem §. 585.

(202) Libr. VI. Sect. VI. §. 22. de morb. vulg.

(203) Aphor. XXXI. XXXII. Sect. VII.

ſecundum Sectæ hypotheſin explanare. Verum enim vero, ne longius prolabar, quam ratio compendii Clinices poſtulat, miſſa faciam ratiocinia, ſubtileſque quæſtiones ab iis in medium prolatas: memorabo autem, quæ auctores profitentur ſe ab experientia, unica Medicorum magiſtra, didiciſſe. Attamen, antequam me ad ipſam rem accingam, ex uſu lectoris fore, duxi, ſi nominationes colorum, quorum præcipuus in urinæ inſpectione uſus eſt, indicaverim. Quod niſi fuerit factum, orietur procul dubio dicendorum obſcuritas. Sed ad propoſitum. Urina omnimodis coloratur, & eſt vel (1) *alba*, cujus coloris ſpecies eſt candidus, lacteus, albidus, ravus, græce *charopus*; hic ſimilis eſt pilis albidis camelorum vel lapidi onychiti. Ravum, alii perhibent, e nigro & flavo invicem mixtis oriri. (2) Vel *nigra*, cujus ſpecies eſt color α. lividus, quem oriri ajunt, ſi duplo nigri ſimplum albi admiſceatur; hunc fuſco obſcuriorem eſſe: fuſcum colorem autem habere caricas aridas. β. *paſſeus* vel badius; hunc ſimilem eſſe ſapæ, vel maturis ceraſis nigris. γ. Glaucus vel cæſius, cujuſmodi oculis felum vel cornu pellucido eſſe. δ. Venetus ſeu cyaneus, quem oriri ex albo & nigro pari portione mixtis. (3) Vel *flava*, quem colorem perhibent ex viridi rufo & albo compoſitum. Hujus ſpecies eſt color α. fulvus; talem in auro Arabico inveniri, viderique ex rufo & viridi concretum: eundemque ad flavum proxime acce-

Interpretatio vocabulorum, per quæ omnis generis lotii colores ſignificamus.

ce-

cedere; illum magis in album, hunc vero in ſplendidum vergere; immo fulvum flavo, & pallidum fulvo, magis album eſſe: β. pallidus ſeu *ſpiceus* eſt, quem Belgæ *bleekgeel* appellant. γ. Pallidulus ſeu *ſubſpiceus* illius diminutionem ſignificat. δ. Luridus deſignat colorem ſupra modum pallidum. ε. Flammeolus *ſubcroceus*, vel *ſubflavus*, qualem carthamo eſſe. ζ. Rufus, qualem in auro Obryzo. η. Citrinus, qualem in corticibus citri. θ. Luteus, quem rufum dilucidiorem eſſe, reperiri in leucoji vulgaris vel *Cheiri* floribus. ι. Gilvus, vel melinus; qualem in cotoneis maturis. (4) Vel *rubra*; rubicunda, cujuſmodi colorem ſanguini bono eſſe. Hujus ſpecies ſunt, α. Rubens. 1. *puniceus*, qualem alii *Φοινίκα*, alii *σταδίνα* appellant, & talem dicunt in ceraſis maturis aliiſque fructibus reperiri. β. Rutilus & ſpadix illius ſynonyma ſunt; ſignificare tamen hunc ruboris exuperantiam ſplendoris; & rutilum, qui & flammeus dicitur, conſtare ex rubedine cum modica nigredine mixta. γ. Rubicundulus vel ſubruber, qualem optimo croco eſſe. δ. Rubidus, quem habere plus nigredinis, quam rutilum; Belgæ eum vocant *Swartrood*. ε. *Vineus*, Græce œnops, quem eſſe vino rubro vel jocinori noviſſime ex animali exempto: (5) Vel *viridis*, qualis color etiam varius eſt, & eſt vel herbaceus, herbidus, vel praſinus, vel ærugini, vel glaſto, vel ſmaragdo ſimilis. (204)

§. 27.

(204) Hæc e variis auctoribus collegi, ut e Galeni Libr. I. Cap. XII. de criſib. Gellii noct. Attic. Libr. III. Cap.

Monita præceptaque in urinæ inſpectione advertenda.

§. 27. Priuſquam ulterius pergam, puto, me operæ pretium facturum, ſi Medicinæ tironibus quaſdam cautiones & monita, quæ ab urinam inſpecturo obſervanda, miniſtraverim. Hæc enim niſi probe animadverterit, ſed rem ſuam negligenter peregerit, ipſi uſu venire nullo negotio poteſt, ut errore capiatur, atque ideo ægrotantis ex urina conditionem qualemcunque ſciſcitanti ipſe ſuppeditet cavillandi irridendique ſui facultatem. Proinde ut famam auctoritatemque ſibi pariat, neceſſe eſt inquirere (1) victus rationem, num is, cujus urina inſpicienda eſt, uſus fuerit vel cibo vel potu vel medicamento vi dotato lotium ſingulare colore inficiendi: (2) Ætatem, (4) ſexum, (4) temperamentum, (5) exercitia corporis, (6) animi affectum, (7) anni tempora. Hæc, & quæ his ſimilia, multum pollent ad corpus, ejuſdemque humores alterandum, &, quod conſequens eſt, in cauſſa ſunt, ut ipſa quoque urina formam coloremque naturalem ſubinde mutet, & longe alterius indolis videatur, quam eapſe revera eſt. Prænoſci itaque hæc a Medico debent, quin &, qualem æger, dum adhuc integer erat, ſolitus eſt urinam reddere. (205) Poſthæc convenit urinam potius in ædibus infirmi, quam peregre allatam, à Medico conſpici; quia urinæ contenta, quando eam ad Medicum aliquis portat, turban-

Cap. IX. & Libr. II. Cap. XXVI. Theophili Libr. de Urin. Cap. VI. & Actuar. de differ. Urin. Cap. VIII.

(205) Damaſcenus in aphoriſm.

bantur, & vix priſtinum ſitum rurſus occupant. Deinde jubent auctores, ut matula, in quam modo æger minxit, bene cooperiatur, ne ſubtilium partium, quas multum ad totius conſtitutionem facere, jactura fiat. Reliqua, quæ ſuperſunt, uſus docet. (206)

Quo pacto Medicus urinam hominis a beſtiarum lotio & aliis liquoribus diſcernere debeat.

§. 28. Contingit non raro, ut Medici dolo decipiantur, dum iis ab aliquo ſannione vel urina quadrupedum, vel liquor alius generis mittitur. At enimvero ut talem malevolentium dolum ac ludibrium devitent, hæc præcepta ab aliquibus data, quibus urinam hominis ab aliis rebus, ajunt, diſcerni poſſe. Nempe hominis urinam prope conſpectam videri ſpiſſiorem, at procul viſam tenuiorem: cum e contrario aliuſmodi liquores quoquo pacto conſpecti, uniuſmodi faciem præ ſe ferant, vel contrario modo ſe habeant; ſcilicet quo propius contueantur, eo clariores, quo longius, eo ſpiſſiores videri. Deinde urinam quadrupedum eſſe admodum turbulentam, carereque circulo: alios liquores autem carere hypoſtaſi, excepto ficuum decocto; cujus hypoſtaſin vero moveri inſtar aquæ, & non in medio, ſed ad latera vitri ſubſidere. Ovis quidem & capræ urinam pallidam urinæ hominis interdum ſimilem eſſe, verum illam neu ſubſtantiam habere neu ſubſidentia: & ſi quæ habeat ſubſidentia, ea tum vel oleo vel amurcæ non diſſimilia eſſe. Hydromeli ſpumam

(206) Gordonius de Urin. Cap. IV. & V.

Quomodo aliquis ex urina utrumvis ſexum, & gravidam mulierem eſſe factam, dignoſcere poſſit.

mam tandem eſſe citrinam, quam in talis coloris, ut hydromeli eſt, urina non inveniri. (207) Sunt aliqui ex Medicis, qui putant ſe ex urina ſexum utrumlibet dignoſcere poſſe: perhibentque mulierum urinam ſpiſſiorem pallidioremque eſſe, quam virorum: quin minus e lotio capi poſſe ſignum graviditatis. Nimirum gravidæ urinam eſſe claram, pallidam, habereque nubeculam; interdum *enæorema* inſtar goſſypii carminati eidem innare: aliquando adeſſe, quaſi grana quædam, quæ modo aſcendere modo deſcendere: & in fine, ubi paritura, urinam devenire nigram, inibique haberi contenta ſordida inſtar atramenti. (208) Verum enim vero quomodocunque modo dictorum obſervatio, & differentia ſit; non defuere tamen quovis tempore, qui memorata, de urinæ gravidarum differentiis judicia, improbarent; aſſererentque horum rationem dubiam eſſe.

Præſagitiones urinæ tenuis, & varie coloratæ.

§. 29. Pro urina inculpata habet Galenus, (209) eam, quæ colore flammeola, & conſtitutione media, i. e. nec nimis tenuis, nec nimis ſpiſſa, eſt. Crudam autem eſſe, ſcri-

(207) Avicenna Libr. I. Fen. II. Doctr. III. Summ. II. Cap. XI. XII. Arnoldus de Vill. Nov. de caut. Medic. & Gordonius de Urin. Cap. V. & de *cautelis* tractatui de urinis annexis. Eædem cautiones in hoc tractatu habentur, ac in Arnoldo: ita ut neſcias utrum huic, an illi ſuppoſitio libelli facta ſit. Uterque enim illorum temporum æqualis eſt.

(208) Avicenna ibid. Cap. X. & Gordonius Cap. V. Actuarius vero Libr. I. Cap. V. de Urin. Judic. ſcribit Mulierum vigentis ætatis urinam non multum recedere a colore flammeolo, eſſeque tenuis ſubſtantiæ; hypoſtaſin magis congregatam in harum, quam in virorum, urina, eſſe.

(209) Comm. II. §. I. in Prorrhet. Hippocr. & Cap. V. de Tot. morb. temp.

ſcribit, quæ nec nubeculas in ſummitate, nec ſuſpenſa in medio, nec ſubſidentia in fundo habeat, ac inſuper ſit colore alba & tenuis aquæ inſtar. (210) Cruditatis autem peſſimæ notam eſſe, ubi urina fuerit exquiſite aquoſa. (211) Urina cruda ante & poſt criſin, lethifera eſt. (212) Quod ſi urina in gravi quodam morbo fuerit ſanorum ſimillima, peſſimæ notæ talis eſt. (213) Item cujus urina in morbo diuturno ſanorum ſimilis fuerit, ac ita continue permanſerit, ſignificat morbum non medicabilem. (214) Urina alba tenuis ſignificat obſtructiones viſcerum, morbos chronicos vel diabeten. (215) Urina alba, ſi ſubito in malum colorem convertatur, malum. Ubi urina tenuis poſt criſin venerit, multum ac diu perſeveraverit, ſignificat hæc morbi reverſionem. (216) Urina alba & tenuis cum nubeculis albis morbi ſolutionem in cardiacis portendit. (217) Urina alba vel ſublivida in pleuritide, mortifera eſt. (218) Alba & tenuis cum granulis in circulo ſuperiori diſtinctis, arthritidem vel catarrhum deſignat. Alba & tenuis, quæ quaſi viridat in ſuperiori circuli parte, morbum ſacrum ſignificat. (219) Lactea & tenuis

(210) Ibidem de tot. morb. temp.

(211) Idem Libr. I. Cap. XII. de criſib.

(212) Alter de Dinamid. Galeno aſcriptus. Cap. CCCXVI.

(213) Gordon. de Urin. Cap. IV.

(214) Damaſcenus in aphoriſm.

(215) Conſtantinus Afer de Urin. Cap. II.

(216) De Dinamid. Cap. CCCXII.

(217) Ibidem Cap. CCCXV.

(218) Ibidem Cap. CCCXVI.

(219) Arnoldus de Vill. Nov. Libr. IV. Cap. XII. Practic. Med.

nuis febris in principio mala; at ex uſu eſt talem in declinatione febris exiiſſe, & quidem in copia. (220) Urina lacti vel liquori genitali ſimilis, pauca, paralyſin vel apoplexiam portendit: ſin vero in hujuſmodi morbis multa excernatur, ſolutionem promittit. (221) Urina candida cum ſpuma in febribus continuis, mala eſt. (222) Ex Urina omnimoda nigram Galenus (223) judicat peſſimam, adeo ut ne unum quidem, qui talem reddidit, viderit ſervatum: attamen ſi ſubſidentia modo nigra, minus periculi ſubeſſe: adhuc minus, ſi ſuſpenſa vel enæorema modo nigrum: minimum autem ſi nubeculæ fuerint tantum nigræ. Urina nigra, quo minori quantitate reddita, eo deterior in mare vel fœmina habetur. (224) Eadem cum nubeculis variis in peripneumonia mixta, mortiferum eſt. (225) Nigra & tenuis cum nubeculis phrenitim: eadem cum enæoremate malum; & ſi præterea ſurditas & inſomnia adfuerint, morbum diuturnum portendit. (226) Ubi poſt flavum & rubentem nigra redditur, peſſimum ſignum eſt. Nigra etiam in acutis ſpaſmum: & in pleuritide cum delirio & ciborum faſtidio mortem ſignificat. Non adeo malum tamen eſt, talem poſt menſes, febrem quartanam, ſplenis affectus &c. excreviſſe.

(220) Theophilus de Urinis Cap. VII.
(221) Rhaſis ad Manſor. Libr. X. Cap. XXX.
(222) Theophilus Cap. XIII.
(223) De Criſib. Libr. I, Cap. XII.
(224) Conſtantin. Afer loc. comm. Libr. X. Cap. X.
(225) De Dinamid. Cap. CCCXVI.
(226) Ibidem Cap. CCCVIII.

viſſe. (227) Familiare itidem eſt ſcorbuticis, hypochondriacis & melancholicis urinam craſſam citra ingentem noxam excernere. Urina livida & tenuis in acutis delirium ſignificat. (228) Et in dolore capitis doloris augmentum. (229) Urinam fuſcam in febribus acutis inſequens albicans aut nigricans, malum. (230) Urina *paſſea* vel badia icterum venturum ſignificat. (231) Glauca quadantenus, vitiatam digeſtionem indicat. (232) Veneta, alias cyanea, in ſanis exercitationes immodicas, in ſenibus ſi diu ita fertur, lithiaſin ſignificat. Si eadem ſubcitrinæ ſupervenerit, ſignum eſt *rupturæ* vel ſolutionis continui venulæ in renibus vel jocinore. (233) Ubi in melancholia, febri quartana, ſpleniſque obſtructione, urinam albam vel ſimilem inſequitur urina vel veneta, vel livida, vel nigra, ſolutionem dictorum affectuum prænunciat. Sin vero in febribus mediocribus in diebus non criticis apparuerint ejuſmodi urinæ, fueritque valida virtus, mortem minantur. (234) Urina flaveſcens, turbida, confuſa, jumentorum ſimilis, vertiginem & affectus hyſtericos prodit. (235) Quæ crocina cum ſubſidentiis rubris vel furfuri

(227) Rhaſis capite paulo ante citato & Conſtantinus Afric. de Urin. Cap. VII.

(228) Hoffmannus Fund. Med. Semiotic. Cap. I.

(229) Alter de Dinamid. Cap. CCCXIII.

(230) Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. LXXXVII.

(231) Actuarius de Prævid. ex Urin. Libr. I. Cap. VIII.

(232) Rhaſis loco citato.

(233) Arnoldus de Vill. Nov. Pract. Libr. IV. Cap. XII.

(234) Actuarius Libr. cit. Cap. X.

(235) Waldſchmidius Inſtit. Med. Libr. III. Cap. II. de Dinam. Cap. CCCXXXIV. ſcriptum eſt, Urinam jumentorum ſimilem vulvæ affectus & febrem ſignificare.

ſuri ſimilibus, indicat icterum. (236) Eadem, ubi turbida, & nubeculæ in ſynocho adfuerint, prodit morbi longitudinem: (237) Urina rufa, i. e. auro colore ſimilis, denotat vitium lienis & hepatis. (238) Rufa & pinguis in pleuritide mortem. Rufa & pauca itidem in hydrope mortem portendit; neque bona eſt rufa in nephritide. (239) Item Rufa ſeu rubicundula in juvenibus monſtrat, eos vel rebus acrioribus uſos fuiſſe, vel nimium exercitationibus indulſiſſe. Idem indicat flammeola in muliere inque ſene. Dictæ urinæ nonnunquam præſentiam febris indicant. Verum flammeola, vel ſubflava in adoleſcentibus ſanitati congrua eſt. Urina pallida vel pallidula, ubi in febre (quod tamen raro uſu venit) adſit, ſignificat febrem imbecillam, ac facile ſolvendam: ſin autem iſtiuſmodi febrem ardentem ſubſequatur, itidem prodit febrem brevi finiri. (240) Subcitrina urina cum ſpuma crocina morbi regii indicium eſt. (241) De cætero pallida & tenuis eſt index morbi diuturni. (242) Pallida, in qua quod ſubſidet, tenax mucoſumque eſt, plerumque veſicæ calculum indicat. Rubra, in qua, quod ſubſidet, lateri rubro trito eſt ſimile, prodit morbos diuturnos, ut ſcorbutum, & futuram atrophiam, hydropem &c.

(236) Boerhave Inſtit. Med. §. 784.

(237) De Dinamid. Cap. cccviii.

(238) Arnoldus de Vill. Nov. loc. cit.

(239) De Dinamid. Cap. cccxvi. & cccxxiii.

(240) Actuarius Libr. cit. Cap. v. & iv. & iii.

(241) Arnoldus loc. cit.

(242) Waldſchmidius loc. cit. §. 9.

&c. (243) Et rubra ſine febre notat ſcorbutum. (244) Rubra & nebuloſa prænunciat dolores arthriticorum poſt paulo finiri. (245) Rubicundiſſima peſtifera eſt in paſſione Iliaca. Ubi talis inſimul turbida eſt, ſignificat pleuritidem, phrenitim, anginam &c. inflammationes: ſi craſſior iſta præſente hypoſtaſi alba & aliis bonis ſignis, ſalutis prænuncia eſt. (246) Rubicunda ſeu ſanguinea cum dolore capitis & hypochondrii dextri, mortem ſubitaneam minatur. Rubicunda cum nebulis variis, periculum portendit. Sanguinea in hepaticis, mortem: ſanguinea & tenuis in Iſchiadicis, doloris concitationem: eadem & plurimos dolores in arthriticis futuros, prænunciat. (247) Si urinæ rubicundæ non admodum claræ ſupernat ſpuma citrina, hæc aurigonis ſignum eſt. Urina rutila, alias flammea, calorem corporis eſſe adauctum, vel inflammationem ſignificat. (248) Urina ſubrubra & rubra in ſenibus peſſima eſt; in junioribus, qui vegetæ ætatis ſunt, oſtendit, ſanguineum humorem eſſe exauctum. Vinea pejoris notæ, quam modo dicta rubra. (249) Eadem in nephritide denotat dolores indies increbreſcere. (250) Vinea quoque malum ſignificat in acutis.

(243) Boerhave loc. cit. §. 793. & 781.

(244) Hofmannus loco citato.

(245) De Dinamid. Cap. CCCXXXI.

(246) Conſtantinus Africanus Libr. de Urin. Cap. VI.

(247) Alter de Dinamid. Cap. CCCVIII. CCCXVII. CCCXX. CCCXXX.

(248) Rhaſis loc. cit.

(249) Actuarius Libr. cit. Cap. VI. VII.

(250) De Dinamid. Cap. CCCXXVI.

tis. (251) Vinea cum ſubſtantia ſpiſſa & livore manifeſto, abſceſſum hepatis ſignificat. (252) Urina praſina vel viridis mali ominis eſt: attamen ſi facultas vitalis etiamnunc valida, ſi viridem alius coloris urina ſubſequitur, bene de ægroto ſperamus. (253) Urina viridis die critico immutata mortem minatur. Ubi in album mutetur, vel aquæ ſimilis evadat, typicum morbum ſignificat venturum. Urina colore ærugini ſimilis aliquando ſtranguriam, interdum ſpaſmum, prænunciat. (254) Urina viridis in pueris convulſionis prænuncia eſt. (255) Ex urina viridante Medicus conjectat colicam, cardialgiam alvique obſtructionem. (256)

Prædictiones ex urina ſpiſſa plurifariam colorata.

§. 30. De tenui urina hæc hactenus: jam de ſpiſſa mentionem faciam. Turbidæ urinæ tria genera dari ſtatuit Galenus. (257) Eſſe enim urinam turbidam mictam, quam paulo poſt reſidere ac inclareſcere: eſſe aliam, quam turbidam, ceu ab initio erat, permanere: eſſe denique aliam, quæ pellucida micta poſt paulo turbatur. Hanc pravam, iſtam mediam, & illam bonam eſſe. Ad genus urinæ craſſæ refertur urina purulenta; hæc ſignificat cum urina pus permiſtum eſſe. (258) Unde autem iſtud pus pro-

(251) Arnoldus loc. cit.
(252) Gordonius de Urin. Cap. XXIII.
(253) Actuarius Libr. cit. Cap. IX.
(254) De Dinamidiis Cap. CCCVIII.
(255) Avicenna Libr. I. Fen. II. Doctr. III. Cap. II.
(256) Waldſchmidius loc. cit.
(257) Libr. I. Cap. XII. de Criſib.
(258) Galenus Comm. III. §. 20. in Prorrhet. Hippocr. & de tot. morb. temp. Cap. V.

proveniat, his notis diſtinguitur. Scilicet pus ſine urina excretum vel e veſica vel ex urethra venit; ubi id exacte cum urina mixtum, a ſupernis partibus ducitur; ſin vero id obiter mixtum, e renibus fertur. (259) Urina craſſa in febre tenuem & limpidam inſequens, declinationem morbi ſignificat. (260) Urina craſſa, quæ ante judicationem limpida evenit, malum. (261) Urina ſpiſſa, ut quaſi ſcindi poſſit, in cardiaca paralyſin minatur. Urina ſpiſſa genituræ ſimilis in nephriticis mortem prænunciat. Alba ſpiſſa ſine capitis dolore bonum in ephemera: ubi talis ab initio morbi fertur, convulſionem portendit. Alba ſpiſſa copioſe micta ſalutem hepaticis promittit. (262) Urina alba craſſa in febre lenta vel morbo longo diuturnitatem mali oſtendit. (263) Ubi urina craſſa lactea per plures dies fertur, veſicæ, aut renum calculum indicat. (264) Urina nigra, turbida, quæ quaſi capillacea videtur, habetque aliquid raſæ rei ſimile, in hepaticis mortiferum eſt. (265) Nigra craſſa cum ſudore capitis, colli & dorſi, ſpirandique difficultate in febribus acutis, mala eſt. Talis cum fœtore in acutis proveniens, veſica non laborante, mortis prænuncia eſt. Eadem quoque in febribus nervorum diſtentionem

(259) Idem de locis affect. Cap. IV.
(260) Actuarius Libr. cit. Cap. IV.
(261) Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. LXXXIII.
(262) Alter de Dinamid. Cap. CCCXV. CCCXXVI. CCCVII. CCCXX.
(263) Conſtantinus Afer de Urin. Cap. III.
(264) Theophilus Cap. VII.
(265) De Dinamid. Cap. CCCXX.

nem ſignificat. Lotium craſſum colore χαροπὸν, Latini ravum appellant, ſi neutiquam perturbetur, declarat corpus peſſime affectum: ſin vero ejuſmodi turbulentum, quale jumentorum eſt, redditur, capitis dolorem vel adeſſe, vel brevi adventurum, oſtendit. Lividum & craſſum in febribus ardentibus poſt intenſos capitis dolores mictum, ſignificat criſin morbi propediem inſtare. Craſſum & venetum, ubi jugiter fertur, morbum regium minatur. Craſſum & viride, ubi in febre ſine ſubſidentiis fuerit, delirium portendit: ſubinde etiam urinæ ſtillicidium in febre ardente ſignificat. (266) Idem craſſum & viride in febribus acutis ſpaſmum vel delirium: in febre lenta autem, tabem prænunciat. Urina, quæ craſſa & rubra & multa cum copioſis ſubſidentiis in febre acuta fertur, ſalutaris eſt. (267) Eadem, ubi in febribus ſine hypoſtaſi redditur, & inſuper adfuerit ſurditas & capitis, & colli, hypochondriorumque dolores; morbum regium ante ſeptimum diem affore, ſignificat. Ejuſdemmodi urina paulatim micta, periculum minitatur. Urina ſubrubra craſſa, cum ejuſdemmodi hypoſtaſi, oſtendit morbos diutur-

(266) Theophilus Cap. VIII. Hæc secundum editionem Guidotii. Verſio Theophili, quam adornavit Albanus Torinus, quæque extat apud Medicæ artis principes ab Henrico Stephano in lucem editos, in plurimis locis variat. v. g. Quæ hic urinæ colore venetæ, ille tribuit vineæ: eadem ratio eſt viridis, quam hic ſcribit aurigonem minari, at ille hoc dixit de veneta. Guidotius viridem &c. urinam delirium portendere: Torinus adſcribit id ipſum urinæ lurido colore.

(267) Conſtantinus Afer Libr. cit. Cap. VIII. & VI.

turnos, medicabiles tamen. (268) Urina ſubrubra craſſa, præſertim ſi valde ſpumoſa, index eſt ſcorbuti, phthiſis. (269) Urina roſea & craſſa & pauca in hydrope mortem brevi affore prænunciat. (270) Roſea & obſcura in febribus phrenitim portendit. (271) Urina vinea craſſa in ſanis nimias corporis exercitationes præceſſiſſe: hæc autem ſenioribus ſuperveniens, declarat veſicam a malis liberatam. (272) Sanguinem purum in acutis mejere, peſtiferum eſt. (273) Urina rufa & ſpiſſa, ubi multa in Ictericis excernitur, ſalutaris eſt. (274) Urina pallida & ſpiſſa in febribus acutis lethargum; ubi ſine febre talis exit, leucophlegmatiam portendit. (275) Si Urina pinguis redditur, mortiferum eſt: ſine febre autem talis micta ſenioribus apoplexiam minatur. (276) Si ea oleo ſimilis, vel ſi ejus ſubſidentia talem faciem præ ſe ferunt, malo utraque ſunt. (277)

§. 31. Pervenimus tandem ad urinæ contenta. Horum Gordonius (278) viginti ſpecies enumerat. Præcipuas narratione delibabo: quippe in quæſtione verſatur, num ſingulæ id ſignificent, quod ab auctoribus, di- *Prædictiones ex urinæ contentis.*

(268) Theophilus Cap. VIII.
(269) Waldſchmidius loco cit.
(270) Conſtantinus Afer Cap. VI.
(271) De Dinamid. Cap. CCCXXXIV.
(272) Theophilus loc. cit.
(273) Avicenna Libr. IV. Tract. I. Fen. II. Cap. LXXXVI.
(274) De Dinamid. Cap. CCCXXII.
(275) Arnoldus de Vill. Nov. Cap. XII. Libr. IV. Praxeos.
(276) De Dinamid. Cap. CCCVIII.
(277) Avicenna Libr. cit. Cap. LXXXVIII.
(278) Libr. cit. Cap. XXVI.

dictorum urinæ contentorum cauſſa, memoria proditum eſt. Sed in viam. Ubi febrientis in urina appareant bullæ, quæ antehac non aderant, ſignum hoc eſt febrem finiri: verum ſi una cum febre, ſignificant capitis dolores: quod ſi illæ ſtatim evaneſcant, indicant brevi dolores etiam imminui. (279) Urina ſpumoſa, cujus bullæ diutius perſiſtunt, indicat pectoris vel capitis morbum & flatuum copiam. (280) Nubeculæ candidæ ſpumoſæque in febribus plerumque malum portendunt. (281) Enæorema nigrum, ubi ad fundum deſcendit, indicat morbum ad ſummam pravitatem perveniſſe. (282) In initio & augmento febrium acutarum ſi urina caret hypoſtaſi, malum eſt. (283) Urina, in qua quod ſubſidet, ſi album & viſcidum eſt, calculum indicat, quin & vermes in infantibus. (284) Si album viſcidum coagulum eſt, vitiatam ventriculi digeſtionem; ſi album ſabulo albicanti ſimile, menſium obſtructionem: ſi rubrum farinæ ſimile, ſcorbutum lymphamque depravatam. Si videtur arenula rubra acuta micans urinæ innare, affectum hypochondriacum, atrophiam &c. & ſi urina inſuper valde colorata, tabem indicat. Si id, quod ſubſidet, arenoſum ac ſolidum eſt, ne-

(279) Actuarius Libr. cit. Cap. XVI.

(280) Waldſchmidius loc. cit.

(281) Theophilus Libr. cit. Cap. XIII.

(282) Actuarius Libr. cit. Cap. XV.

(283) Idem de Præv. ex Urin. Libr. II. Cap. I.

(284) Hoffmannus Fund. Med. Semiot. Cap. I. §. 48.

nephritidem & calculum renum. (285) Si glaucum, citrinum, vel viride eſt, malum quodlibet eſt, at peſſimum ubi nigrum eſt. (286) Si lividum limi inſtar, cruditatem & mortem in pleuritide denunciat. (287) Periculum itidem livida ſubſidentia minitantur in febribus acutis. Viridia, ſignificant calorem plurimum & malum corporis habitum: ſubrubra, cruditatem: rubra, ſi moderata fuerint, ægrum in tuto eſſe. (288) Si id, quod ſubſidet, diſcerptum, floccorum inſtar per ambitum liquoris diſperſum eſt, prodit id catarrhos & morbos ex lymphæ vitio oriundos. Si craſſum, & quaſi ex plurimis filis conſtaret, gonorrhoeam, in fœminis vero fluorem album. (289) Aliquando etiam cum urina pili excernuntur, velut in trichiaſi uſu venit. Galenus, auctor idoneus, monumentis prodidit (290) aliquem tales longitudine dimidii cubiti minxiſſe, quod ei accidiſſe ob nimium eſum caſei teneri, lomenti, & fabæ, quibus toto fere anno, antequam tali affectui obnoxius eſſet, veſcebatur. Plura de urinæ judicio, & ex ea prædictione, non modo e citatis, ſed ex aliis ſexcentis auctoribus proferre, ſupervacuum duxi. Me namque piget relationis nugalium theorematum, quæ a compluribus fabulatoribus Medicinæ immixta ſunt. Præ-

Ci-

(285) Waldſchmidius loc. cit.
(286) Rhaſis loc. cit.
(287) De Dinamid. Cap. CCCXVI.
(288) Theophilus Libr. cit. Cap. XIV.
(289) Waldſchmidius loc. cit.
(290) In aphor. LXXVI. Sect. IV. Hippocratis.

cipua enim, quæ ad Clinicem pertinere videbantur, ſelegi, omiſſis eis, quæ vel curioſitatem, vel ſubtilitatem, vel inanes quæſtiones præ ſe ferrent.

Quænam animus præſagire poſſit ex ſudore.

§. 32. Inter excrementa ſudori etiam locus eſt. Ex hujus obſervatione Medici varia ad prognoſin morborum pertinentia invenerunt. Hippocrates, tanquam enuntiatum habet, (291) quod, qua corporis parte ſudor eſt, ibi morbus ſit. Scilicet, non tribuit hoc ſudori, qui toto manat corpore, quique æqualis eſt; ſed qui ſingularem corporis partem occupat. Exoriri ſudorem ſtatuit, (292) vel ex corporis diſſolutione, vel ex inflammationis vehementia: & virtutem ei eſſe, dum corpus humore deſtituatur, id ipſum exſiccandi, attenuandique. (293) Aliqui de Veteribus (294) perſuaſiſſimum habebant, ſe poſſe ex colore ſudoris de cauſſa, morbum efficiente, judicare; v. g. ubi flavus fuerit, bilem flavam in cauſſa eſſe. Reliquorum colorum & humorum eadem conditio eſt. Advertebant etiam ſaporem & odorem ſudoris: qui ſi vel acidus, vel ſalſus, vel inſipidus, vel male olens &c. fuerit, talem indicare putabant conſtitutionem humoris abundantis, morbum efficientis. Sed horum conſiderationem omittam: aliena quippe a noſtro propoſito ſunt.

Sudor qui bonus, qui malus.

§. 33. Pro ſudore optimo habet Hippocra-

(291) Sect. IV. aphor. XXXVIII.
(292) Libro Prænotion.
(293) De Vict. Rat. Libr. II.
(294) Ut Avicenna Libr. IV. Fen. II. Cap. LXX. & Cantic. Part. I. §. 338. & Conſtantinus Afric. locor. comm. Libr. VII. Cap. XVIII.

crates (295) eum, qui diebus criticis contingit, quique ægrotum a febre penitus liberat. Bonum etiam eſſe, qui toto manat corpore; ac efficit, ut æger morbum facilius ferre videatur. At qui nihil tale præſtat, eum inutilem eſſe. Prodeſſe etiam ſudorem, qui ſenſim exudat: nocere autem, qui confertim effunditur. (296) Sudare in ſomno quoque ex uſu eſſe pallidis, gracilibus, ſalivoſiſque. (297) Quin etiam ſudor nocturnus a cœna juſto largiori, bonus eſt. (298) Verum ſi corpus dormientis circa partes aliquas contra conſuetudinem inſudat, maximeque circa pectus; aut cervices, aut crura, vel genua, vel coxas, id futuræ valetudinis adverſæ ſignum eſt. (299) Cæterum is ſudor morbos judicat, qui febricitanti die quinto, VII. IX. XI. XIV. XXI. & XXX. uſu venit. Qui vero tali pacto non procedit, hunc Hippocrates ſtatuit (300) laborem & longitudinem morbi, & reverſionem porten-

(295) Libro Prænotion. & Libro de Judicationib. & Coac. Prænot. §. 572. Et Celſus Libr. II. Cap. III. ſanitatem polliceri, ſcribit, corpus, quod æqualiter inſudat, & cujus febricula eo die finitur. Et Cæl. Aurelianus acut. morb. Libr. II. Cap. XXVI. ſudorem, putat, bonum eſſe, qui calidus, tenuis, non male redolet; at pernicioſum, qui frigidus, viſcidus, fœtidus, loturæque carnis ſimilis. Avicenna Cantic. Part. I. ſcribit ſudorem, qui e toto corpore manat, bonum: aſt qui e parte aliqua, malum eſſe. Et, quod ad ejus affectum attinet, ſcribit Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. LXV. ſudorem eſſe bonam criſin in morbis acutis, *phlegmaticis*, & ſuppuratione.

(296) Coac. Prænot. §. 360.

(297) Ibidem §. 271.

(298) Waldſchmidius Inſtit. Medic. Libr. III. Cap. VII.

(299) Celſus Libr. II. Cap. II.

(300) Libro de Judicationibus & Sect. IV. aphor. XXXVI. Nota in hoc aphoriſmo dies aliter ac iſtic loci, numerantur, ut 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. 31. 34.

tendere. Ita etiam ſudorem vehementem, velocem, in die critico oborientem, periculoſum eſſe: item eum, qui expellitur ex fronte, guttarum & aquæ ſalientis inſtar, & qui oppido frigidus, & multus, periculum ægroto injicere. (301) Peſſimum eſſe frigidum, qui tantummodo circa caput, faciem, & cervicem, exoritur. Hunc enim in acuta febre mortem, in mitiore autem morbo, ejus diuturnitatem prænunciare. Pravum etiam eſſe, qui formam milii refert, quique circa cervicem ſolum effunditur: ex adverſo bonum, qui guttatim & cum exhalatione fit. (302) Hæc de ſudoribus univerſe, ſigillatim nunc de iis ſcribam.

Prognoſtica ſudoris.

§. 34. Multum ſudorem in febribus exſpectare jubet Hippocrates, (303) ubi æſtas veri fuerit ſimilis: alio loco tamen ſcriptum eſt, ſudorem in febribus acutis multum ac copioſum, damnoſum eſſe. (304) Quinimo ſudorem febricitanti ſupervenientem, febre haud remittente, malum eſſe: ſignificat enim

(301) Aphoriſm. IV. Sect. VIII.

(302) Idem Libr. Prænot. & de Judicationib. & Coac. Prænot. §. 573. Celſus Libr. II. Cap. VI. ſcribit ſudorem quoque frigidum in acuta febre peſtiferum eſſe. Et Cap. V. inter longi morbi ſigna refert. *Ubi frigidus ſudor inter febres non acutas circa caput tantum & cervices oritur, aut ubi febre jam quieſcente corpus inſudat.*

(303) Aphor. VI. Sect, III.

(304) Prorrhetic. Libr. I. §. 58. Galenus ſic proferri placitum exiſtimat. Sudor multus, qui febrem non ſolvit, febrienti damno eſſe. Et Coac. Prænot. §. 574. ſudor una cum febre, acuto morbo urgente, malus. Celſus Libr. II. Cap. IV. inter mala ſigna refert multum ſudare, maximeque frigido ſudore, aut habere ſudores non per totum corpus æquales, quique febres non finiant.

nim morbum prolongari, ac humorum in corpore multitudinem. In ſano, ubi ingens ſudor effunditur, portendere morbum, æſtate minorem, frigore autem majorem. (305) Sudare multum a ſomno citra cauſſam manifeſtam, prodere id, corpus uberiori alimento uti. Sin vero cibum non capienti id uſu veniat, ſignum eſſe, exinanitione corpus indigere. (306) Sudorem multum frigidum aut calidum ſemper manantem ſignificare, ubi frigidus eſt, majorem; ubi calidus, minorem morbum. (307) Copioſus ſudor cum repentina virium impotentia, ex diuturno ventris affectu, vel in vomentibus, bilioſis, vel cibum faſtidientibus, ortus, lethalis eſt. (308) Copioſus ſudor phthiſicis damno eſt. (309) Variolarum in principio ubi ſudores multos ægrotans habet, & ejus vires derepente proſtratæ ſunt, mortem ſignificat. (310) Quid? quod omnes ſudor ſubitus in morbi principio malum portendit; præſertim vero ſi quando eum inſequitur horror. (311) Si modicus ſudor in morbo aliquo adeſt, ſignificat is pororum cu-

(305) Aphoriſm. LVI. Sect. IV. & Libro de Judicat.

(306) Aphoriſm. XLI. Sect. IV.

(307) Ibidem aphor. XLII. Verum Sect. VII. §. 61. perhibetur ejuſmodi ſudorem ſignificare humidi redundantiam, quod in robuſto per ſuperiora; in debili vero, per inferiora loca educendum.

(308) Coacar. Prænot. §. 618.

(309) Conſtantinus Afer, loc. comm. Libr. X. Cap. X. & Haly Theoric. Libr. X. Cap. X. Utriuſque auctoris ſcripta mire inter ſe conſentiunt, quare mihi videtur poſterior prioris ſcripta compilaſſe. Ajunt enim illum anno 1080., at hunc, Haly Abas puta, anno 1122. inclytum in Medicina fuiſſe.

(310) Waldſchmidius loco citat.

(311) Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. LXXI.

cutis obſtructionem, & humores ſpiſſos, & inteſtinorum lævitatem. (312) Ubi modicus ſudor circa frontem eſt, & pulſus debilitas, malum portendit; ſin vero pulſare arteriæ ceſſant, mors in propinquo eſt. (313) Qui circa initia morbi tenues ſudores habent, redduntque urinam concoctam cum magna univerſi corporis æſtuatione, ſi præter rationem perfrigeſcunt, ac celeriter rurſus incaleſcunt, & torpore, ſopore aut ſpaſmo conflictantur, hi male ſe habent. (314) Qui in febribus tenuiter inſudant, torquentur capitis dolore, habentque alvum ſuppreſſam, hi ad nervorum diſtentionem proni ſunt. (315) In morbo acuto, quorum caput ſudor tenuis milii inſtar potiſſimum occupat, præſente anxietudine jactationeve corporis, malum eſt: præcipue vero ægros tum demum in diſcrimen vitæ venire, obſervatum nonnunquam eſt, ſi ante dicta cum urina nigra evenerint, & præterea adfuerit ſpiritus magnus & concitatus. (316) Qui in morbis ancipitibus tenues ſudores habent, atque corporis anxietatem, male ii ſe habent. (317) Qui in febre non intermittente tenuiter & cre-

(312) Idem Cantic. Part. I. §. 337.

(313) Idem Libro & capite paulo ante citato.

(314) Hippocrates Prorrhet. Libr. I. §. 102.

(315) Ibidem §. 115. & Coac. Prænot. §. 154. 177. Paragrapho XLII. ſcriptum eſt, *in febre tenuiter exudantes, maligne habent.* Verum magis amplum eſt placitum §. 74. Prorrhet. I. prolatum. Nempe, *febres, quæ ſoporem laſſitudinemve inducunt, aut in quibus caligant ægri, inſomnia ac tenuibus ſudoribus vexantur, malignæ ſunt.*

(316) Coac. Prænot. §. 49. & Prorrhet. §. 39.

(317) Coac. Prænot. §. 53. & §. 13. *Qui ſubinde inhorreſcunt, & ſæpe tenui ſudore corripiuntur, difficili morbo laborant.*

crebro inſudant cum hypochondrii diſtenſione, horum res plerumque eſt difficili loco; ſed multo deteriore conditione ſunt, ſi ipſis dolores ad jugulum & *acromium* ſe obfirmarint. (318) Qui crebro tenuiter ſudant, ac interdum rigent, ii male ſe habent, & tandem ſub mortem ſuppurati, cum alvo turbata deprehenduntur. (319) Qui tenues habent partium ſuperiorum ſudores, & febricitant, & corporis anxietate & phrenitide vexantur, his præceps periculum denunciandum eſt. (320) Qui cum tenui ſudore & inſomnia crebro exardeſcunt, ii male ſe habent. (321) In quibus ſudor calidus oritur, hos æſtimat Hippocrates; (322) ocyus periculis defuncturos, quam eos, qui frigidos ſudores habent: hos enim diuturnis morbis plerumque conflictari, malo, quod in corpore remanet, invaleſcente. Quid? quod & ſudorum frigidorum non eadem ratio eſt. Namque tales cum oriantur in febre acuta, exitium minantur: ubi vero in mitiore, mor-

(318) Ibidem §. 32. N. Ἀκρώμιον ſecundum Gorræum eſt omoplatæ in ſuperiori ejus fine in rectum tendens ἀπόφυσις, per quam ſcapula ipſa claviculæ copulatur: Galenus de Oſſ. Cap. XIV. ſcribit aliquos *acromion* appellare, ubi ſcapula cum jugulo connectitur: alios exiſtimare in hominibus inſuper dari os quoddam, quæ tria tunc efficere iſtud *acromion* & de uſu part. Libr. XIII. Cap. X. & Comm. in Libr. Hipp. de artic. §. 2. Summum humerum, qui ex juguli conjunctione oritur, appellari ἀκρώμιον. Et Rufus Epheſ. de appel. Part. Libr. I. Cap. IX. Acromion, ſcribit, juguli ſcapularumque oſſis copulam eſſe.

(319) Ibidem §. 10.

(320) Ibidem §. 69. Aliter ſcriptum eſt Prorrhet. Libr. I. §. 27. Corporis jactationes & anxietudines in febre cum refrigeratione, & ſuperiorum partium tenui ſudore phrenitim denunciant, atque etiam perniciem.

(321) Coac. Prænot. §. 41. & Prorrhet. §. 68.

(322) De morbis Libr. II.

morbi longitudinem ſignificant. (323) In primis is frigidus ſudor in febre ardente malus exitiabilitve eſt, qui propter collum atque caput oritur. (324) Neque ſunt iſti ſudores frigidi & glutinoſi negligendi, qui nec e toto corpore manant, nec turmatim & velut in grumum globati; ſed exiguorum milii granorum inſtar erumpunt, quique morbum non levant, ſed potius exacerbant. Significant enim morbi longitudinem, partium dolores & obſtructiones; humorum copiam & cruditatem, interdum etiam mortem. Præſertim vero glutinoſi indicant cruditatem, humorumque lentorem: qui milii formam præ ſe ferunt; meatuum anguſtiam; vitaliſque facultatis debilitatem: & qui morbos exaſperant, oſtendunt haud mediocrem vigentis humoris multitudinem. (325) Sudor fœtidus axillarum prænuncius lepræ eſt. (326) In morbo acuto ſudores fœtidi peſſimæ notæ habentur. (327) Referam hoc loco vaporem calidum per cutem exhalantem, quem, ſi nares prius ſpiritum frigidum emiſerint, in

(323) Coac. Prænot. §. 573. aphor. XXXVII. Sect. IV. Libro de Judicationib. eadem extant. Sed paulo poſt ſubjunxit alia, quorum ſenſus magis univerſalis. Ut *Febricitanti ſudores frigidi contingentes, febrem longam denunciant*, Omiſit diſtinctionem febris acutæ a mitiore, cujus paulo ante meminit, Celſus Libr. II. Cap. VI. memorat etiam ſudorem frigidum in acuta febre peſtiferum eſſe.

(324) Avicenna loco ſupra citato. Cap. LXXI.

(325) Actuarius Method. Medend. Libr. I. Cap. XXIII.

(326) Ut habetur Libro, titulo ſecretorum Hippocratis ſuperbiente.

(327) A Riverio Inſtit. Med. Libr. III. Sect. III. Cap. II. Et Waldſchmidius loc. cit. ſudorem fœtidum obſervavit mortiferum in febre caſtrenſi.

in ſignis mortiferis adnumerat Hippocrates. (328)

Sputum quid.

§. 35. Devenimus ad prædictiones ex ſputo. Id a Medico obſervandum, jubet Hippocrates, num hoc æger excreatione, an tuſſi, an vomitu ex ore rejiciat. (329) Ex quo loco colligitur, ut obiter moneam, fuſiorem Hippocratem vocabulo ſputi tribuiſſe ſignificationem, quam Gorræum, & alios, (330) qui ſcripſerunt ſputum eſſe excrementum tuſſiendo vacuatum: Poſt hæc eos errare, qui ſalivam & ſputum habent pro re eadem, hiſque vocabulis promiſcue utuntur, proinde quaſi utraque idem ſignificarent: cum tamen qua forma, qua loco, unde quodlibet provenit, inter ſe diverſa ſint. Galenus (331) differentiam in vocabulis ſputo & expuitione ponit, quod coctum excernitur, i. e. quod album, & lene, & æquale, quod nec nimis humidum nec nimis craſſum eſt, (332) vocat ſputum: expuitiones vero, quod ſanguineum ac bilioſum, ſpumoſumque; aut plurifariam coloratum eſt. Nonnunquam Medici vocabulum ſcreationis duplici modo interpretantur, perque eam vel ſputum, vel ipſum ſpuendi actum, ſignificant.

§. 36.

(328) De Morb. Vulgat. Libr. VI. Sect. IV. §. 27.

(329) Ibidem Sect. VIII. §. 24.

(330) In Definit. Medic. in voce πτύσμα. Et Duretus in Coac. Hipp. Cap. XVI. §. 13. ſcribit ſputum eſſe illud excrementum, quod e pulmonibus & thorace tuſſiendo per os excluditur, quod proprie dici poſſe expectoratum. Et Proſper Alpin de præſ. vit. &c. Libr. VII. Cap. XVI.

(331) Libr. I. Cap. V. de Criſibus.

(332) Idem in aphor. XII. Sect. I. Hippocr.

Sputi prognoſtica in lateris pulmoniſque affectibus.

§. 36. Quod ad prædictiones ex ſputo attinet, Hippocrates ſummam rei dixit. (333) Scilicet in ſingulis pulmonis laterumque doloribus ex uſu eſſe, ſputum celeriter promtpteque expui, & cum ipſo flavum valde permixtum eſſe. Deterius autem eſſe, ubi id multo poſt doloris initium, aut flavum aut fulvum fuerit, aut multam tuſſim exci-tet, neque valde permiſtum expuatur. Namque flavum, ſi ſincerum fuerit, periculum minitari: album vero, ſi viſcidum & rotundum, inutile eſſe. Malum quoque eſſe, ubi valde viride, aut pallidum & ſpumoſum. Dictis pejus eſſe, ſi adeo ſincerum fuerit, ut etiam nigrum appareat. Et paulo poſt. Salutare eſſe in pulmonum inflammationibus, ſi ab initio morbi ſputum flavum non multo permixtum ſanguine excernatur. Malum eſſe, ubi nullum ex pulmone reddatur, ſed propter multitudinem in gutture ferveat. Alibi (334) eadem repetuntur, ſed periodo;

(333) Libro Prænotion.

(334) Coac. Prænot. §. 390. & Libr. IV. §. 10. de morb. vulg. ſputa pulmonum inflammatione laborantibus interdum biliosa, brevi ceſſaturum morbum, quæ valde flava, brevem fore, indicant. Si qualia ſunt per initia, talia tandem ſe oſtendant, ea non admodum concoqui exiſtimare oportet, ſed judicationem facere. Et Celſus Libr. II. Cap. VIII. *In pulmonis morbo ſi ſputo ipſe levatur dolor, quamvis id purulentum eſt, tamen æger facile ſpirat, facile excreat, morbum ipſum non difficulter fert; poteſt ei ſecunda valetudo contingere. Neque inter initia terreri convenit, ſi protinus ſputum miſtum eſt, rufo quodam & ſanguine; dummodo ſtatim edatur.* Galenus in aphor. XII. Sect. I. ſcribit, ſputum oportet in omnibus pulmonis lateriſque doloribus celeriter ac facile expui &c. Quod ſi expuatur tenue, debilis coctionis ſignum eſſe. Quod ſi nondum mixtum vel flavum, vel rufum fuerit, id haudquaquam bonum eſſe: pernicioſiſſimum eſſe, ubi lividum, aut ærugini ſimile, aut nigrum fuerit. Et Cap. XVIII. Libr. I. de Criſib. Ubi de morbi temporibus

do, ubi agitur de ſalubritate flavi ſputi cum modico ſanguine mixti, ſubjungitur, ſi tale ſeptimo die aut longiore ſpatio appareat, non adeo tutum eſſe. Iſtud etiam perniciem minitari, quod ſanguineum, aut quod ſtatim ab initio lividum eſt. Conditione meliore ſunt, quorum ſputum mucoſum & fuliginoſum, cito coloratum. Sputa vero, quæ intra quintum diem concoquuntur ac colorantur, adhuc melioris notæ eſſe. Ex lateris affectibus pleuritim ſiccam, in qua utpote nihil excreatur, graviſſimam eſſe, atque in hac timere oportere dolores ad ſuperiora tendentes. (335) Neque vero eam periculo carere, in qua circa initia in totum purulentæ contingunt excreationes: ægrum enim ſæpe tertio aut quinto die mori. Quibus ſi ſuperſtes fuerit, nec longe melius, quam antehac, ſe habuerit, eum VII. IX. vel undecimo ſuppurationem (empyema) nacturum. (336) Nec ſine periculo in pleuritide eſſe, ſputa purulenta, aliquantulum bilioſa,

ribus agit, ſcribit, Nihil omnino expuere, ſed tuſſim tantummodo ſiccam habere, id inter initia morbi fieri: ſi æger inceperit liquida ac cruda excreare, contingere etiam id principio morbi nondum finito: ſi pauca cocta, morbum in augmento eſſe. Sin vero exquiſite cocta fuerint, & multa, & ſine difficultate excreentur, morbum eſſe in ſtatu: tandem ſi hujuſmodi imminuantur, & dolor prorſus abfuerit, morbi declinationem adeſſe. Ejuſdem generis notas tradit Ægineta Libr. II. Cap. XV. Oribaſius Synopſ. Libr. VI. Cap. II. Ætius Tetr. II. Serm. I. Cap. LII. Actuarius Meth. Med. Libr. I. Cap. XVII. Rhaſis ad Manſor. Libr. X. Cap. XXIV. Avicenna Cantic. Part. I. §. 269. & ſeq. eadem habet, ſed inſuper addit ex colore dignoſci, qualis e quaternis humoribus rerum potiatur. Habent ſimilia cæteri auctores, quos inſpicere licuit.

(335) Hippocrates Coac. Prænot. §. 382.

(336) Ibidem §. 379.

lioſa, rotunda, aut purulenta quodammodo cruenta, expuiſſe. Mortifera autem eſſe nigra, fuliginoſa, aut quæ vino nigro ſimilia. (337) Melioris autem notæ eſſe, ſi æger ſputum, quadantenus craſſum expuere cœperit, tum præcipue illum purgari. (338) Tale ſputum, quod maturum vel coctum alias appellatur, ubi æger tertio die excreare inceperit, efficere celeriorem morbi ſolutionem: tardiorem vero ubi ſerius. (339) Sputi autem in pulmone copiam prodere dolores circa ventrem ac claviculam, & ſi æger cum jugi corporis jactatione aliquantulum ſtertat. (340) Et quantum ad pulmonis morbum attinet, difficiliorem eſſe affectum, in quo æger nihil excreat & cruditas

(337) Ibidem §. 407. & §. 392. *Quibus cum bilioſo purulentum ſputum, aut ſeorſum, aut ſimul permixtum educitur, ii plurimum XIV. die intereunt, niſi malum aut bonum aliquod ſignum adfuerit.* Deſumpta hæc videntur e Libro Prænot. Ubi Cous noſter tradit, ex ſuppurationibus admodum exitiales eſſe, quæ ſuppurent, dum ſputum etiamnunc bilioſum eſt: ſive id bilioſum nunc ſeorſim, ſive una cum pure excreetur. In prædictis bonis ſignis annumerat, morbum facile tolerare, bene reſpirare, dolore levari, ſputum ſine moleſtia expuere, corpus æquabiliter calidum & molle, ſine ſiti eſſe: urinam etiam & alvi excrementa, & ſomnum, & ſudores naturæ congruenter ſe habere. E contrario, ubi æger fuerit morbi impatiens, habueritque reſpirationem magnam & denſam, doloribuſque torqueatur, rejecerit ægre ſputum, intenſe ſitiverit, & corpus inæqualiter a febre detineatur; ubi alvus & latera vehementer caleant fronte, manibus & pedibus frigidis. Hæc & ſimilia inter mala ſigna refert. Similia habentur Coac. Prænot. §. 393. & §. 386. Pleuriticis ex uſu eſſe, ſi dolores leniantur, alvus emolliatur, ſputa decenter colorentur, ſi nullus in pectore ſtrepitus, ſi urina recte procedat. Et Celſus Libr. II. Cap. VI. ſcribit interitus periculum oſtendere ſputum etiam bilioſum & purulentum.

(338) Hippocrates Libr. I. de Morbis.

(339) Coac. Prænot. §. 385. & aphor. XII. Sect. I.

(340) Coac. Prænot. §. 27.

tas perſeverat: mitiorem eſſe, ubi materia cruda quidem concoquitur; verum non ſufficienter excreatur, atque adeo infirmus non penitus perpurgatur. (341) Tandem ut ſummum augurium, quod Medici ex ſputis capiunt, dicam, ſputum quodcunque dolorem non ſedat, malum ſignificat; bonum e diverſo, ſi ab illius excreatione dolor leniatur, vel prorſus tollitur. (342)

§. 37. Non modo in pulmonis laterumque, verum etiam in aliis aliarum partium affectibus, Medicis alia atque alia ſigna ſputum miniſtrat. Verbi gratia in febribus non intermittentibus excreationes lividæ, cruentæ, graveolentes, & bilioſæ ad unam omnes malæ ſunt; ſin vero pro ratione excernantur, utiles. (343) Num vero bene excernantur, manifeſtant morbi coctio, & quod æger eum toleranter fert, dein morbi ſpecies, & poſt ipſam tempus anni, regio, ætas, ægrotantis natura. (344) Ubi febricitanti cum ſudore ſputa defluentia, hæc levia & minime maligna ſunt. (345) Ex angina ægri, niſi celeriter cocta expuant, in periculo vitæ verſantur. (346) Malum itidem prænunciant in hoc affectu ſputa quodammodo arida, faucibus gracileſcentibus excrea- Item in febribus, angina &c.

(341) Galenus Comm. II. §. 67. in Progn. Hipp.

(342) Hippocr. Libro Prænot. & Coac. Prænot. §. 391.

(343) Aphor. XLVII. Sect. IV. & LXIX. Sect. VII. & Coac. Prænot. §. 242. ubi mentio fit febris ſine additione, *non intermittentis*.

(344) Hæc Galenus in dictum aphor. XLVII. Sect. IV.

(345) Hippocrates Prorrhet. Libr. I. §. 122. & Coac. Præn. §. 350. *Cum convulſionibus & ſudore febrienti defluentia ſputa, minime mala ſunt.*

(346) Coac. Prænot. §. 371.

creata. (347) Iſtiuſmodi ſputa arida, ubi crebra per tuſſim, præſente inſuper lateris dolore, exſpuuntur, perniciem minantur. Ejuſdem conditionis ſunt, quæ inter potandum tuſſi rejiciuntur, quæque difficulter devorantur. Nec melioris notæ ſunt, ſputa viſcida, craſſa, vi excreata. (348) Screatus frequens, nullo per eum exeunte ſputo, & ſi aliud quodpiam ſignum, ut turbulenta vigilia &c. ipſi præſto fuerit, phrenitim portendit. (349) Inter morbi mali teſtimonia refertur, ubi phreniticus ſputat. (350) Nigrorum vomitionis prænunciativæ ſunt crebræ in phrenitico cum algore expuitionis. (351) Rotunda ſputa, ut Hippocrates literis prodidit, (352) delirium portendunt. Malum eſt, ubi ex ſanguinis ſputo, puris ſputum; & ex puris ſputo phthiſis & fluxus. i. e. capillorum defluvium ſeu alvus fuſa, exoritur: ubi vero ſputum ſiſtitur, mors in propinquo eſt. (353) Quibus ſuppuratio in-

(347) Ibidem §. 369.

(348) Ibidem §. 378. 377.

(349) Ibidem §. 244. & Prorrhet. Libr. 1. §. 6. & Galenus in hunc locum.

(350) Prorrhet. Libr. 1. §. 12.

(351) Ibidem §. 31. & Coac. Prænot. §. 102.

(352) Libr. VI. de morb. vulg. Sect. III. §. 27. & Sect. VI. §. 21. Avicenna Cantic. Part. 1. §. 283. ſcribit, ſi febricitans ſputa rotunda excreaverit, eſſe id unum ex ſignis abſceſſum diaphragmatis indicantibus. N. Vocabulum Arabicum *Birſen*, quod hic habetur, interdum ſignificat abſceſſum capitis propter conſenſionem diaphragmatis exortum: interdum etiam pleuritidem. Et Haly Theor. Libr. X. Cap. III. Sputum in pleuritide rotundum, ſi diu ita redditur, phthiſin portendere.

(353) Sect. VII. aphor. XV. XVI. LXXVIII. A Celſo Libr. II. Cap. IV. pus expuere, vix excreare &c. inter morbi mali teſtimonia referuntur. Et Cap. VIII. ſcribit in tabe ſputum ejus, qui ſalvus futurus ſit, debere eſſe album, æquale totum, ejuſdemque coloris ſine

intrinſecus futura, hi primum ſalſum ſputum, deinceps dulcius expuunt. (354) Quin & ſputum viſcidum, ſalſugini ſimile cum raucitate, malum. (355) In quibus ſputa ſalſa, una cum tuſſi ſubſiſtunt, illorum corpus velut exanthematibus obſitum rubet: ante obitum vero exaſperatur. (356) Ubi ſputa graveolentia a purulentis moderate ſe habentibus excreantur, his recidiva eſt mortifera. (357) Ubi ab hepaticis copia ſputi cruenti, vel quadantenus putridi, vel meri bilioſi, expuitur, ſignum hoc peſtiferum eſt.

§. 38. Animus quidem mihi erat hoc capite de excrementis variis tantum referre; verum quoniam in abſceſſibus inque ſuppurationibus, quæ pus producere ſolent, convenientia quædam rerum, ut ſymptomatum ſignorumque, eſt: ea de cauſſa oportet me paululum a propoſito declinare, atque illas prius memorare, antequam puris omnimoda ſigna tractare poſſim. Sed ad rem. Abſceſſus, prout Galenus eum definivit, (358) eſt

Abſceſſus quid, & genera.

ſine pituita: &, ſi æger in ſuppurationibus nihil excreet niſi pituitam ſpumantem, periculum eſſe certum. Periculoſum eſſe in tabe ſputum mixtum purulentum: at mortiferum in hoc morbo eſſe, pus expuiſſe, deinde ex toto ſpuere deſiiſſe.

(354) Coac. Prænot. §. 403. & §. 386. ſputum in pleuritide dulceſcere in numero malorum ſignorum collocatur. N. Duretus vult ante dictam prænotionem non eſſe accipiendam, ut theorema univerſale. Quippe ſubinde ſuppurationem in pulmonibus oboriri, ſcribit, ſine prægreſſo ſputo ſalſo.

(355) Coac. Prænot. §. 413. Tale enim, ut Fœſius in ſcholiis ſubjunxit, eſt certiſſimum tabis rudimentum.

(356) Ibidem §. 243. 332.

(357) Ibidem §. 406.

(358) Ad Glaucon de arte curat. Libr. II. Cap. VII. verum Libro Finit. Medic. Cap. XVIII. hoc pacto finitur. *Abſceſſus*

eſt corporis affectus, in quo corpora, quæ antea inter ſe contingebant, nunc a ſe diſtant & ſpatium in medio habent, quod vel ſpiritum quempiam, vel humorem, vel rem ex utriſque mixtam, comprehendit. Duo abſceſſuum genera eſſe, ſtatuit; alterum fieri, cum a phlegmore humor, in parte affecta ſubſiſtens, in pus convertatur, atque id ipſum in ſinu partis colligatur: alterum autem, cum nulla præcedente inflammatione humor aliquis acris ſtatim ab initio in parte aliqua colligatur, quem deinde partes vicinas exedere, ut locum commorandi vel inter duas tunicas, vel ſub certis membranis, nanciſcatur. Et hujus tres ſpecies haberi, unam appellari ἀθέρωμα, in quo aliquid pulti ſimile peculiari tunica contineri: alteram ςεάτωμα, cujus contentum eſſe ſevo ſimile: μελικηρίδα tertiam, a favi ſimilitudine ita nominari. (359) De prioris generis abſceſſuum notis, ſignificationibus &c. ſuſcipiam impræſentiarum inſtitutionem: reliquorum in aliud tempus differam.

Præſagitiones futuri in aliqua parte abſceſſus.

§. 39. Aliquis abſceſſus eſt expectandus, ubi morbus multum ac diu in cruditate ſua perſeverat, neque malignus eſt. (360) Ex morbo itidem convaleſcenti fit ibi abſceſſus, ubi

ſceſſus eſt corporum ex inflammatione in pus tranſmutatio.

(359) Idem Method. Medend. Libr. XIV. Cap. XII. Et Celſus Libr. VII. Cap. VI. Atheromati ſubeſſe quaſi tenuem pulticulam: meliceridi liquidiorem humorem, ideoque preſſum circumfluere. Steatomati pingue quiddam, idque latiſſime patere plerumque, reſolvereque totam cutem ſuperpoſitam, ſic ut ea labet, cum in cæteris ſit aſtrictior.

(360) Idem Comm. II. §. 17. in Libr. VI. Hipp. de morb. vulg.

ubi aliquid dolet. (361) Nempe, ſi in manibus & pedibus dolores ſtatim oboriantur, contingunt tum in his abſceſſus. In febricitante etiam juxta articulos & maxillas, præcipue in vicinia doloris cujuſque, ad ſuperiorem partem fiunt abſceſſus. Sin vero morbus fuerit tardus, & deorſum tendit, infra etiam abſceſſus contingunt. His notis autem, ubi futuri ſint, deprehenduntur, ſi pedes calidi, infra: ſin frigidi, ſupra exorientur. (362) In longa febre continua, ultra vigeſimum diem durante, ex qua tamen ægro nihil periculi eſt, ubi ſine inflammatione aliqua, vel ſine ulla occaſione manifeſta dolor continuat, abſceſſus cum dolore aut tumore ad articulum aliquem, maxime vero in inferioribus locis, expectandus eſt. Evenit tamen potiſſimum, ut ocyus abſceſſus fiat in eo, qui trigeſimum ætatis annum nondum attigit. Poſthæc ſcire convenit, abſceſſum ejuſmodi magis hyeme fieri, & tardius deſinere, & minus reverti, unde venit, quam alia quavis anni tempeſtate. (363) In

(361) Hippocrates aphor. XXXII. Sect. IV.

(362) Idem Libro de Judicationib.

(363) Idem Libro Prænot. & Coac. Prænot §. 143. Ubi tamen quædam differentia annorum eſt. Nimirum abſceſſus maxime eſſe expectandos in his, qui trigeſimum annum ſuperarunt. Celſus Cap. VII. Libr. II. hoc pacto mentem Hippocratis aſſequitur. Si longæ febres ſine dolore, ſine manifeſta cauſſa remanent, in aliquam partem id malum incumbit; in junioribus tantum: in ſenioribus ex ejuſmodi morbo, quartana naſcitur. Quibus longæ febres ſunt, his abſceſſus aliqui aut articulorum dolores erunt. Et Ætius Tetr. II. Serm. I. Cap. LI. Inter ſigna quoque refert urinam tenuem & crudam nulla ſubſidentia habentem, quod ſi poſtea in aliqua inferiori corporis parte, ut in cruribus, aut juxta articulum aliquem, apparuerit aut gravitas aut diſten-

In febricitante, ubi tremor citra judicationem conquieſcit, tractu temporis abſceſſus cum dolore purulenti ad articulos naſcuntur, & adeſt inſuper veſicæ dolor. (364) Et laſſatis per febres ad articulos, præſertim vero circa maxillas, abſceſſus fiunt. (365) In morbo pulmonis, ubi aliquis febricitat, doloribus continuo torquetur, ſputum ex ratione haud excreat, alvus ejus non eſt biliosa nec liquida: urina pauca, in qua non multum ſubſidet, & adſunt reliqua ſalutis ſigna, abſceſſus expectare oportet; & hos quidem in locis inferioribus, cui circa præcordia aliquid inflammationis ſubeſt: aſt in ſuperioribus, cui præcordia mollia ſine ſenſu doloris ſunt, & difficultas ſpirandi, qua aliquandiu conflictabatur, ſine manifeſta cauſſa ceſſat. (366) Circa aures tubercula, aut circa gingivas, abſceſſus futuros denunciat moderatus capitis dolor cum inexplebili ſiti, vel ſudore febrem non ſolvente, præterquam quod alvi dejectio oboriretur. (367) Tubercula ad aures itidem futura ſunt in iis, qui ſopore, aſſiduaque corporis jactatione, &

ſtenſio, aut ardor, aut dolor ſine manifeſta cauſſa, abſceſſum iſtic loci eſſe expectandum, ſcribit.

(364) Coacar. Præn. §. 141.

(365) Aphor. XXXI. Sect. IV. Celſus Cap. VII. Libr. II. ita vertit: ſi laſſitudinis ſenſus in febre eſt, vel in maxillis, vel in articulis aliquid abſcedit. Galenus aphoriſmi ſummam hanc eſſe ſcripſit. Iis, qui quomodocunque in febribus laſſitudinem habent, ad articulos &c. Et Celſus Libr. II. Cap. VII. Si quid abſcedit, & ante quam ſuppuraret, manente adhuc corpore, inſoluta febre ſubſedit; periculum affert primum furoris, dein interitus.

(366) Hippocrates Libro Prænot. & Coac. Prænot. §. 395.

(367) Coac. Prænot. §. 173.

& præcordiorum dolore ; & modica vomitione conflictantur. Cum ſopore autem apparent antea circa faciem tumores. (368) Si loco antedictæ vomitionis memoratis accidentibus adfuerit frequens & pauca expuitio ; ejuſdemmodi tubercula portendit. (369) Eadem quoque ex ſurditate oriuntur ; in primis vero ſi anxietas quædam adeſt, aut inſuper ſopor. (370) Quæ in modum convulſionis cum alto ſtupore, catocho dicto, affligunt, ea abſceſſus pone aures excitare ſolent. (371) Moderati oboriuntur, quibus ad fauces irritamenta fiunt: (372) vel qui habent vehementes faucium dolores ; quales etiam convulſiones, & cervicis collique dolores excitare ſolent. (373) Futuri etiam nonnunquam ſunt in his, quibus urinæ cum rigore accidit ſuppreſſio. (374) Item in pervigilio cum anxietudine. (375) Exigui in convulſione cum tremore corporiſque anxietate ; & catocho. (376) Magni in anhelatoribus ictero & febre acuta cum præcordiorum duritie tumoreque laborantibus, ubi inſuper perfrigerantur. (377) Futuri etiam ſunt, ubi alvus ſtercora nigra dejecerit, & ſi ſopor appareat : item ſi in capitis dolore ſopor & ſurditas oboriatur. (378) Faciei ſigna

(368) Ibidem §. 183. & Prorrhet. Libr. 1. §. 165. 169.

(369) Ibidem §. 185.

(370) Ibidem §. 209. & Prorrhet. §. 159.

(371) Ibidem §. 352. & Prorrhet. §. 161.

(372) Ibidem §. 264.

(373) Ibidem §. 268.

(374) Ibidem §. 25. & Prorrhet. §. 155.

(375) Prorrhet. §. 157.

(376) Ibidem §. 162.

(377) Ibidem §. 164. & Coac. Præn. §. 107. 126. 290.

(378) Ibidem §. 166. 168.

gna parotidas futuras denunciantia ſunt rubor, tumor ejus præter naturam, oculi ſolito humidiores, eorundemque caligo, & quæcunque talia. (379)

Prognoſtica abſceſſuum.

§. 40. Sequuntur prædictiones ex abſceſſibus. Optimi habentur, qui fiunt effluentia, quique a locis affectis remotiſſimi ſunt, continguntque ad inferiores corporis partes. (380) Et ut non univerſe, ſed ſigillatim dicam, ratione quorundam locorum, abſceſſus ventriculi optimus eſt, qui in ſinum ejus internum abiit, in quem etiam plerumque ſe exonerat: malus vero eſt, qui ſub peritonæum. Abſceſſus cerebri bonus eſt, qui in priores ejus ventriculos incidit; malus, qui ſub involucra, aut in poſticum ejus ventrem ſe recipit. Qui propter coſtas evenit, is in thoracis cavitatem erumpit; & muſculorum quidem ſub cutem: viſcerum vero, in arterias & venas, quibus dotata ſunt, vel in membranam, qua operiuntur. (381) Abſceſſus, qui in morbis popularibus oboriri ſubinde ſolent, non magni faciendi ſunt. Quippe ſi minores, nihil juvant; ſi majores, timendum eſt, ut æger talium eruptionem ſuſtinere poſſit. (382) Abſceſſus in febribus, qui non ad primas judicationes ſolvuntur, morbi longitudinem ſignificant. (383) Qui in morbo pulmonis abſceſſus ad au-

(379) Galenus Comm. III. §. LXX. in Prorrhet. Hippocr.

(380) Idem Comm. III. §. 24. in Libr. I. Hippocr. de morb. vulgarib.

(381) Idem de inæquali intemper. Cap. IV.

(382) Idem Comm. II. §. 6. in I. Prorrhet. Hipp.

(383) Hippocrates aphor. LI. Sect. IV.

aures habent, & quibus aliquid circa inferiores ſedes ſuppurat, idque per fiſtulam via aperta effunditur, eos ex malo convaleſcere in ſpe habemus. Imo in vehementibus periculoſiſque pulmonum inflammationibus abſceſſus propter crura exorti ex uſu ſunt; in primis vero ſputo una mutationem ſubeunte. Optimum enim ſignum eſt, ſi tumor ac dolor infeſtet, ſi ſputum flavum in purulentum tranſeat, ſi id foras excernatur. Verum enim vero ſi hoc haud recte excreatur, nec urina videatur bona ſubſidentia habere, periculum claudicationis, vel aliud malum ægroto imminet. At ubi abſceſſus diſpareant, ac retro cedant, excreatione nequaquam prodeunte, ac febre ægrum detinente, portendunt periculoſa; ut delirium, mortem. (384) Quibus tubercula in pulmone ſunt, ii pus intra XL. dies, facta eorum ruptura, expuunt. Si hos dies ſuperent, tabidi plerumque evadunt. (385) De quibus ſperamus fore, ut abſceſſus juxta articulos oboriantur, eos ab his liberat urina multa craſſa & alba, qualis in febribus cum laſſitudine die quarta a quibuſdam reddi ſolet. Et ſi inſuper ſanguis e naribus prorumpit, ocyus horum ſolutio continget. (386)

§. 41. Propter convenientiam tumorum, quæ ipſis cum abſceſſibus intercedit, faciam hoc loco aliquorum mentionem. Memoriæ autem primo mandandum eſt, Hippo- Tumorum.

(384) Idem Libro Prænot. & Coac. Prænot. §. 395. 396.

(385) Coac. Prænot. §. 404.

(386) Idem aphor. LXXIV. Sect. IV.

pocratem conſueviſſe œdema i. e. tumorem nominare, omnem corporis molem præter naturam: & ſi alicubi memorat œdema durum ac dolens; eum, idem ſignificare voluiſſe, quod recentiores inflammationem. (387) Verum ut rem ipſam, miſſis reliquis vocabuli ſignificationibus, aggrediar, Hippocrates literis prodidit, tumorem in præcordiis durum, qui dolores movet, peſſimum eſſe, ubi hypochondria univerſim occuparit; minus periculum ſubeſſe, ſi in alterutra parte; privatim vero ſi in ſiniſtra. Hujuſmodi tumores circa morbi principia exortos mortem propediem affore, ſignificare. Quod ſi febris intra vigeſimum diem haud conquieſcat, nec tumor ſubſidat, eum ad ſuppurationem tendere; valdeque apud ægrotum juvare narium hæmorrhagiam, primo morbi circuitu obortam. Molles tumores, doloris expertes, digitiſque cedentes, longiore tempore finiri, & ante dictis minus exitioſos eſſe. Quod ſi intra dies ſexaginta, nec febris ſolvatur, nec tumor ſubſidat; ſuppurationem hoc loco futuram, indicari. Ventris tumores minus aptos eſſe ad abſcedendum, quam qui in iliis; minime vero omnium ſuppurare partes, quæ infra umbilicum ſunt: ſuppurationes autem, quæ ex longis in dictis regionibus tumoribus exortæ, conſiderandas eſſe. Optimas eſſe, quæ ad exteriorem partem feruntur, & par-

væ

(387) Galenus in Prognoſt. Hipp. Comm. 1. §. 33. N. Oedema Medici recentiores tempore Galeni nominabant molem, quæ premendo dolore vacat & digitis cedit.

væ & in mucronem turbinatum tendant. Peſſimas eſſe, quæ magnæ, latæ minimeque mucronis formam præ ſe ferant. Ex iis autem, quæ intro rumpuntur, optimas eſſe, quæ nihil cum exteriori ſede communicant, in ſeſe contrahantur, nullumque doloris ſenſum inferant, totaque externa regio unius coloris eſſe videatur. (388) Quibus in febre ardente tumores cum propenſione ad ſomnum & torpore obveniunt, & poſtea accedit lateris dolor; hos levi partis alicujus ſide-

(388) Libro Prænot. & de Criſibus & Coac. Prænot. §. 280. 281. Ad hunc locum reſpexiſſe videtur Celſus Libr. II. Cap. VII. ubi ſcribit ſuppurationem fieri, ſi præcordia dolentia ante viceſimum diem hominem non ſuſtulerunt, neque ſanguis ex naribus fluxit, maximeque in adoleſcentibus; utique ſi inter principia aut oculorum caligo, aut capitis dolores fuerunt, in inferioribus partibus aliquid abſcedere. At ſi præcordia tumorem mollem habeant, neque intra ſexaginta dies habere deſinant, hæreatque per omne id tempus febris, tum in ſuperioribus partibus fieri abſceſſum. Et quum omnis longus tumor ad ſuppurationem fere ſpectet, magis tamen eo tendere eum, qui in præcordiis, quam eum, qui infra eſt. Et Cap. VIII. Ex ſuppurationibus has tolerabiles eſſe, quæ in exteriorem partem ferantur, & acuantur: & ex his, quæ intus procedunt, has leviores, quæ contra ſi cutem non afficiant, eamque, & ſine dolore eſſe, & ejuſdem coloris, cujus reliquæ partes ſunt, ſinant eſſe. At peſſimas eſſe, quæ intus tendant, ſic ut exteriorem quoque cutem decolorent. Ex iis deinde, quæ in exteriorem partem prorumpunt, peſſimas eſſe, quæ maximæ quæque planiſſimæ ſunt. Spectare etiam ad ſuppurationem mihi videntur, quæ Hippocrates Libro VI. Sect. I. §. 12. de morb. vulgarib. tradit. Tubercula nempe melioris notæ eſſe, quæ foras protuberant, & in acutum ſublata ſunt & faſtigiata, ac æquabiliter matureſcunt, quæ nec in ambitu dura & deorſum tendunt, nec bifida: at quorum conſtitutio aliter, ac dixi, fuerit comparata, quæque plurimum diſtent, ea eſſe peſſima. De cætero Celſus Libr. II. Cap. IV. in malorum morbi teſtimoniorum numero collocat, ſi præcordia inflammata, dolentia, dura, tumida, intenta ſint; magiſque ſi hæc dextra parte, quam ſiniſtra ita fuerint: periculoſiſſimum tamen eſſe, ſi venæ quoque ibi vehementer agitentur.

ſideratione mortem obire. (389) Quibus tuberculum ad veſicam adnaſcitur, urinæ difficultatem inferens, iis quemvis corporis habitum negotium faceſſere, liberari autem eos ab hoc puris eruptione. (390)

Et parotidarum,

§. 42. Redeo ad prædictiones ex abſceſſibus, & quidem ex tuberculis ad aures. Hæc, ſi cum dolore exoriuntur, perniciem minantur. (391) Quæ ſpatio temporis in plurimis graveolentibus alvi dejectionibus; cum febre acuta & præcordiorum diſtenſione, oborta, mortifera ſunt. (392) Mala ſunt, quæ in leviter ſideratis excitantur. (393) Exitioſa ſunt, quæ in morbis diuturnis non ſuppurant. (394) Emolliuntur, ubi præſente tuſſi æger ſalivoſus fuerit. (395) Urina pauco tempore concocta, & perfrigeſcere in tumoribus juxta aures, malum ſignificat. (396) Hi, poſtquam in diuturnis morbis ſuppurarunt, niſi pus admodum album ac ſine odore reddant, exitium, præcipue vero mulieribus, minantur. (397) Qui in morbis acutis excitati, niſi per criſin ſolvan-

(389) Coac. Prænot. §. 60.

(390) Hippocrates Coac. Prænot. §. 473. & aphor. LXXXII. Sect. IV. & aphor. LXIII. VII. Quibus in urinaria fiſtula tuberculum naſcitur, his facta ejus ſuppuratione, & puris eruptione, ſolutio fit. Quem locum videtur. Celſus Libr. II. Cap. VIII. ita de Græco in Latinum convertiſſe. *Quibus in fiſtula urinæ, uti minuti abſceſſus, quos φύματα Græci vocant, eſſe cœperint, iis, ubi pus ea parte profluxit, ſanitas redditur.*

(391) Ibidem §. 199.

(392) Ibidem §. 201. 292. Prorrhet. §. 158. De Iliaca paſſione cum febre &c. idem pronunciatur.

(393) Coac. Prænot. §. 202. & Prorrhet. §. 160.

(394) Ibidem §. 203.

(395) Ibidem §. 204. & Prorrhet. §. 167.

(396) Ibidem §. 205. & Prorrhet. §. 153.

(397) Ibidem §. 206.

vantur & matureſcant, aut advenerit ſanguinis e naribus profluvium, aut urina habuerit craſſa ſubſidentia, exitioſi ſunt. Oportet tamen, antequam Medicus ſententiam ferat, febrem ipſam conſiderare, intendatne an remittat. (398) Lethiferi etiam ſunt, qui præcordiis anxietate vexatis oriuntur. (399) Non facile ab ardente febre liberantur, niſi is, qui circa aurem abſceſſus eſt, ſuppuret. (400) In quibus tempore criſeos iſtiuſmodi abſceſſus haudquaquam ſuppurarunt, iis continget, tuberculis ſubſidentibus, morbi reverſio: (401) factaque pro recidivarum ratione morbi reverſione, rurſus attolluntur, & permanent, non ſecus, ac febrium reverſiones, eodem circuitu. (402) Ubi graves aurium abſceſſus citra criſin ſenſim conquieſcunt, diſſipanturque, nihil boni ſignificant. (403) Ubi parvi fuerint in tremulis & anxiis excitati, & alvus male affecta, ſpaſmum denunciant. (404) Ubi parvi in morbis longis aurium tumores, & ſubinde ſanguinis e naribus profluvium, & tenebricoſa vertigo adfuerint, portendunt hæc exitium. (405) Hucuſque ex Hippocrate, jam quædam ex aliis in Medica arte inclytis, depromam. Abſceſſus, qui fit in lobo

(398) Ibidem §. 207. & de morb. vulg. Libr. I. Stat. III. §. 4. Quibus febre per criſin finiente parotides in febribus cum dolore ſubortæ neu conquieſcunt neu ſuppurant, eos ab his liberat: aut bilioſa alvus aut dyſenteria, aut quod craſſum in urinis ſubſidet.

(399) Ibidem §. 302.

(400) Ibidem §. 138.

(401) Libro de Humorib. & Libro de Judicationib.

(402) De morb. vulg. Libr. VI. Sect. IV. §. I.

(403) Libro Prædict. §. 170.

(404) Coac. Prænot. §. 353.

(405) Ibidem §. 105.

lobò auris, & non ſuppurat, malus eſt: præterquam quód aliqua de corporis excreationibus ſubſequatur. Et ne in hac quidem, neque in illius abſceſſus ſuppuratione, ſatis præſidii eſt, ſi humores etiamnunc fuerint crudi. Namque uſu ſæpenumero venit, ut videatur morbus in declinationem vergere, ægro nihilominus halitum extremum efflante. Omne apoſtema omniſque puſtulá in profundum tendens, malum ſignificat, niſi æger conſuevit ejuſmodi nanciſci. (406) Ubi cuipiam ægroto contingunt abſceſſus & ulcera levia, & mente alienari, ſignum id mortiferum eſt. (407) In morbis pulmonis, ſi abſceſſus in pede, vel in crurum articulis, vel propter inguina oboriatur, bonum eſt. (408) Ubi in morbo acuto die ſextá juxta aures abſceſſus magnus, colore lividus, apparuerit, ægrotus die ſeptima decima animam efflabit. Cui abſceſſus in articulis obvenit, habetque præterea tumorem ac ſcabiem in pedibus, is intra menſem in tutum evadet. Cui contingit in naribus apoſtema, lenticulæ in modum, eſtque colore vel viride vel nigrum, is intra annum diem obibit ſupremum. In cujus magno pedis ſiniſtri digito oboritur apoſtema nigrum vel lividum, is intra ſeptem dies mortem obibit. Cui autem in digito magno pedis dex-

& aliorum abſceſſuum.

(406) Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. LX.

(407) Ibidem Fen. IV. Tract. III. Cap. I.

(408) Idem Cantic. Part. I. §. 478. Hæc, qualiacunque ſint, e Rhaſis Libr. V. aphor. I. II. III. VI. XVII. IX. XII. XVI. XIX. XXVIII.

dextri contingit apoſtema nuci ſimile, forma fœdum, cum magno ardore, is intra annum animam amittet. Cui evenit intra oculum abſceſſus magnitudine nucis avellanæ, & æger nec pondus ejus, nec dolorem ſentit, is intra dies XXX. morietur. Cui in globulo vel orbiculo naſi contingit abſceſſus niger cum dolore acerbo, is intra menſem de vita decedet. Cui eſt in coxis abſceſſus cum intenſo calore, is e vita intra VII. menſes diſcedet. Cui eveniet abſceſſus in molliore auris parte cum dolore magno, is intra tres menſes vitam cum morte commutabit. Maxime ſignum mortiferum eſt, ubi in morbo acuto aliquis abſceſſus colore vel niger, vel lividus, vel ruber, oboriatur. Malum eſt, ſi in collo appareat abſceſſus niger cum mentis alienatione, vel vigiliis, vel pravo anhelitu. (409).

§. 43. Suppurationes antedicto abſceſſuum genere, ceu ex ſerie ſcriptionis apparet, complexæ ſunt. Et vocabulo ſuppurationis Medici non unam ſignificationem tribuerunt. Ipſe Hippocrates enim ſolet concoctum quempiam præter naturam tumorem, ubi pus univerſum conſtitit, ſuppurationem appellare. (410) Suppuratos autem eos,

Vocabuli ſuppurationis ſignificatio.

(409) Conſtantinus Afer locor. Comm. Medic. Libr. x. Cap. x. & Haly Theoric. Libr. x. Cap. x.

(410) Galenus in Prognoſt. Hippocr. Comm. I. §. 44. & in aphor. VIII. Sect. V. Omnem materiæ morboſæ in pus mutationem, aut eam, quæ inter thoracem & pulmonem fit, puris effuſionem, Hippocrates nominat ſuppurationem. Et in aphor. XLIV. Sect. VII. ſuppurationes non tantum, quæ in thorace ſunt, ſed tubercula in quavis corporis parte enata, pure autem referta, dicuntur.

eos, qui pus habent collectum in ſpatio, thoracem inter atque pulmonem. (411) Et verbo ſuppurare videtur Hippocrates latius uſus fuiſſe. Significare enim per hoc intendit ſanguinem quoquo pacto corruptum: Galenus vero, unam mutationem in ſanguine factam. (412) Aretæus etiam diſcrimen in vocabulis ponit. (413) Nominat enim phthiſin, ſi ab externa cauſſa abſceſſu in pulmonibus facto, aut a longinqua tuſſi, aut a ſanguinis rejectione, aliquis purulenta extuſſiat: empyicos, ſi eorum pectus coſtave ſuppuraverit, materiaque purulenta per pulmones traducatur; corruptionem autem ſeu φθόην, ſi a pure pertranſeunte pulmo corrodatur, atque ideo exulceretur. Et latini auctores Medicinæ, ut Celſus, ut Cæl. Aurelianus per vocabulum vomicæ, quod Græcis ἐμπύημα dicitur, ſignificarunt quemvis intus ſeu in thorace, ſeu in abdomine, enatum abſceſſum, ad ſuppurationem tendentem. (414)

Præſenſiones ſuppurationum futurarum, earundemque eruptionis.

§. 44. Suppurationis initium numeramus ab

(411) Idem in aphor. XXVII. Sect. VI. & aphor. XLIV. Sect. VII. & in Prognoſt. Hippocr. Comm. II. §. 60. Quicunque pus habent intus in corpore acervatum, ſive contentum ante in parte affecta inflammationem, ſive etiam poſt eruptionem, eos Galenus nominat purulentos.

(412) Idem in Libr. VI. aphor. XX.

(413) De ſign. & cauſ. diut. morb. Libr. I. Cap. VIII. Et Cap. IX. ſcribit, quibus hominibus in cavis e regione pectoris locis, aut inferius ſub ſepto tranſverſo puris abſceſſus fiant, ſi id per os rejiciant, vocari ἐμπύοις; ſi per alvum id ipſum dejiciatur, ἀποστηματίαις.

(414) Celſus paſſim in ſcriptis ſuis & Cæl. Aurelianus de morb. Chronic. Libr. V. Cap. X. vomicas etiam nominatione collectionum internarum cooptat, & empyicos appellat vomicoſos.

ab eo die, quo æger febre corripiebatur, aut rigore: & ſi pro dolore, pondus ſibi in eo loco, qui dolebat, ineſſe, dixerit. Ab hoc tempore ex ſuppurationibus aliquæ viceſimo die, aliæ XXX. aliæ XL. aliquæ etiam LX. rumpuntur. Num in aliquo latere tantum ſuppuratio ſit, his notis deprehendi ſcribit Hippocrates, (415) ægrotum oportet vertere, interrogareque, num alterutrum latus dolore aliquo detineatur; num alterum altero calidius fuerit, & ubi in latus ſanum decubuerit, videaturne ſibi pondus quoddam deſuper impendere. Diuturnam ſuppurationem his ſignis, quibus mul-

(415) Libro Prænot. & Coac. Prænot. §. 402. habentur fere eadem. Sed ubi ſudoris mentio fit, addit circa cervicem & claviculam ſudores occupare. Celſus Libr. II. Cap. VII. ita locum Hippocratis Latine reddit. „ Dolor pulmonis, ſi neque per ſputa, neque per cucurbitulas, neque „ per ſanguinis detractionem, „ neque per victus rationem „ finitus eſt, vomicas aliquas „ interdum excitat, aut circa „ viceſimum diem, aut circa „ quadrageſimum, nonnunquam etiam circa ſexageſimum. Numerabimus autem „ ab eo die, quo primum aliquis febricitavit, aut inhorruit, aut gravitatem ejus „ partis ſenſit. Sed hæ vomicæ modo a pulmone, „ modo a contraria parte naſcuntur. Quod ſuppurat ab „ ea parte, quam afficit, dolorem inflammationemque „ concitat, ipſum calidius „ eſt: & ſi in partem ſuam „ aliquis decubuit, onerare „ eam ex pondere aliquo videtur. Omnis etiam ſuppuratio, quæ nondum oculis „ patet, ſic deprehendi poteſt. Si febris non demittit, eaque interdiu levior „ eſt, noctu increſcit, multus ſudor oritur, cupiditas „ tuſſiendi eſt, & pene nihil „ in tuſſi excreatur, oculi „ cavi ſunt, malæ rubent, venæ ſub lingua inalbeſcunt, „ in manibus fiunt adunci „ ungues, digiti, maximeque „ ſummi pallent, in pedibus „ tumores ſunt, ſpiritus difficilius trahitur, cibi faſtidium eſt, puſtulæ toto corpore oriuntur. Quod ſi protinus initio dolor & tuſſis „ fuit & ſpiritus difficultas, „ vomica vel ante vel circa „ viceſimum diem erumpet. „ Si ſerius iſta cœperint, neceſſe eſt quidem increſcant, „ ſed quo minus cito affecerint, eo tardius ſolventur.

multum fidit, prodi. Si febris non demittat, eaque interdiu levior, noctu autem gravior & ſudor copioſus, & tuſſis tuſſiendique cupiditas adſit, ægroto tamen vix quicquam, quod operæ pretium eſſet, expuente: ſi oculi cavi reddantur, ſi malæ ruborem contrahant, ſi digitorum manuum ungues adunci fiant, ipſique digiti in extremitate incaleſcant, ſi in pedibus tumores, & puſtulæ per univerſum corpus exoriantur, ſi ciborum appetitus abfuerit. Brevem autem his notis. Si quid eorum, quæ inter initia fiunt, appareat, aſt inſuper æger aliquanto difficilius reſpiret, & tuſſis excreatioque perſeverent, ad vigeſimum diem, vel adhuc citius vomica erumpet: tardius autem ſi dolor mitior fuerit, & pro hujus ratione cætera reſpondeant. Neceſſe enim eſſe, antequam pus erumpat, oboriri dolorem, reſpirandique difficultatem, & ſputi excreationem. Quid? quod circa puris generationem ægrotans, & dolet magis & febricitat, quam ſi pus fuerit factum. (416) Alibi Hippocrates diſtincte etiam deſcribit ſuppurationis notas. Scilicet lateris mollitudinem dolere ab initio, ubi jam pus collectum, ægrotum dolore itidem vexari: cum tuſſis ſuboriatur, tum pus excreari, & ſpirandi difficultatem exoriri. Quod ſi pus nondum eruperit, in lateris mollitie concuſſum, id ipſum, velut in utre ſtrepitum, edere. At ſi horum nihil fuerit, ſuppuratio tamen adſit,

(416) Aphoriſm. Hippocr. XLVII. Sect. II.

ſit, ex his ſignis eam deprehendi. Magnam reſpirandi difficultatem adeſſe, ægrum ſubraucum eſſe, pedes ejus & genua intumeſcere; magis vero ex ea lateris mollitudine, in qua pus eſt, thoracem incurvari, membrorumque ſolutionem oriri; ſudore etiam totum corpus madeſcere: videri etiam ægroto ſe aliquando calidum, interdum etiam frigidum eſſe; ungues incurvari, ventrem incaleſcere. (417) Dictis generalibus quædam

(417) De Locis in Homine. His ſubjungam alia ex Coacis Prænotionibus deſumpta, ut §. 421. lateris dolorem, cum diururna ſeu lenta febre, auctor tradit, puris eruptionem futuram, denotare. §. 422. Eos, qui ſubinde inhorreſcant, ad ſuppurationem devenire: multum etiam ad hujus productionem facere febrem. §. 423. Eis, qui ex lateris dolore ciborum faſtidium nanciſcantur, os ventriculi aliquantulum dolere, & ſudore diffluere. Sin vero facies rubore quaſi effloreſcat, & alvus fuerit fuſior, hunc pus in pulmonibus collectum habere. §. 428. Quibus latus tumidum, ac juſto calidius eſt, ubi in alterum latus incumbentibus pondus quoddam ſuſpenſum eſſe videatur, iis in una parte collectum pus eſſe. §. 432. Quibus ſuppurationem habentibus ab humeris concuſſis multus edatur ſtrepitus, eos minus puris habere, quam quibus paulo difficilior eſt reſpiratio, eoſque melius coloratos videri. Quibus vero nullus intus fiat ſtrepitus, adſit tamen vehemens ſpirandi difficultas, & ungues liveſcant, eos pure plenos eſſe, & peſſime habere ſe. Et Trallianus Libr. VII. Cap. II. Febrem quam antea vehementiorem, rigorem præter naturam, & gravitatis potius quam doloris multi ſenſationem, in numero ſignorum, ſuppurationem præcipue indicantium, ponit. Cæl. Aurelianus, in Semiotica prope ſingularis, tradit Libr. V. Cap. X. ſingularia quædam, quorum apud alios vix mentio fit. Libet locum, quo agit de communibus ſuppurationum ſignis, perſcribere. *Omnibus collectionibus generatis, vel cum tumor in pus vertitur, ſequitur febricula vehemens, inordinata, & ſæpe cum rigore, & torpore frigido, vel inquietudine corporis, tum loci fervor incendioſus, gravedo, tenſio, & exceptis quæ in pulmone fiunt, ſæpe ſtimulans dolor, & pulſuoſus: tum celer pulſus, atque humilis, & ſæpe ſudor, magis capitis, atque collorum. Dehinc perfecta purulentatione rigor corporis, atque tremor minor fit, & febrium recedit inquietudo, ac dolorum.* Non diſſimilia habet Ægineta Libr. IV. Cap. XVIII. Abſceſſum enim inſequi, ſcribit, ardorem loci vehementem, & majorem tumo-

dam ſingularia, ex Hippocrate deprompta, ſubjungam. Sanguis præter naturam in ventrem ſi effuſus fuerit, ſuppuret, neceſſe eſt. (418) Vulnere thoraci inflicto, ſi pars exterior ſaneſcit, interior autem minime, hoc loco vomica expectanda eſt. Et quamvis utræque partes conſaneſcant, cicatrix autem intus ſi fuerit debilis, aſpera & livida, & quandoque refricetur, non poteſt non, quin res ad ſuppurationem veniat. (419) Cui contingit deſtillatio in ventrem ſuperiorem, huic intra viginti dies ſuppuratio erit. (420) Qui lethargum evadunt; in his magna ex parte puris collectio, i. e. empyema excitatur. (421) Quicunque pleuritici in quatuordecim diebus non per ſuperiora repurgantur, i. e. per excreationem, hi ad ſuppu-

morem, eundemque magis, quam antea, rubere, & durum evadere, adeſſe dolorem *punctorium*, & pulſum, & gravitatem, ut aliquid ex ea parte pendere videatur. Si locus nobilis fuerit, febrem quoque accedere, & rigorem inordinatum, & ægrum noctu maxime dolere ac febricitare. Perfecto abſceſſu dicta ſymptomata imminui, & loco punctus pruriginem oboriri, & cujuſdammodi ſtuporem: tumorem faſtigiari magis in acutum apicem, & tactu mollem eſſe, ac facile cedere, & ſuperficiem de apice detrahi. Nota, intelligenda hæc ſunt de apoſtematibus, quæ foras erumpunt.

(418) Aphor. XX. Sect. VI. Galenus per ventrem putat intelligendam quamvis cavitatem. Celſus Libr. II. Cap. VII. ſcribit, quod ſi ſanguis in ventrem confluxerit, ibi eum in pus verti. Si a coxis & ab inferioribus partibus dolor in pectus tranſeat, neque ullum malum ſignum acceſſerit, ſuppurationis eo loco periculum eſſe. Quibus ſine febre aliqua ex parte dolor aut prurigo cum rubore aut calore eſt, ibi aliquid ſuppurare.

(419) Hippocrates Libr. I. de morbis. Et Coac. Prænot. §. 430. eadem, ſed poſterior paragraphi pars aliter, ac ſupra dicta, profertur. Ut *quibus interni vulneris cicatrix debilis effecta eſt, prompte reſcinditur.*

(420) Hippocrates aphor. XXXVIII. Sect. VII.

(421) Idem Coac. Prænot. §. 140.

puratione̅m tendunt. Qui angina liberantur, in iis materia vitioſa ad pulmonem vertitur, & intra ſeptem dies pereunt, quos ſi evaſerint, in ſuppurationem incident. (422)

§. 45. Traditis iis, quæ ex Hippocrate collegi, addere inſuper libet quædam, ad dignoſcendos variarum internarum corporis partium *abſceſſus pertinentia, ex variis in arte Medica longe celeberrimis auctoribus deprompta. Cæl. Aureliani veſtigia potiſſimum perſequar; is enim plerorumque notas perſpicue exhibuit. Ubi in *pulmone* emergat vomica, ægrotantes, ſcribit, inſequi plurimam ſpirandi difficultatem, tuſſim vehementem, vocem obtuſam & raucam, & anhelitum fœtidum, thoracis gravedinem, ſuperiora ad inferiora adduci: in ſupinatis gravitatis diſtenſioniſque ſenſum, in ſedentibus doloris levationem; in primis vero, ubi ipſi ſe ad partes lecti ſuperiores ſuſtollant, quo ſublimius habeant caput. Sequi præter hæc genarum ruborem, & albedinem ſub lingua venarum; & ſi eruptio puris tardetur, inflationem articulorum, vultus pallorem, & maciem ora deformantem. (423)

Abſceſſuum quorundam intrinſecus obortorum notæ.

Ubi

(422) Idem aphor. VIII. & X. Sect. V.

(423) Aretæus de ſign. & cauſſ. diutur. morb. Libr. I. Cap. IX. ſcribit, gravitatis potius quam doloris ſenſum pulmonis ſuppurationis ſignum ſingulare eſſe. Pulmonem quippe doloris eſſe expertem; adeſſe præterea febres obſcuras, horrores veſpertinos, ſudores in remiſſione, vigilias, tumores in extremitate pedum, manuum digitis ſubinde ſubſidentes, & viciſſim inſurgentes, anxietatem, ciborum faſtidium, totius corporis maciem: & ſi diu ſuppuratio protrahatur, corporis habitum phthiſicorum ſimilem reddi. Equidem reſpirationem cunctis malam, verumtamen illis pejorem eſſe, quibus ad ſuperiorem ventrem morbus ver-

Ubi in *pleura* ſuppuratio accidat, adeſſe tum difficultatem reſpirationis, & difficilem decubitum ſupra latus laboranti oppoſitum, cum ſenſu quodam inteſtino membranarum veluti pendentium, & ſæpe corpore commoto quaſi ſonum, incluſi atque colliſi humoris inſtar, audiri: a cibo aſſumpto faſtidium, & plurimam medii lateris diſtenſionem, aut verrucoſam ſeu faſtigiatam inflationem, impreſſioni digitorum cedentem, ac reſurgentem. Ubi in *ſepto tranſverſo* ſuppuratio excitatur, dolorem ſupra præcordia ſentiri, penetrantem per utraque latera uſque ad poſteriora: & aliquando inflationem, vel diſtentum juxta pectoris extremitatem, vel ſub extremis coſtis atque oſſibus ſterni ultimis, continuantem uſque ad Ilea. Si ſuppuratio forinſecus, & (ut in notulis monuit Cel. *Ammannus*,) ſi extra diaphragma intra ventrem, qua ventriculum illud contingit, fuerit, ſonitum aliquando humoris incluſi percipi: accidere etiam tuſſiculam, & plurimam ſpirandi difficultatem, & reſpirationem longam, & ſpiritu forinſecus attracto, dolorem: & hujus ratione differre diaphragmatis a pulmonis vomica, in qua ſpiritum hauriendo ægrotum relevari. Ubi in

vergat. Quin etiam tuſſim ab initio tantiſper ægrum vexare, quoad inflammatio, quæ urget, perſeveret. Quo tempore etiam dolores, & horrorem, & calorem, & vigilias & ſpiritus difficultatem magis increſcere. Venarum motus parvos, torpentes, imbecillos fieri: mentem delirare, pectus diſtendi. Verum enimvero ubi inflammatio ad ſuppurationem perveniat, ante dicta cummaxime ægrotum infeſtare, adeſſe adhæc excreationem modicam cum vehementiore tuſſi,

in *Oeſophago* emergat, ægrotantem infeſtari a ructibus tetris, & difficultatem reſpirationis, ſed minorem, ſequi, & aliquando parvam tuſſiculam ſine ulla humoris excreatione: tum torporem articulorum frigidum, pulſum parvum, corruptionem ſumpti cibi, acidos ructus, nauſeam, & interdum vomitionem, linguæ ſiccitatem vel aſperitatem, ſitim, difficilem glutiendi actum, quem ratione magnitudinis *collectionis*, vel majorem vel minorem eſſe. Quod ſi fuerit in *ſuperioribus Oeſophagi* locis, ægrum, donec cibum glutiverit, ſentire preſſuram, quam, poſtquam ille devoratus, non amplius infeſtare; adeſſe inſuper dolorem atque gravitatem inter ſcapulas, vel in poſterioribus cervicis partibus ejuſmodi ſentiri. Sin vero in *inferioribus*, glutiendi actum eſſe quidem facilem; verum deinde dolorem urgere; præſertim vero quum aſſumpta ad deſtinata loca pervenerint, teſte ex anterioribus partibus in ore ventris dolore, cum inflatione vel extantia, digito impreſſo cedente ac reſurgente. Ubi in *ventriculo*, maxime ſi ejus in ambitu, ſuppuratio excitatur, eſſe tum inflationem inferius a ſepto tranſverſo circa medium præcordiorum ſiniſtrorſus flexam, & digitorum impreſſioni cedentem ac reſurgentem: adhæc faſtidum, nauſeam, ſitim poſt ſumptos cibos, ructus acidos, & aliquando liquidorum per alvum dejectionem. (424) Ubi in *py-*

(424) Avicenna Libr. III. Fen. XIII. Tract. IV. Cap. II. Abſceſſum ventriculi comitari, ſcribit, vehementem inflammationem, ſitim, febrem continuam, dolorem pungentem, tumo-

pyloro, eſſe extantiam vel inflationem in ultima ventris parte ſub dextro latere, atque ileo, vel ſub jocinore. Ubi in *jejunio*, ante memorata in ſiniſtra parte, ſub liene, deprehendi. Ubi in *tenuibus*, dicta inter umbilici atque pectinis regionem: ubi in *colo*, ſecundum Ileum dextrum, circa umbilicum uſque ad ſiniſtra loca, antecedentibus eis, quæ aſſolent colicos afficere, reperiri. Ubi in *recto*, clunium dolorem cum difficultate mejendi, & ventris abſtinentia: aliquando etiam cum egeſtione mucoſa & cruenta: poſſe etiam talem abſceſſum digitis podici immiſſis explorari. Ita etiam ex alvi dejectione apparere, quo locorum abſceſſus in inteſtinis ſit. Namque ſi materia purulenta haud fuerit ſtercori permixta, ſed eo diſcreta, malum aut in colo, aut in inteſtino recto, hærere. Ubi in *jecore*, adeſſe itidem extantiam, & partes ſanas, quæ hepati incumbunt, tangenti videri pulſationem quandam occurrere, & circa confinia interraneorum vomicam ſentiri, quam nunquam adeo latere, ut abſceſſum peritonei, quam neque ita circumſcriptam ac deciſam, ſed paulatim fines ſuos deficientem, ſanis partibus junctam videri. (425) Ubi in *ſplene*, gravita-

tumorem, mentis alienationem, corpus extenuari, oculos in profundo quaſi abſtrudi, vomitum aliquando inſtare, ſubſequi etiam interdum alvi dejectiones: &, ubi abſceſſus ſerupturus, ventriculum non adeo durum ac tenſum, quam antehac, digitis deprehendi.

(425) Hæc e Cæl. Aureliani Libr. v. Cap. x. de morb. Chronic. Avicenna Libr. III. Fen. XIV. Tract. III. Cap. II. In abſceſſu hepatis, ſcribit, infirmum ſub hypochondriis dex-

tatem, dolorem, tumoremque a latere ſiniſtro uſque ad diaphragma, interdum claviculis tenus, pertingere, ſpiritum, ſingultando pueri plorantis inſtar, duci: pedes genuaque interdum rubere, naſum aureſque frigere: accedere præterea illa, quæ in pleriſque interiorum partium abſceſſibus evenire ſolent. (426) Ubi in *Meſeræo*, ſigna fere eadem ac jecoris eſſe. Verum febrem in illius abſceſſu mitiorem eſſe, & gravitatem jux-

dextris gravitatem, & dolorem acerbum ſentire, formam ſeu colorem corporis alterari, claviculam ad inferiora multum trahi, in latus dextrum non poſſe cubare: grave quoque eſſe in ſiniſtrum, tolerabilius ſupinum. Si in *gibbera* parte, gravitatem illic & diſtenſionem ſentiri, & tactu explorari poſſe: adeſſe etiam tuſſim ſiccam, vitiatam reſpirationem, urinam modice reddi, interdum penitus ſupprimi. Sin vero in *concava*, gravitatem eſſe minorem, tuſſim & ſpiritus difficultatem non urgere, nec tactu locum affectum indagari poſſe, ſed ægrotum doloribus acerbis torqueri, eundemque infeſtare ſingultum, nauſeam, ſitim. Trallianus Libr. VIII. Cap. I. literis mandavit magnam hepatis inflammationem, quæ in gibberoſa ejus parte conſtitit, nullo negotio dignoſci poſſe. Nam ſecundum ambitum circumſcriptum inflammationis ſigna deprehendi, adeſſe febrem ardentem, vomitum materiæ bilioſæ ſeu ærugini ſimilis, tuſſiculam, ſeptum tranſverſum coarctari, gravitatis potius quam inflammationis ſenſationem. Ubi in cava ejus parte, tumorem in imis prius, quam in ſuperioribus partibus, conſpici, animi defectionem ſuccedere; corpus pallidum & tenue apparere. Plura habentur apud Aretæum Libr. II. Cap. VII. de cauſſ. & ſign. acut. morb. & Libr. I. Cap. XIII. de morb. Diuturn. Quod ſi inflammationem ſuppuratio ſubſequatur, dolorem acutum ad jugulum uſque, aut ad ſummum humerum pertinere, calorem intenſum etiam cum horrore exoriri, tuſſim aridam, non crebram tamen, ægrum divexare, ac eundem colore herbaceo tingi. Vide etiam Æginetam Libr. III. Cap. XLVI.

(426) Avicenna Libr. III. Fen. XV. Tract. II. Cap. V. Trallianus Libr. VIII. Cap. XII. tradit ſigna peculiaria cujuſvis inflammationis lienis, ſi ea utpote effecta fuerit vel a ſanguine, vel bile, vel pituita. Serapion Tract. IV. Cap. X. ſcribit, qui laborat abſceſſu lienis magno, enm velociter ac frequenter reſpirare, & id quidem duplo ſpiritu interciſo more pueri plorantis. In latere ſiniſtro gravitatis ſenſum &c. velut Avicenna habet.

juxta & diſtenſionem magis in profundum ventris percipi; imo interdum diſtenſionem majorem eſſe, quam gravitatem: quin minus alvi egeſtionem formam chyli præ ſe ferre. (427) Ubi in *renibus*, urinæ pingue & confertum quiddam ſupernare, dolores circa muſculos ſpinæ fieri; quos, ſi ad loca exteriora ferantur, indicare abſceſſum ad exteriores, ſin ad interiora, eundem itidem ad interiores renum partes magis ſpectaturum. (428)

Signa ſuppurationis ruptæ &c.

§. 46. Quamquam aliquando eveniat, ut propter craſſitudinem ſeu puris, ſeu loci, inter quem degit, ſuppuratio nullum certum ſui ſignum prodat: (429) attamen ſunt quædam, quæ crebrius accidunt, quibus ſignificatur, eam adeſſe, & in qua parte, velut ſupra longè lateque indicavi. Ex his igitur, quæ ſemel atque iterum ac ſæpe contigerunt, Medici merito conjecturam rei abditæ faciunt: ſiquidem, ſi obſervationes

(427) Avicenna Libr. III. Fen. XIV. Tract. III. Cap. X.

(428) Hippocrates aphor. XXXV. XXXVI. Sect. VII. Trallianus Libr. IX. Cap. V. Inflammationem ad ſuppurationem tendere, ſcribit, internoſci, ſi febres atque refrigeratio quædam citra rationem & inordinatè ſuperveniant. Poſt hæc, cum æger in partem ſanam inclinet, ſibi videri ſenſum gravitatis magnæ in parte affecta, quem ſi inſequatur puris per urinam excretio, hanc confirmare magis opinionem, quam de abſceſſu renum habuimus. Conſtantinus Afer loc. Comm. Libr. IX. Cap. XXXVI. in renum inflammatione, ſcribit, adeſſe dolorem, gravitatem, calorem in renis laborantis parte, & ſitim, febrem, capitis dolorem, alvum ſuppreſſam, urinam citrinam: ubi ſuppuret modo febrem, modo rigorem intervallis infeſtare, doloremque increbreſcere, infirmum in latus ſanum cubantem, renem laborantem quaſi ſuſpenſum ſentire, interdum & frigus.

(429) Hippocrates aphor. XLI. Sect. VI.

nes eis demſeris, vix quicquam, quod exploratæ rationis ſit, in medium proferre poſſunt. Eodem fundamento nituntur, quæ habent de ſuppuratione rupta. v. g. abſceſſus a pleuritide vel peripneumonia ortus, ubi intrinſecus rumpitur, æger confeſtim primo die ſanguinem; & pus cruentum & lividum cum ſaliva expuit. (430) Vel ubi jamjam vomica erumpet, quæ excreantur, ſpeciem carnis habent, craſſioraque ſunt: verum ubi rupta, ſtrangulatus periculum imminet, ſi utpote copioſe ac ſubito erupit: at ſi pedetentim, ſalus magis in tuto eſt. (431) Equidem ſuppurationes quaslibet intus ruptas ſolent plerumque inſequi virium debilitas animique defectio; ſubinde & vomitus aut ſtrangulatus: (432) Verum a Medicis literis mandata ſunt ſigna ſingularia, quibus ſingulariter innoteſcit, in qua parte puris eruptio fuerit facta, & in quo loco id ipſum movetur. Ex gr. ubi in inferiore ventre, cognoſci poteſt locus, qui maxime dolet, nec non ſi eum argilla madefacta vel ſimili re illeveris; quod ſi ea brevi temporis ſpatio reſiccatur, is collecti puris locus eſt. (433) Ubi ad aſperam arteriam ſuppuratio fuerit rupta, infert ea ſpirandi difficultatem, & tuſſiculam: ubi ad ſtomachum, nau-

(430) Idem Libr. I. de morbis.

(431) Aretæus de ſign. & cauſſ. diut. morb. Libr. I. Cap. IX. Celſus Libr. III. Cap. XXVII. vomicæ ruptæ indicium eſſe, ſi pus vel alvo vel ore reddatur. Sed plures viæ ſunt, per quas pus fertur, de quibus deinceps.

(432) Galenus in aphor. VIII. Sect. VII. Hippocr.

(433) Hippocrates Libr. I. de morbis.

nauſeam, cibi faſtidium, vel vomitum: ubi ad inteſtina vel ventrem, tormina cum inflatione: ubi ad veſicam, crebram mejendi cupiditatem: ubi in cavitate thoracis vel inter peritonæum, ſonum quendam velut incluſi humoris, qui tum potiſſimum auditur, ſi quando æger cubatum mutarit, i. e. ſe converterit. Melius autem talis ſonus percipitur, ſi peritonæum inter & inteſtina pus diverterit. Sequuntur etiam partes prominentes hydropem fingentes, cum mordacitate ac doloribus repentinis. Num paulatim per attenuatas vomicæ membranas pus exudet, dignoſcere valemus tuſſicula ſicca deſinente, & ſputis pure pollutis, vel egeſtionibus ventris aliquanto liquore ſanioſo permixtis, vel urina ſubſidentia purulenta habente. Quod ſi omnis materiæ purulentæ effuſio fuerit facta, febres illico ſolvuntur, loci extantia retrocedit, & gravitas minuitur. Num vero ex parte tantum fuerit vomica expurgata, cognoſcimus, ſi vomica aliquot diebus pure repleta diſtenſionem rurſus efficit, atque gravitatem cum febre, quæ denuo ceſſant peracta ſuperflui puris effuſione: & ſi eædem difficultates intervallis, ſimiliter ac prius, recidivæ ſunt. (434) Ex viis

(434) Aurelianus Chronic. Libr. v. Cap. x. Aretæus de cur. diut. morb. Libr. i. Cap. xiii. ubi pertractat Hepatis vomicam, tradit una notas, quibus diſcernere poſſumus, quo locorum pus ſe converſurum ſit. Etenim ſi id per inteſtina feratur, ægrotum vexare tormina, ſcribit, alvum liquida, pituitam & bilem dejicere: deinde cruentum virus circumfluens, aut humorem, aquæ, in qua caro cruda lota, ſimilem. Si per veſicam, in renibus inque lumbis gravitatem ſentiri, ac primo lotium multum & bile infectum,

viis autem, per quas reddendum eſt pus, longe tutiſſimam eſſe veſicam, judicat Aurelianus, quam, quoniam conſuevit acrem humorem excipere, minus ideo affici. Quid? & pus, ubi acre fuerit, ab urina dilui, atque adeo miteſcere; adde & pus tali pacto haud unico impetu, quod periculoſum eſt, ſed pedetentim excerni. Facilem etiam eſſe, ſi pus ad inteſtina feratur: hanc viam tamen cum veſica comparatam non adeo tutam eſſe. Siquidem poteſt inibi coacervatio puris fieri; quod, ſi univerſum uno tempore erumpat, poteſt ægrotanti importare animi defectionem; imo & mortem. Præterea inter vias faciles referendam eſſe matricem, in primis vero eam, quæ ſolita eſt purgationes menſtruales, vel puerperarum, lochia vocant, ſuſtinere. Hanc tamen non adeo tutam, ut ante dictæ: quoniam illa a teneris non aſſuevit quotidie aliquid excernere, neque acrem aliquem humorem ferre. Periculoſiſſimam eſſe cor, dein arteriam aſperam: præcipue vero ſi in hanc pus acervatum uno impetu irruat. Id enim tum in cauſſa eſſe, ut æger nonnunquam animo linquatur, ægreque animam reciprocet, ac oboriatur tuſſicula, & ſuffocatio. Nec periculo carere, ubi pus ad ventriculum fertur. Equidem hoc pacto minus timendum eſſe ægroto ab ſtrangulatione,

Quæ viæ minus periculoſæ ſint puri, e corpore educendo &c.

ctum, poſtea turbulentum, inconſtans ſine ſubſidentiis reddi: tandem vero ſubſidentia alba apparere. Sin ſurſum ſtomachum verſus, oriri nauſeam, faſtidium cibi, vomitum pituitæ aut bilis, animi defectionem, vertiginem, donec pus eruperit. Viam enim hanc eſſe admodum periculoſam.

tione, tamen, quia appetitum cibi pus affluens extinguit, atque ideo virium debilitatem infert, damnoſum igitur eſſe iter puris per ſtomachum. Periculoſum etiam eſſe, ubi pus in cavitatem thoracis irrupit. (435)

Prognoſtica ſuppurationum.

§. 47. Sequuntur prædictiones ex ſuppurationibus. In bonis ſignis annumerantur ſi bonus corporis habitus, ſi æger excretionem puris toleranter fert, ſi febre caret, recte aſſumpta concoquit, boni coloris eſt, ſi facile extuſſit, ſi arteriarum pulſus bene ſe habet, ſi firmis viribus eſt. In malis, ſi febris ſupervenit, atque omnia ſe in deteriora convertunt. (436) Hippocrates monumentis prodidit (437) ſeniores fere ſuppurationibus, quas pulmonum morbi intulerunt, in-

(435) Cæl. Aurelianus loc. cit.

(436) Aretæus de ſign. & cauſ. diut. morb. Libr. I. Cap. IX. Aurelianus dict. loc. inter bona ſigna refert, ſi poſt eruptionem febris ceſſarit extemplo vel eadem die, *ſiti quoque recedente, atque refecto appetitu cibi, ventris quoque officio parva atque concocta reddente, ipſius etiam puris albedine atque eodem colore in omnibus ſui partibus apparente, & cum lenitate ac ſine dolore ſuarum egeſtionum & ſi per ſuperna egeritur, ſine vehementi tuſſicula, neque coacervatim, ſed per partes excluduntur livida:* inter mala autem, ubi poſt puris eruptionem febris perſeveratit, & adfuerint præterea cibi faſtidium, & alvus fuſior, vel ipſius puris bilioſo vel livido colore coacervata, egeſtio, aut vehemens tuſſis, corpore morbo admodum languente. Celſus Libr. II. Cap. VIII. perhibet pus quacunque parte eruptum, ſi leve album & unius coloris fuerit, ſine ullo metu eſſe, & ſi eo effuſo febris protinus conquieverit, deſierintque urgere cibi faſtidium & potionis deſiderium: ſi quando etiam ſuppuratio deſcendat in crura, ſputumque ejuſdem factum pro rufo purulentum ſit, periculi minus eſſe. Et poſt quædam interjecta pergit. Quod ſi ne rupta quidem vomica, vel pure extrinſecus emiſſo, febris quieverit, aut quamvis quieverit, tamen repetat: item ſi ſitis adſit, ſi cibi faſtidium, ſi venter liquidus, ſi pus eſt lividum & pallidum, ſi nihil æger excreet niſi pituitam ſpumantem, periculum certum eſſe.

(437) Libro Prænotionum.

interire; juniores autem magis reliquis omnis generis ſuppurationibus. In ſuppuratione ex pleuritide exorta, ſi ægrotans intra XL dies, ex quo eruptio fuerit facta, per ſuperiora repurgetur, bonum: ſin minus, eum ad tabem tranſire. (438) Si a dolore diuturno partium circa ventrem ſuppuratio oriatur, malum hoc eſſe. (439) Si in jocinore vomica eſt, & ex ea fertur pus purum & album, ſalutem ei facilem eſſe: id enim malum in tunica eſſe: ſin vero pus cruentum exit, mortiferum eſſe. (440) Qui propter ſuppurationem vel uruntur, vel ſecantur pus evacuandi cauſſa, ſi id ex ea purum & album, & minime fœtidum, fertur, hos in tutum evaſuros; ſin vero cruentum, cœnoſum, & graveolens exit, tale lethiferum eſſe. Ex quorum vomica hepatis aduſta effunditur pus purum & album, bonæ id notæ eſſe; contineri enim pus in tunica: ſin vero amurcæ ſimile fertur, lethale

(438) Idem aphor. XV. Sect. V. Celſus Libr. II. Cap. VIII. laterum dolores ſuppuratione facta, deinde intra quadrageſimum diem purgata, finiuntur. Et poſt paulo. Ex ſuppurationibus, quas pulmonum morbi concitarunt, fere ſenes moriuntur, ex cæteris juniores. Et Aretæus Libr. II. Cap. I. de morb. acut. Quod ſi ad inteſtina aut veſicam ex lateris morbo ſanies derivetur, tunc quidem ægrotum continue a pulmonis vomica liberari; ſed diuturnum ulcus, quod demum ſaneſcet, in latere permanere. Quibus vero in pulmonem pus irrumpat, ex iis nonnullos ob ſubitaneam & copioſam effuſionem, & rejiciendi infirmitatem ſuffocari. Sin vero aliqui tale periculum ſubterfugerunt, hos tamen deinceps longo tempore pulmonis ulcere cruciari, & in phthiſin incidere; ſenes admodum paucos abſceſſu & phtiſi liberari: & a peripneumonia paucos florida ætate.

(439) Idem aphor. XXII. Sect. VII.

(440) Celſus Libr. II. Cap. VIII.

le id ipſum eſſe. (441) Ita etiam eos plerumque diem ſupremum obire, ex quorum ſuppurationem habentium uſtione, vel ſectione facta apertura, pus lutulentum & graveolens prodit. (442)

Puris & saniei differentia.

§. 48. Pus & ſanies non res eædem ſunt, ſed utraque quibuſdam proprietatibus inter ſe differunt. Nam ſanies ſanguine tenuior eſt, varie craſſa, & glutinoſa & colorata: pus autem craſſiſſimum albidiſſimumque & ſanguine & ſanie glutinoſius. (443) Differt etiam ſanies a ſputis purulentis colore, ſubſtantia, odore; ſanies enim frequenter tetri odoris eſt, & provenire ſolet ex ſuppuratione vel vomica: purulenta autem ſputa ſanie facilius admixtione aquæ ſolvuntur, & redduntur miteſcente vel declinante morbo. (444) Optimum pus eſſe, ſcribit Hippocrates (445) quod album, æquale, & læve, minimeque graveolens, quod huic e diametro oppoſitum eſt, id peſſimum eſſe. Et, ut fuſius dicam de purulentorum rejectionibus, quæcunque feruntur alba, concocta, inodora, lævia, rotunda & celerius expuun-

Pus quodnam bonum, aut malum?

(441) Hippocrates Libro Prænot. & aphor. XLIV. XLV. Sect. VII. & Coac. Prænot. §. 451. Galenus in prædictum aphoriſm. *Quibus in tunica eſt pus, nihil patiente ſubſtantia hepatis, ſalvantur omnes, quibus vero uſque ad carnem hepatis corruptio pertingit, non abſque ratione moriuntur.*

(442) Coac. Prænotion. §. 409. De uſtione, quomodo ea a veteribus inſtituebatur, ſatis ſuperque egi Cap. IV. §. 16. & deinceps.

(443) Celſus Libr. V. Cap. XXVI.

(444) Cæl. Aurelianus acutor. morb. Libr. II. Cap. XIV.

(445) Libro Prænotion. Et Galenus de different. febr. Libr. I. Cap. VI. optimum pus conſpectui album & craſſum, & quaquaverſum ſibi ſimile, quod tangenti lene ac minime fœtidum videtur.

puuntur, aut per alvum dejiciuntur, hæc tuta ſalutariaque ſunt; quæcunque vero admodum pallida, biliòſa & inæqualia, hæc prava ſunt; ſed dictis deteriora, quæ livida & atra: ſignificant enim putredinem, & ulcera exedentia. (446) Superſtites a rupta vomica futuros, ſcribit Hippocrates (447) quos febris eodem die, quo pus erupit, demiſit; qui cibum celeriter appetunt & ſiti liberantur; quorum venter exigua & coacta dejicit: quique pus album læve, unius coloris, ſine admixtione pituitæ, ſine dolore aut tuſſi vehementi excreavit. Morituros autem eos, ſi febris non finiatur, aut ſi finiviſſe videatur, ea revertat; ſi ſitis urgeat, ſi appetitus proſtratus, ſi alvus liquida dejecerit, ſi pus ex viridi pallidum & lividum, aut pituita permixtum & ſpumoſum, expuitur. Si quando ex his alia uſu veniunt, alia minime, de talibus ægris aliqui quidem moriuntur brevi: aliqui autem longo temporis intervallo ſuperſunt. Lethiferum etiam ſignum habetur, ubi ſpecillum, quo ad puris eductionem utuntur, a pure, velut ab igne coloratur. (448) Perniciem celerem denotat, ſi pus a tabido in aquam marinam exputum, fundum petat. (449) De cætero id, quod in pus vertitur, morbi reverſionem non facit. Habet namque ipſa coctio, quam Graji πεπασμὸν nominant, quandam ju-

(446) Aretæus de ſign. & cauſſ. diut. morb. Libr. I. Cap. IX.

(447) Libro Prænotion.

(448) Idem Coac. Prænotion. §. 410.

(449) Ibidem §. 435.

judicationis pariter & excretionis rationem. (450) Ex uſu eſt, imo morbum ſolvit, ubi in Cephalæa vehemente pus per aures aut nares effluxerit. (451)

Lumbricorum genera.

§. 49. Medici in excrementorum numero collocant lumbricos, qui alvum ſeu interanea occupant; hique modo ex inferioribus partibus, modo fœdius ore redduntur. (452) Tres eorum in univerſum ſpecies ſunt: alii enim teretes. i. e. longi & rotundi: alii longi & lati ſunt, Græci eos vocant κειρίας & ταινίας, quoniam faſciis ſeu tæniolæ ſimiles: alii breves & minutulis vermiculis ſimiles, ἀσκάριδες a Græcis appellantur. (453) Eſt etiam in colore differentia; alii enim ſanguinei, alii fulvi, alii albi. Excluduntur quoque aliquando ſingulares, aliquando connexi in ſphæræ ſimilitudinem, aliquando plurimi amplexu mutuo vincti, & tum aut vivi ſunt aut mortui: pleni aut inanes. (454) Ex ipſis majores minoribus, multi paucis, rubri albis, viventes mortuis, (455) & lati teretibus pejores ſunt. (456)

Signa lumbricorum.

§. 50. Lumbricos in inteſtinis eſſe quibuſ-

(450) Idem de morb. vulg. Libr. VI. Sect. III. §. 7.

(451) Idem Libro de Judicationib.

(452) Celſus Libr. IV. Cap. XVII. & per nares nonnunquam lumbricos excluſos Medici atteſtantur, ut Aurel. Ægineta &c.

(453) Galeni introduct. Cap. XXIV. & Ægineta Libr. IV. Cap. LVII.

(454) Cæl. Aurelianus Chronic. Libr. IV. Cap. VII.

(455) Ætius Tetr. III. Serm. I. Cap. XXXIX. & Actuarius Meth. Med. Libr. I. Cap. XXI. deteriores, ſcribit, eſſe, qui leviter rubent, quique inter morbi initia apparent.

(456) Celſus Libr. IV. Cap. XVII. & Serapion Tract. III. Cap. XXIX. ſcribit, latos rotundis deteriores eſſe; minus noxioſos autem eſſe, qui parvi ac graciles ſunt.

buſdam notis, quas generales vel communes vocant, deprehendimus. In harum numero ſunt facies pallida vel livida, oculi ſplendentes, ſudores nocturni, fames ingens a ſomno, copioſæ ex ore ſalivæ inter dormiendum fluxus, dolor ventris quando æger edit, ſtridor dentium, linguæ labrorumque interdiu ſiccitas, ſitis intenſa, alvus fuſa, urina alba, ſpumea, turbida. Ubi admodum torquetur, loquendi impotentia, animæque defectio nonnunquam oboriri ſolent. (457) Singulariter autem eos, qui lumbricos longos & rotundos habent, inſequitur inteſtinorum ac ventris morſus, tuſſicula ſicca, frequenter irritans. In ſomno tremunt, & præter rationem ſurgunt, & quidem cum clamore, & poſt paulo rurſus indormiunt, febrem habent nullum typum ſervantem, invadentem cum partium extremarum frigore & pulſu inæquali. Interdum urget alvi profluvium cum cibi faſtidio & debilitate virium, macie & faciei pallore. Peſſime ſe habent, qui animo deficiunt, ingemiſcunt, aut dentibus frendent, aut proni cubant, præter conſuetudinem dormiunt, ex improviſo & derepente clamant, nares aſſidue ſcalpunt, ex ore anhelitum acrem emittunt. Quidam linguam exerunt, claudunt oculos, ac taciturni ſunt, & ob imbecil-

(457) Alſaharavius Practic. Tract. XVII. Sect. II. Cap. IX. Avicenna Libr. III. Fen. XVI. Tract. V. Cap. III. addit vermes quandoque inferre, ut æger ſit iracundus, rixoſus, mente alienetur, linguam exerat, os moveat, quaſi aliquid continue mandat, noctu inprimis dentibus frendeat, inhorreſcat, pavidi inſtar ſubſiliat, vociferetur, de eo, qui ſe cuſtodit, iraſcatur &c. *Voyez Monſ. Andry de la generation des vers.* Chap. V. artic. II.

cillitatem vigilare vix queunt. Alii oculos ſanguine ſuffuſos habent, & genas rubicundas, quæ tamen deinceps ſolito magis pallent. Alii perigrina delirantium inſtar in ſomno fabulantur. Alii cibum averſantur, & ſi quem ceperint, poſſunt eum vix citra nauſeam glutire: imo eum aliquando protinus vomitu rejiciunt. In quibuſdam venter in modum tympani inflatur, ac illuviem dejicit. (458) Si lumbricus latus fuerit, qui hominem exercet, hæc ſigna potiſſimum adſunt, ut gracilitas corporis, & laſſitudo ſine prævia exercitatione, & fames aſſidua, & ponderis alicujus ſub umbilico ſenſus, ubi jejunus fuerit, dolor maxime circa hepar eſt, nonnunquam vocis defectio oritur, ex ore copioſa ſputa feruntur, quæ paulo poſt ſiſtuntur, venter ſubinde doloribus torquetur. Singulare autem eſt in hoc affectu, recrementa cucumeris vel cucurbitæ ſemini ſimilia per alvum reddidiſſe. (459) Incredibile auditu, quod refert Plinius, (460) intra hominem tænias tricenum pedum, aliquando & plurium longitudine, inventas. Aſcaridum præſentiam manifeſtat vehemens cir-

(458) Ægineta Libr. IV. Cap. LVII. Ætius loc. cit. Garioponti Libr. III. Cap. XXIII. Cæl. Aurelianus Chronic. Libr. IV. Cap. VII. Conſtantinus Afer de morb. cogn. & cur. Libr. IV. Cap. XIIX. Rhaſis Diviſion Libr. I. Cap. C.

(459) Ætius, Ægineta loc. cit. Hippocrates Libr. IV. de morbis. Ariſtoteles Libr. V. Cap. XIX. de Hiſt. Animal. putat pleraſque vermium ſpecies ex rebus putrefactis progigni; dempto lumbrico lato, quem parere cucumeris ſemini ſimile, quo indicio Medicos id genus lumbrici corpori ineſſe, intelligere. Verum Hippocrates, & multi recentiores hanc opinionem rejiciunt.

(460) Hiſtor. Natur. Libr. XI. Cap. XXXIII.

circa extremas inteſtini recti partes pruritus, qui pueros maxime ad exonerandum alvum jugiter irritat. Ab alvi autem dejectione hi melius ſe habent. (461) Autumnum, Hippocrates autumat, (462) ſua feritate & malignitate in interaneis maxime animalia, i. e. lumbricos progignere oriſque ventriculi dolorem, quem tamen in ejuſmodi morbo minus infeſtare. Mirum aſcarides circa veſperam potiſſimum affligere. Evenire autem id ipſum non ſolum doloris ratione, quem tunc temporis ſolere magis urgere, ſed ſuopte quodam impetu aſcarides infeſtare.

§. 51. Quoniam lumbricis de variis accidentiis cum quibuſdam morbis convenit, a veteribus obſervata ſunt ſigna quædam, quibus lumbricos ab aliis corporis affectibus dignoſcimus v. g. Apoplecticus ab initio conqueſtus eſt de capite male ſe habente; quem lumbrici exercent, conſequitur ventris inteſtinorumve ſuppreſſio. Ab epileptico hic differt ratione ſpumæ, circa illius os excluſæ. Ab vulvæ ſtrangulatu ratione ætatis, & antecedentis matricis affectus, qui dum præcipue verſus ſuperiora tendit, in cauſſa eſt, ut obmuteſcat ægra: cum e contrario, quæ lumbricos habet, tale patitur ætate nondum conſiſtente, & cruciamento potius verſus infe-

Signa, quibus lumbricos ab aliis corporis affectibus diſtinguimus.

(461) Ætius Tetr. III. Serm. I. Cap. XLI. Ægineta Libr. IV. Cap. LVIII. Haly Libr. IX. Cap. XXVIII. Garioponti loc. cit. *Ex aſcaridibus vexatos apprehendimus, ex pruritu longanonis, & per ventrem ſolutio morborum decurrit, & donec egerantur, clunium gravedinem ſentiunt, cum pallore corporis & morſu atteſtante.*

(462) Aphor. XXVI. Sect. III. de morb. vulg. Libr. II. Sect. I. §. III. & Lib. VI. Sect. I. §. 13. 14. de morb. vulg.

ſeriora, ad ventrem nempe vel inteſtina, tendente. Loquendi impotentia ſolet aliquando vel catalepſi, vel lumbricis laboranti accidere: uter affectus autem illius cauſſa ſit deprehendimus febre, pulſu magno; cum ex adverſo is, quem lumbrici exercent, febre caret, habetque pulſum parvum ac crebrum. Ab Iliaca paſſione diſcernuntur, qui lumbricis excruciantur, ratione alvi muniis ſuis fungentis: item hi pallidi ſunt, aut præter conſuetudinem cubant proni, dormiuntve cum gemitu, & irrationabili exclamatione. A tabidis diſtinguuntur ratione torminum vel doloris ſeu ventris ſeu inteſtinorum, quo lumbricos habentes torquentur; illi vero minime. A nimio cibo repletis, qui per ſomnum labia inſtar ſorbentium conducunt, vel ſine ratione exiliunt, quod & lumbricos habenti commune eſt, diſtinguitur hic, quod illi cibi detractione releventur, hic vero ciborum parcitate magis vexetur. A ſtomachicis diſcernitur lumbricos habens, ratione tumoris juxta regionem ſtomachi, quem tumorem illi quidem, ſed hic non nanciſcitur, verum potius inteſtinorum tormenta ſuſtinet: abs quibus tamen illi plerumque immunes ſunt. (463)

Prædictiones ex lumbricis.

§. 52. Quod ad prognoſin attinet, Hippocrates ſtatuit (464) ex uſu eſſe, ubi lumbrici

(463) Cæl. Aurelianus & Gariopontus locis paulo ante citatis.

(464) Libro Prænotion. & Libro de Judication. Item Celſus Libr. II. Cap. III. *Lumbricos quoque aliquos ſub fine morbi deſcendiſſe nihil nocet.* Cæl. Aurelianus videtur locum Hippocratis aliter, ac jam extat, legiſſe. Scribit enim lumbricos ſignificare interfectionem ægro-

brici teretes, morbo ad judicationem procedente, prodeant. Ex veteribus Diocles ſtatuit, nihil alienum ſignificare nec abſurdum eſſe, lumbricos evomere. Salutare quoque eſſe ſi mortui & inanes: pernicioſum vero ſi vivi pleni, ſanguinei, per inferiora deſcendant. Apollonius Memphites & Chryſippus Aſclepiadis ſectator placitum Dioclis contradicebant; & id, quod ipſi oppoſitum, tenebant. Herophilus non incongruens eſſe decernebat ſive mortui ſive viventes lumbrici excludantur. Cæl. Aurelianus ſtatuit lumbricos generatim corruptionem quandam ſignificare, ſanguineos excluſos coctionis debilitatem. Ubi in augmento acceſſionis febrium excludantur, privatim vero ſi ſanguinei fuerint, oſtendere tales partium altiorum turbamentum: in declinatione vero laxamentum; ſicut cætera ut ſtercorum, vel urinæ, vel quorumlibet officiorum egeſtio. (465) Aſcarides, ſi etiamnunc parvi, non adeo nocivos, verum ſi magni, omnibus deteriores eſſe, judicat Sennertus. (466)

§. 53. Hippocrates Medicis ſuadet lacrymas conſiderare num voluntarie, aut ſine voluntate; an eæ multæ aut paucæ: an calidæ aut frigidæ, ex oculis emanent: & præterea de earum craſſitudine & ſapore inquirere. (467) Illachrymare enim volenti nihil mali portendere, at ſi ſine voluntate uſu veniat, Ex lacrymis,

ægrotantis; quoties mortui fuerint excluſi omnibus in morbis.

(465) Idem ibidem.

(466) Praxeos Lib. III. Part. II. Sect. I. Cap. V.

(467) De morb. vulg. Libr. VI. Sect. VIII. §. 23.

niat, malum eſſe. (468) Ex quorum febrem ardentem habentium oculis lachrymæ citra voluntatem emanant, dum cætera modo non fuerint exitiabilia, in his ſanguinis e naribus profluvium eſſe expectandum: in iis autem, qui deteriori conditione fuerint, non ſanguinis eruptionem, ſed mortem, portendere. (469) Iſtud quoque, quod in oculis, tenuiſſimæ lanugini, aut aquarum aſpergini ſimile, ἄχνη Græce dicitur, areſcit, malum in morbis acutis ſignificare. (470) Malum itidem eſſe, ubi oculis gramia vel parvæ ſordes adhæreſcant; aut ſi habeant albidum humorem concretum & tenuem, αἰγίδαν vocant. (471)

Ex aurium ſordibus, lacte, & Semine genitali.

§. 54. Quoniam de cæteris, quæ aliquando excernuntur, paucæ prædictiones proſtant; ea propter has conjunctim hoc paragrapho tradam. Aurium ſordes, ubi in ægroto dulces fuerint, mortem portendunt: ubi amaræ; minus periculi eſt. (472) De Lacte hæc habet Hippocrates: ſi mulier, quæ nec gravida eſt nec puerpera, lac habeat, ei ſanguis per menſtrua non reſpondet. Si ex mammis gravidæ multum lactis effluxerit; ſignificat id fœtum eſſe infirmum.

(468) Idem de morb. vulg. Libr. IV. §. 10. aphor. LII. Sect. IV. & §. 2. Sect. VIII. Et Celſus Libr. II. Cap. IV. inter mala ægrotantium ſigna refert, ſine voluntate lacrymare.

(469) Idem de morb. vulg. Libr. I. Statu III. §. 6.

(470) Idem de morb. vulg. Libr. VI. Sect. I. §. 16.

(471) Idem Coac. Prænot. §. 218. & Libro Prænot. in malis ſignis annumerat, ſi lippientium oculorum ſordes circa eorum aciem appareant. Celſus Libr. II. Cap. VI. inter mala refert, ſi pituita in oculis innatans, noviſſime angulis inhæreſcit.

(472) Hippocrates de morb. vulg. Libr. VI. Sect. V. §. 18.

mum. (473) De ſemine genitali hæc. Quibus nares natura ſunt humidiores, & genitura eſt humidior, hos minus proſperam valetudinem nactos, quam qui contrario modo ſe habent, quos idcirco fore ſalubriores. (474)

(473) Sect. v. aphor. xxxix. lii.

(474) Idem Sect. vi. aphor. ii. & de morb. vulg. Libr. vi. Sect. vi. §. 2. dictis ſubjungitur. *Plurimi autem, quibus ex morbo iſtud accidit, contra ſe habent.*

CAPUT VIII.

De ſignificatione eorum, quæ corporis in ſuperficie deprehenſa ſunt.

§. 1. HIppocrates ſuadet Medicis colores, ex his, quæ præſentia ſunt & quieſcunt, conſiderare. Namque colores neque in anni tempeſtatibus, neque in borealibus, neque in auſtralibus conſtitutionibus, neque in ætatibus, neque cum aliquis ſibi ipſi, aut idem cum altero conferatur, ſimiles eſſe. (1) Juvenes, ſive viri fuerint, ſive fœminæ, ſi diu colorem fœdum, non tamen continenter inſtar ictericorum, habeant, ſignum hoc eſſe, eos capitis dolore conflictari, & lapides ac terram edere, aut hæmorrhoidarum pati profluvium. Verum ubi colores cum virore pallidi ſine vehementi morbo regio diuturni fuerint, ægrotos

Prognoſtica colorum exterioris corporis.

(1) Hippocrates Libro de Humorib.

tos quidem neu lapides neu terram edere; ſed antedicta pati; imo præcordiorum dolores eos magis vexare, quam cæteros. Quibus diu facies fuerit pallida tumidaque, eos aut capitis aut viſcerum dolore torqueri, aut ſedem internam habere quodammodo male affectam. (2) Inter ſigna, quæ graviſſimum periculum portendunt, refert totius faciei colorem ex viridi palleſcentem, aut etiam nigrum, aut lividum aut plumbeum. Verumtamen, antequam Medicus ſententiam proferat, inquirat prius, num ægri facies taliter per initia morbi fuerit colorata; an vigilaverit, an alvus fuerit liquida, an inedia præceſſerit. Quod ſi aliquid horum æger fateatur, malum minus, quam alias, oportet formidare. (3) Ubi in febricitante partes corporis exteriores livent, per hoc ſignificari mortem in propinquo eſſe. (4) Ex colorum mutationibus Galenus (5) eam judicat peſſimam, quoties color in nigredinem vergat, quam a ſanguine refrigerato oriri. Non adeo extimeſcendum, ſi ad viriditatem, χλωρὸν Græci vocant, tendat. Si color alius ex alio fit, ſignum hoc eſſe morbi longi. (6)

§. 2.

(2) Idem Libro Prædict. II. §. 29. Celſus Libr. II. Cap. VII. *Quibus diu color ſine morbo regio malus eſt, hi vel capitis doloribus conflictantur, vel terram edunt. Qui diu habent faciem pallidam & tumidam aut capite, aut viſceribus, aut alvo laborant.*

(3) Hippocrates Libro Prænot.

(4) Idem Coac. Præn. §. 66.

(5) Comm. I. §. 10. in Prognoſtic. Hipp. χλωρὸν, ſcribere pergit Galenus, veteres nonnunquam appellaſſe pallidum colorem, interdum braſſicam & lactucam χλωρὰς. i. e. virides ſeu herbidas nominaſſe: cujuſmodi colorem rubido eſſe nigriorem, eſſeque quaſi initium quoddam nigri ac lividi, quem frigus perinde quaſi nigrum effecit.

(6) Hippocrates aphor. XL. Sect.

§. 2. Et ipſa cutis nonnunquam a Medico conſpicienda eſt. Hæc enim, ubi rara fuerit, alvi denſitatem; ubi coarctata, carnis incrementum, efficit. (7) Et alibi Hippocrates literis prodidit (8) corporis, i. e. cutis, raritatem ad διαπνοήν. i. e. perflatum conferre: quibus hoc pacto multum auferatur, eos ſalubriores. Corporis denſitatem, quoniam minus perflabilis materiæ tranſmittatur, inſalubriorem eſſe. Quorum in corpore dicta materia probe perflat, eos imbecilliores & ſalubriores eſſe, prompteque reſtitui: at in quibus perflatus talis parcior contingat; eos quidem prius quam ægrotent, robuſtiores eſſe; verum ubi in morbum aliquem inciderint, difficilius a morbo convaleſcere. Quin etiam eos, quorum cutis arida ac denſa eſt, ſine ſudore; aſt quorum laxa ac rara, cum ſudore mori. (9) Cutem corporis ſqualidam, & plus æquo ſiccam, indicem male affectæ alvi eſſe. In his oppido rubras caruncululas purulentas ex alvo fere prodire. (10) In ſignis malis adnumerat Avicenna (11) ſi cutis arida ab aliquo extenſa

Cutis omnifariam affecta quid ſignificat.

Sect. IV. & aphor. LX. Sect. VII. & Libr. de Criſib. Dictis adverſarium eſt decretum, quod extat Coac. Prænot. §. 124. *Frequens coloris cum calore mutatio, bono eſt.*

(7) Hippocrates de morb. vulg. Libr. VI. Sect. III. §. I. ſubjungit præterea ventris torporem, qui adeſt (ut Galenus de hoc loco commentatus eſt) ſi cibi non rite mitigentur, quem deinceps inferre omnium confuſionem & vaſculorum immunditiem.

(8) Libro de alimentis.

(9) Idem de morb. vulg. Libr. VI. Sect. VI. §. 15. & aphor. LXXI. Sect. VII.

(10) Idem Coac. Prænot. §. 625.

(11) Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XLIII. Et Hippocrates Libr. VI. Sect. IV. §. 27. de morb. vulg. inter ſigna mortifera refert vaporem calidum

tenſa non priſtinum ſitum occupet. Perniciem itidem minitari, ſcribit, ſi ex cute vapores calidi exeant, & ex ore anhelitus frigidus.

Puſtula quid? ejus ſpecies.

§. 3. Ad Corporis ſuperficiem etiam ſpectant puſtulæ, tubercula, tumores &c. quæ interiùs corrupta aliqua corporum parte naſcuntur. Agam primo de quibuſdam puſtularum ſpeciebus, cætera deinceps tractabo. Vocabulo puſtulæ Medici ſignificant exulcerationes corporis in ſuperficie enatæ, ſubrubicundæ, aſperæ. (12) Ex his aliæ latæ, aliæ ſublimes ſunt. (13) Plura earum genera tradit Celſus. (14) Etenim modo circa totum corpus partemve aſpredinem quandam fieri, ſimilem iis puſtulis, quæ ex urtica vel ex ſudore naſcuntur: hujuſmodi a Græcis ἐξανθέματα vocari, eaque modo rubere, modo colorem cutis non excedere. Nonnunquam plures ſimiles varis (15) oriri: nonnunquam majores puſtulas lividas, aut pallidas, aut nigras, aut aliter naturali colore mutato, ſubeſſeque his humorem. Ubi hæ ruptæ ſunt, infra quaſi exulceratam carnem apparere, Φλύκταινας Græce nominari. Φλυζάκιον paulo duriorem puſtulam eſſe, ſubalbidam, acutam, ex qua ipſa quod exprimitur humidum eſſe. Peſſimam puſtulam eſſe, quæ ἐπινυκτὶς vocatur. Eam colore, vel

ſidum per cutem emanantem, ſi utpote nares prius ſpiritum frigidum emiſerint.

(12) Ægineta Libr. III. Cap. XXI.

(13) Galenus in aphor. IX. Sect. VI. Hipp.

(14) Libr. V. Cap. XXVIII.

(15) Vari autem ſunt parvi ac duri circa faciem tumores. Ægineta Libr. III. Cap. XXV.

vel ſubalbidam, vel ſubnigram, vel albam eſſe conſueviſſe. Circa hanc autem vehementem inflammationem eſſe, & quum adaperta eſt, reperiri intus exulcerationem mucoſam. Colorem humori ſuo eſſe ſimilem. Dolorem ex ea ſupra magnitudinem ejus eſſe: neque enim eam faba majorem eſſe. Atque has quoque oriri in eminentibus partibus, & fere noctu. Unde nomen quoque a Græcis ἐπινυκτὶς impoſitum eſſe. (16) Referuntur etiam ad puſtularum genus pſydracia & papulæ. Pſydracia ſunt parvæ extuberationes puſtulis ſimiles, cutis in ſuperficie extantes. (17) Papulæ, a Græcis ἐκθύματα. dictæ, ſunt quæ ſponte in cute extuberant. (18) Celſus papularum duo genera eſſe commemorat: (19) alteram eſſe, in qua per minimas puſtulas cutem exaſperari, & rubere, leviterque rodi; medium habere pauxillo levius; tarde ſerpere; idque vitium maxime rotundum incipere, eademque ratione in orbem procedere. Alteram autem eſſe, quam Græci ἀγρίαν, i. e. feram, appellant. In hac ſimiliter quidem, ſed magis, cutem exaſperari, exulcerarique, ac vehementius & rodi, & rubere; interdum etiam pilos remittere.

§. 4.

(16) Ætius Tetr. IV. Serm. II. Cap. LXI. ſcribit epinyctides eſſe ulcuſcula ſponte erumpentia, puruloſa, ſubrubra, quibus ruptis ſaniem cruentatam effluere. Hæc interdiu non valde infeſtare, noctu autem majorem dolorem, quam magnitudo ulceris poſtulat, excitare. Eadem Ægineta Libr. IV. Cap. IX.

(17) Ægineta Libr. III. Cap. III.

(18) Galenus in Libr. III. Hipp. de morb. vulg. Comm. III. §. 51.

(19) Celſus Libr. V. Cap. XXIIX.

Prognoſtica puſtularum.

§. 4. Quod ad prædictiones ex puſtulis pertinet, Hippocrates obſervavit exanthemata lata non admodum prurire. (20) Ubi ſumma cute leviter lacerata aut vellicata erumpant, denunciare hæc totius habitus tabem & corruptionem. (21) Quibus Φλυζάκια per febres continuas toto corpore erumpant, mortem iis portendere, niſi aliquid ſuppuret. In his vero præcipue ad aures exoriri tubercula ſolere. (22) Φλύκταινας aliquantulum lividas ex laſſitudine non vehemente ad ſeptimum diem pervenire & matureſcere: albas & magnas fere improbari in catocho affectis, in ſomniculoſis, inque his, quibus corporis moles haud conſidat, & bilis reſtitet, atque etiam ubi non conſidant alvo ſive fuſa ſive ſuppreſſa. (23) Quibus ad articulos in ſuperficie Φλύκταιναι admodum rubræ fuerint, ac ſubinde rigeant, iis velut ex acceptis plagis cum dolore ventrem & inguina rubeſcere, ac hos tandem hoc pacto perire. (24) Ex papulis, quæ minus rotunda eſt, difficilius ſaneſcit: niſi ſublata eſt, in impetiginem vertitur: ſed levis papula, etiamſi jejuna ſaliva quotidie defricatur, ſaneſcit. (25) Ex puſtulis purpureæ rubris deteriores ſunt, peſſimæ omnium habentur nigræ, hæ quippe mortem plerumque denuntiant. Quæ ἵδρωα Græce, & a Medicis noſtris *ſudamina* no-

(20) Aphoriſm. IX. Sect. VI.
(21) Coacar. Prænot. §. 444.
(22) Ibidem §. 114.
(23) Idem de Morbis. Vulgarib. Libr. IV. §. 6.
(24) Idem Coac. Prænot. §. 489.
(25) Celſus Libr. V. Cap. XXVIII. §. 17.

nominantur, hæc nihil mali portendunt quidem, verum nonnunquam ea ſcabies quædam inſequitur. (26) Puſtula ciceri ſimilis, in febribus acutis oborta malum ſignificat; in primis vero ſi in fine ægritudinis plures exoriuntur. Mali ominis itidem eſt puſtula, quæ in morbo apparet & in profundum tendit: interdum tamen talis robur naturæ indicat. (27) Et ut ſigillatim dicam, puſtula nigra in pollice manus ſiniſtræ enata ſignificat, ſi mentis alienatio inſuper adfuerit, ægrum brevi moriturum. Eadem ratio eſt linguæ puſtulæ in febre acuta exortæ. Si ſub alicujus doloribus conflictati coſtis ſiniſtri lateris apparuerit puſtula, hæcque ſubito evanuerit, is tertia die morietur. Si in pollice manus dextræ aliqua fœdi coloris emergat, mortem intra annum portendit. (28) In ſumma, puſtulæ nigræ vel virides mortiferæ habentur; præſertim vero, quæ in febribus naſcuntur. (29)

§. 5. Capite ſeptimo §. 41. & reliquis, de tumoribus deque tuberculis, quæ abſcedere ſolent, ſcripſi. Impræſentiarum tradam quædam generalia, ad dictorum naturam declarandam & ad prædictiones, ſpectantia. Tumor, quem Græci *ὄγκον* vocant, univerſe

Tumor quid, & ejus ſpecies.

(26) Actuarius Method. Medend. Libr. I. Cap. XXIII.

(27) Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. LXI. LX.

(28) Alſaharavius Theoric. Tract. VI. Cap. XIX.

(29) Libro, qui titulo ſecretorum Hippocratis ſuperbit, Qui plures ex puſtulis prædictiones ſcire avet, is pervolvat libellum, cujus titulus eſt *Capſula eburnea*, quam fabulantur Hippocratis in ſepulchro inventam. Nos enim tædet eorum, quæ incredibilia ac aniles fabulæ videntur, hoc loco mentionem facere.

ſe nominatur ſpatium longitudinem latitudinem & profundum habens. A Medicis autem ſpeciatim tumor dicitur ſi vel univerſum corpus, vel aliqua ejus pars, præter naturam a naturali magnitudine recedit. (30) Hippocrates, & alii Medici, qui antiquitus vixerunt, per tumorem & œdema idem ſignificabant: juniores vero triplicem differentiam in tumoribus poſuerunt, nominaruntque tumorem cum dolore, phlegmonem; eum, qui ſine dolore & durus, ſcirrhum; & eum, qui ſine dolore & mollis eſt, Oedema, i. e. tumorem laxum. (31) Incredibile, & ſimile portenti eſt, quantum has ternas tumorum ſpecies poſteri multiplicarint. Unus *Ingraſſias* CCXXVI. tumorum ſpecies, a Medicis diverſis memoratas, recenſuit, quas, quia a propoſito noſto declinandum eſſet, ſupervacuas duxi commemorare. (32)

Phyma quid?

§. 6. Vocabulo tuberculi, quod Græcis Φύμα dicitur, Hippocrates varie uſus eſt. Aliquando ſuppurationem vocat tuberculum: (33) interdum tumores corporis in ſuperficie extuberantes, quamvis lati, pauloque naturalibus partibus elatiores, fuerint, nomenclatione tuberculorum cooptat. (34) Nonnunquam ἀκροχορδόνα, (35) & ſtrumam

(30) Galenus Libro de tumorib. Cap. I.

(31) Idem in aphor. Hipp. LXV. Sect. VI. & in aphor. XXXIV. Sect. IV.

(32) Si quis eas ſcire cupit, is legat Sennerti Prax. Libr. V. Part. I. Cap. I.

(33) Galenus in Hipp. aphor. VIII. Sect. VII.

(34) Idem in Libr. VI. Hipp. de morb. vulg. Comm. I. §. 13.

(35) Ἀκροχορδόνα Græci vo-

mam (36) tubercula nominat. In primis vero inflammationes ſponte ac celeriter natæ, quæque derepente in cacumen faſtigiantur, & ſubito ſuppurant, tubercula appellantur. Generantur autem præcipue in partibus, ubi plures ſunt *adenes* i. e. glandulæ ſub axillis, inque inguine: cujuſmodi natura ita comparatæ, ut prompte humorum ſuperfluitatem excipiant. (37) Tubercula orientia, Celſo auctore, (38) Φύματα vocantur. Idem alibi (39) monumentis prodidit, Φύμα nominari tuberculum furunculo ſimile, ſed id rotundius & planius, ſæpe etiam majus eſſe. Nam furunculum (qui eſt tuberculum acutum cum inflammatione, & dolore, maximeque ubi jam in pus vertitur) magnitudinem ovi dimidii raro explere, nunquam excedere: phyma autem latius patere conſueviſſe, ſed inflammationem doloremque ſub eo minores eſſe.

§. 7. Capite antecedente §. 41. prædictionum quarundam ex tumoribus & tuberculis, ad abſcedendum natis, mentionem feci; memorabo nunc, quæ reſtant. Hippo- Prognoſtica quorundam tumorum.

vocant, ubi ſub cute coit aliquid durius, *& interdum paulo aſperius, coloris ejuſdem, infra tenue, ad cutem latius: idque modicum eſt, quia raro fabæ magnitudinem excedit. Plura fere eodem tempore naſcuntur, maximeque in pueris: eaque nonnunquam ſubito deſinunt, nonnunquam mediocrem inflammationem excitant. Sunt quæ etiam in pus convertuntur.* Celſus Libr. V. Cap. XXVIII. §. 13.

(36) Struma eſt tumor, in quo ſubter concreta quædam ex pure & ſanguine, quaſi glandulæ oriuntur. Ibid. §. 7.

(37) Galenus in aphor. Hipp. XXVI. Sect. III.

(38) Libr. V. Cap. XIIX.

(39) Ibidem Cap. XXVIII. §. 8. 9. Ægineta Libr. IV. Cap. XXII. tuberculum, ſcribit, eſſe glandularum inflammationem, cito ad ſuppurationem tendentem.

pocrates bonum judicat, ſi tumor in collo angina laborantis exoriatur: morbum enim foras verti. (40) Quinimo tumorem foras in ſublime elatum, Aretæus ſcribit, (41) à pulmonis inflammatione liberare, eum vero, qui intus eſt abditus, in angina peſtiferum eſſe. Tumores ventris alvo liquida in altum cum doloribus ſublati, mali ſunt: pejores ſunt, qui alvo ſuppreſſa ſublati, dum ne quid aliud innovetur; celeriter enim rumpuntur. (42) Perniciem denotant manuum ac pedum tumores cum rubore. (43) Si febre ardente laboranti tumores cum ſomnolentia & torpore obveniunt: & præterea lateris dolor cum levi partis alicujus ſideratione, mortiferum eſt. (44) Laxos molleſve tumores, bonos Hippocrates putat, crudos vero, id eſt duros, ſeu renitentes, malos. Si in vulneribus magnis & pravis tumores non appareant, malum eſſe ingens. (45) Quibus tumores in ulceribus appareant, eos non valde convelli, neque inſanire: verum ubi tumores, qui in poſtica parte fuerint, derepente diſparuerint, fieri convulſionem & tetanum: ubi in anteriore evanuerint, futuram eſſe inſaniam, vel dolo-

(40) Aphoriſm. XXXVII. Sect. VI.

(41) De curat. morb. acut. Libr. I. Cap. VII.

(42) Hippocrates Coacar. Prænot. §. 622.

(43) Coacar. Prænot. §. 63.

(44) Ibidem §. 60.

(45) Aphoriſm. LXVII. LXVI. Sect. V. Pro vulneribus pravis Galenus habet, quæ in capite & fine muſculorum, & maxime nervoſorum; eveniunt. Celſus Libr. V. Cap. XXVI. §. 23. De vulnerum tumore hæc habet. Nimis intumeſcere vulnus, periculoſum: nihil intumeſcere, periculoſiſſimum eſt. Illud indicium eſt magnæ inflammationis, hoc emortui corporis.

lorem lateris acutum, vel ſuppurationem, vel inteſtinórum difficultatem: maxime vero, ſi tumores fuerint rubicundi. (46) A Celſo memoriæ traditum eſt, in articulorum vulnere, quamvis nervus non abſciſſus, ſi circa tumor diu permanet, neceſſe eſſe & diuturnum ulcus eſſe, & ſano quoque eo tumorem permanere, futurumque eſſe, ut tarde membrum id extendatur vel contrahatur. (47) In lippitudine tumorem magnum, ſi ſine dolore eſt, & ſiccus, ſine ullo periculo eſſe: ſi ſiccus quidem, ſed cum dolore eſt, fere exulcerare, & nonnunquam ex eo caſu fieri, ut palpebra cum oculo glutinetur. (48)

§. 8. Ex tuberculis Hippocrates meliora æſtimat, quæ foras extuberant, & in mucronem quaſi faſtigiata, quæque æquabiliter matureſcunt, neque in ambitu dura & deorſum tendunt, neque bifida ſunt; quæ his contraria, mala: peſſima autem, quæ plurimum diſtant. (49) In febribus longis aut tubercula, aut dolores ad articulos provenire, non temere eſſe, ut talia exoriantur. (50) Eos autem, quibus ejuſmodi contin- Tuberculorum.

(46) Aphoriſm. LXV. Sect. V. Celſus Libro II. Cap. VII. hunc aphoriſmum ita e Græco in Latinum convertit. *Si tumores ſuper ulcera ſubito eſſe deſierunt, idque a tergo incidit vel diſtentio nervorum, vel rigor timeri poteſt: at ſi a priori parte id evenit, vel lateris acutus dolor, vel inſania expectanda eſt. Interdum etiam hujuſmodi caſum, quæ tutiſſima inter hæc eſt, profuſio alvi ſequitur.*

(47) Celſus Libr. V. Cap. XXVI. § 24.

(48) Idem Libro VI. Cap. VI.

(49) De morbis vulgarib. Libr. VI. Sect. I. §. 12.

(50) Idem Coac. Prænot. §. 118. Et aphor. XLIV. Sect. IV. & aphor. LXV. Sect. VII. *Quibus febres longæ ſunt, his aut tubercula, aut ad articulos dolores fiunt.*

tingunt, copioſiori cibo uti. (51) Quibus per febres tubercula in cruribus oriantur, hæcque tractu temporis, perſeverante etiam febre, haud matureſcant, & circa fauces, nullo tumore præſente, ſuffocatio incidat, tuberculis interea non concoctis, ſed extinctis, in his ſanguis e naribus effluere conſuevit. (52)

Varicum. §. 9. Venæ latiores in fœmore & cruribus a Medicis varices nominantur. (53) Hi, ubi in calvis apparent, niſi magni fuerint, portendunt inſaniam. (54) Inſanientibus autem ſi varices aut hæmorhoides ſupervenerint, ſignificant inſaniæ ſolutionem. (55) In calvis non magni naſcuntur varices. Quod ſi eis ſupervenerint, rurſus capillati fiunt. (56) Ubi varices in articulorum dolore & in podagra apparent, bonum eſt; liberant enim ægrum a dictis morbis. (57) Si varix ad teſtem ſeu dextrum ſeu ſiniſtrum enatus, li-

(51) Aphoriſm. XLV. Sect. IV. & LXVI. Sect. VII.

(52) Idem de Rat. Vict. in morb. acut.

(53) Galenus in aphoriſm. XXI. Sect. VI. Ægineta Libr. VI. Cap. LXXXII. ſcribit varicem venæ dilatationem eſſe, quam vel in temporibus, vel juxta imi ventris partem ſub umbilico, vel etiam circa teſtes; maxime vero circa crura, accidere.

(54) Hippocrates de morb. vulg. Libr. II. Sect. V. §. 2.

(55) Idem aphor. XXI. Sect. VI.

(56) Ibidem aphor. XXXIV. Ariſtoteles Libr. III. Cap. XI. de hiſtor. anim. ſcribit, *Minus, qui varices habent, calveſcunt: & ſi calvi habere inceperint, pilos nonnulli producunt.* Galenus dictum aphoriſmum pro ſpurio habet. Hollerius mavult pilorum defluvium, quod per initia aut progreſſum morborum, ob humores pilorum radices corrumpentes, contingit, quam calvitiem, ſanari neſciam, hoc loco indicari. In illo caſu enim, humoribus pravis a capite aliorſum tranſlatis, fieri poſſe, ut pilorum defluvium non modo ceſſet, ſed ut etiam novi renaſcantur.

(57) Avicenna Libr. III. Fen. XXII. Tract. II. Cap. V.

liberat aliquem ab hæſitantia linguæ : & ſine hoc ſolvi non poteſt. (58)

§. 10. Inter externos corporis affectus referunt etiam ulcera. Ubi ex his, dum repurgantur, pus album fertur, ſignum id celeris curationis eſt : Pravitatis autem ſignum eſt : ſi ex illis ſanioſi humores prodeunt. (59) Ubi ulcera undiquaque glabra, eorum malignitatis hæc nota eſt. (60) Ulcera, quæ in hydropicorum corpore exoriuntur, non facile ſaneſcunt. (61) Ulcera quæcunque annua fiunt, aut diutius protrahuntur, in his neceſſe eſt os abſcedere, & cicatrices fieri cavas. (62) Ulcera tonſillarum, quæ ſine febre in pueris proveniunt, non adeo periculoſa ſunt. Quibus in tonſillis ulcera ſerpentia cito ſuperveniunt, tuſſi & febre perſeverantibus, periculum eſt ne ulcera revertentia ſuboriantur. His, ulcera in faucium anguſtiis, perniciem minantur. Salutis ſignum eſt, ſi pueri, ulcera tonſillarum effatu digna habentes, glutiant : ſin vero in tali caſu glutire ſeu devorare nequeant, his ex bilis ſeu per os rejectione, ſeu per alvum dejectione, periculum eſt. Malum itidem eſt, ſi araneoſum quoddam dictis ulceribus ineſt. Ex uſu autem eſt poſt prima tempora

& ulcerum.

(58) Hippocrates de morb. vulg. Libr. II. Sect. v. §. 1.

(59) Hippocrates Libro de Judicationib. Galenus in aphor. XXII. Sect. v. ſcribit, nihil mali poſſe advenire ulceri pus generanti ; atque id ipſum certum curationis ſignum præbere.

(60) Idem aphor. IV. Sect. VI. Galenus *Quando vel pilos videris defluentes a circumjacentibus ulceri locis, vel cutem ſquamulas e ſumma parte demittere, ſcito pravos humores ad partem confluere, qui ulcus erodunt.*

(61) Ibidem aphor. VIII.

(62) Ibidem aphor. XLV.

ra pituitam, quæ antea non adfuit, per os defluere. Ex ulceribus tonſillarum pejora ſunt, quæ æſtate ſuboriuntur, ſerpunt enim cito: & quæ ſerpunt circa uvam, iis, qui ſervantur, vocis mutationem inferunt: quæ vero circa fauces ſerpunt, & moleſtiam magnam exhibent, & acuta magis ſunt, hæc ſpirandi difficultatem plurimum afferunt. (63) Sunt etiam ulcera, quæ oris ſuperficiem occupant, Græci ἄφθας appellant. Incipiunt a gingivis, deinde palatum totumque os occupant, tum ad uvam fauceſque deſcendunt. Quibus obſeſſis non facile fit ut puer convaleſcat. In pueris enim hujuſmodi ulcera longe periculoſiſſima ſunt: hos enim ſæpe conſumunt. Idem periculum tamen in viris & mulieribus non eſt. Miſerius eſt, ſi lactens adhuc infans eſt, quo minus imperari remedium aliquod poteſt. (64) Serpentia ulcera, ἑρπηςικὰ a Græcis appellantur, ſupra inguina, ad ilia & pubem enata, denunciant alvum male affectam. (65) Ulcus, ſive id ante morbum, ſive in morbo natum ſit, oportet noſſe. Id enim, ſi periturus eſt æger, ante mortem lividum & ſiccum, aut pallidum & ſiccum erit. (66) Ulcera, quæ calculi renum effecerunt, inferunt morbos inſanabiles, citam corporis conſumptionem, quam mors brevi inſequitur. (67) Ulcera, quæ

(63) Hippocrates Libro de Dentitione.

(64) Celſus Libr. VI. Cap. XI.

(65) Hippocrates Coac. Prænot. §. 628.

(66) Idem Libro Prænot. & Coac. Prænot. §. 496. ulcus, quod lividum & aridum, aut quod pallidum evaſit, mortem ſignificat.

(67) Aretæus de ſign. & cauſ. diut. morb. Libr. II. Cap. III.

quæ putredini obnoxia, habentque partes circumſtantes excéſas, difficulter ſaneſcunt, & minime ſuppurant. Similiter ſe habent ulcera cancroſa dicta, & Chironia, telephia & phagedænica, quæ univerſim haud ſuppurant, atque ideo vix ſanantur. (68)

(68) Galenus in aphor. XXII. Sect. V. Idem auctor in aphor. XLV. Sect. VI. ſcribit ulcera quæcunque diuturna ad cicatricem nullo modo tendentia, vel ſi ad hanc pervenerint, rurſus reſoluta, Medicis in eorum curatione nequicquam delinquentibus, veteres phagedænas appellaſſe. Is autem *phagedænam* nominat ulcus exedens, quod carnem ſubjectam corrumpit: repens ſeu *herpeta*, quod ſummam cutem tantum infeſtat: *anthracem* ſeu carbunculum, quod cruſtoſum cum intenſo partium vicinarum fervore: *Dyſcpulotum*. i. e. ad cicatricem vix perveniens, quod ex humoribus ſeu multis, ſeu acribus affluentibus, ſine eo, quod locus affectus talem conſtitutionem habeat, oritur: ſin vero locus ejuſmodi conditionem jam habeat: vocat tale *Cacoethen*. i. e. malignum Libr. I. Cap. XXIV. & Libr. IV. Cap. I. de comp. medic. ſec. gener. *Hyperſarcon*. i. e. cujus caro ſupercreſcit, quod cavum, ſordidum, purum, æquale. Meth. Med. Libr. II. Cap. II. Quin etiam vetus, & ægre cicatricem recipiens ulcus, aliqui *Chironium* appellarunt, quia ad ejus curationem Chirone opus eſt, vel quia fertur Chiron tali Medicinam feciſſe. Aliqui id ipſum nominarunt *Telephium*, quoniam perhibent Telephum diu diuque ex ejuſmodi ulcere laboraſſe Ægineta Libr. IV. Cap. XLVI. Celſus Libr. V. Cap. XXVIII. ſcribit Chironium ulcus appellari, quod & magnum eſt, & habet oras duas calloſas, tumentes. Ex hoc exire ſaniem non multam, ſed tenuem. Odorem malum neque in ulcere, neque in ejus tumore eſſe. Nullam inflammationem, dolorem modicum eſſe, nihil ſerpere: ideoque nullum periculum afferre, ſed non facile ſaneſcere. Interdum tenuem cicatricem induci, deinde iterum rumpi, ulcuſque renovari. Celſus malis ulceribus inſuper annumerat ſacrum ignem, therioma, carcinoma, & ἕρπητα ἐσθιόμενον, de quibus in parte ſecunda hujus operis mentionem faciam, ubi ea, quæ reſtant, tradentur.

CA-

CAPUT IX.

De prædictionibus ex partibus corporis exterioribus.

Prognoſtica variorum capitis affectuum.

§. I. PRopoſitum eſt mihi hoc capite perſcribere omnimoda ſigna, quæ veneranda antiquitas ex depravata partium corporis externarum qualicunque conſtitutione deprompſit. A capite exordium ducam. Quibus, dum adhuc ſoſpites ſunt, derepente capitis dolores obveniunt, confeſtimque vox deficit, ac ſtertunt, intra ſeptem dies, niſi febris eos corripuerit, pereunt. (1) Capitis dolor vehemens ac continuus cum febre, & aliquo ex ſignis exitioſis accedente, mortifer eſt. Sin vero ſine ſignis ejuſmodi, dolor vigeſimum diem ſuperet, & febris detineat, ſanguinis ex naribus profluvium, aut alium quendam ad inferiores ſedes abſceſſum, expectare oportet. Sanguinis ex naribus eruptio præcipue in junioribus, qui nondum quintum & trigeſimum annum attigerunt; aſt ſuppuratio in ſenioribus, eſt expectanda. (2) In iis, qui capitis do-

(1) Hippocrates Libro de Judicat. & aphor. LI. Sect. VI. & de morb. Libr. II. & Libr. III. de morb. ubi ex dolore acuto, qui ex capite initium duxit, vox derepente defecerit; idque vel maxime ex ebrietate contigerit, ſic affectus ſeptimo die moritur: minus tamen, quibus tale per ebrietatem evenit, & voce defecti permanent, moriuntur. Eodem enim die vel poſtero vel tertio, ſi vox eruperit, convaleſcunt. Confer cum his aphoriſm. V. Sect. V.

(2) Idem Libro Prænot. Galenus Comm. III. §. 13. vult hæ-

doloribus & aurium tinnitu citra febrem, aut tenebricoſa vertigine & vocis tarditate, manuumque ſtupore tentantur, aut ſiderationem, aut morbum comitialem, aut oblivionem ſperare convenit. (3) Si caput dolet, & æger catocho detentus delirat, cum alvo ſuppreſſâ & vultu truculento & florido, in tali caſu æger in ſcapulis rigorem perſentiet, ac poſteriorum partium diſtentione tentabitur. (4) Qui gravibus & acutis capitis doloribus cum torpore & gravitatis ſenſu conflictantur, hi ad nervorum diſtentionem procliviores ſunt. (5) Qui capitis dolore, ſiti, levi pervigilio detinentur, obſcure loquuntur, ad motum impotentes ſunt, alvo liquida & laſſitudine vexantur, in hoc caſu inſania metuenda eſt. (6) Eadem timenda eſt, ſi in capitis doloribus cum ſurditate & inſomnia vomitus virulenti, æruginì colore ſimiles oboriantur. (7) Qui capitis cervicisque doloribus torquentur cum aliquanta ſurditate & manuum tremore, ac red-

hæmorrhagiam narium ad ſeptimum diem exſpectandam, perraro eam ad XX diem vel ultra protrahi. Ex uſu ægri etiam eſſe, pus ex aure vel naribus ferri. Celſus Libr. II. Cap. VII. Hunc locum ita expreſſit. *Quicunque dolorem ingentem circa tempora & frontem habebit, is alterutra ratione eum finiet; magiſque, ſi juvenis erit per ſanguinis profuſionem: ſi ſenior, per ſuppurationem.* Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXIX. Galeni mentem aſſequitur, ſcilicet poſt ſeptimum diem; ſuppurationem quandam in primis expectandam.

(3) Hippocrates Coac. Prænot. §. 161.

(4) Ibidem §. 162. & Prædict. Libr. I. §. 88.

(5) Ibidem §. 171. & §. 174. Prorrhet. §. 103. eadem fere habentur de gravidis dicto modo affectis.

(6) Coac. Prænot. §. 175. & Prorrhet. §. 38.

(7) Ibidem §. 169. & Prorrhet. §. 10.

reddunt urinas denſas & nigricantes, his, ſi nigra vomitu rejecerint, ex eo periculum eſt. (8) Gravidis capitis dolores cum ſopore & gravitate, malo ſunt. Quin & tales quibuſdam nervorum diſtentionibus forte ſunt obnoxiæ. (9) In periculo mortis eſt mulier ex partu, ſi cum febre vehementibus etiam & aſſiduis capitis doloribus premitur. Cæterum, *ſi ſine cauſſa longus dolor capitis eſt, & in cervices ac ſcapulas tranſit, rurſuſque in caput revertitur, aut a capite ad cervices ſcapulaſque pervenit, perniciosus eſt; niſi vomicam aliquam excitavit*, ſic ut pus extuſſiretur, aut niſi ſanguis ex parte aliqua prorupit, aut niſi in capite multa prurigo, totove corpore puſtulæ ortæ ſunt. (10) Longus do-

(8) Ibidem §. 176. ſimilia fere extant Prorrhet. §. 9.

(9) Prorrhet. Libr. 1. §. 102. Coac. Prænot. §. 534. & 517. ubi tamen ſcriptum eſt, dolores capitis cum ſopore gravitate & convulſione, malo eſſe.

(10) Celſus Libr. II. Cap. VIII. Deſumpta hæc videntur ex Hippocratis Prædict. Libr. II. §. 26. ubi magnus profeſſor literis prodidit, ſanguinem ſua ſponte, aut ex neceſſitate, profluentem eos juvare, quorum oculi caligant, & quodammodo rubent cum quadam frontis prurigine. Quibus capitis frontiſque dolores propter validum ventum, vel frigus poſt vehementem æſtum, contingunt, eos ab illis potiſſimum liberari gravedine ſuperveniente. Ex uſu quoque eſſe ſternutamenta, & mucum e naribus ſponte fluentem, aut vi concitatum. Ubi a ſternutamentis dolores non ſedantur, in his tubercula & colorem pravum futura. Si vero dolores ſine cauſſa & diuturni, & totum caput occupantes, jam gracilem & viribus exhauſtum ægrum affligant, in hoc attendendum morbum priore multo eſſe graviorem. Quod ſi in cervicem & dorſum relicto capite dolor deſcendat, rurſuſque in caput revertatur, antedicto graviorem morbum eſſe. Maxime omnium timendum eſſe, ſi a capite ad cervicem & dorſum perveniat. In ſpe autem habemus eos juvari, ſi abſceſſus aliquis eruperit, aut pus excreatum, aut hæmorrhoidarum fluxus ſupervenerit, aut puſtulæ toto corpore oriantur, aur in capite porrigo. Cum his, quæ in hoc paragrapho de capitis dolore ſcripſi,

dolor capitis in ſenioribus coecitatem & inſaniam: in junioribus autem oculorum ſuffuſionem portendit. Capitis gravitas & ſenſuum perturbatio in ſanguineis apoplexiam minatur. Capitis gravitas in morbi principio, quæ procedente morbo in dies increbreſcit, ſtuporem mentis futurum indicat. Cui ab initio morbi caput præcordiaque dolent, atque dolor indies ingraveſcit, ſignum eſt ægrotum mente alienari. (11) Ab accepta in capite plaga ſtupor aut delirium, malum. (12) Quod ſi ulcus ex ea exortum ſine colore eſt, & ſanies ex eo pauca fertur, & quod in eo inflammatum eſt, emoritur, ac glutinoſum fit, ſalſamentumque colore fulvum & aliquantulum lividum refert, tunc os corrumpi incipit, nigreſcit, læve fit, in fine autem ſubpallidum, & albidum evadit. Ubi jam purulentum extiterit, puſtulæ in lingua exoriuntur, & vulneratus mente alienatus moritur. Pleroſque in parte ulceri oppoſita nervorum diſtentio invadit. Quidam æſtate ante ſeptimum, hyeme vero ante decimum quartum diem attoniti obeunt diem ſupremum. (13) Qui ex par-

pſi, comparentur, quæ capite v. 11. §. 3. & 4. memoravi, ubi plura ad capitis dolorem ſpectantia proferuntur.

(11) Haly Theoric. Libr. x. Cap. 111. & Conſtant. Afer locor. Comm. Med. Libr. x. Cap. 111.

(12) Hippocrates aphor. xiv. Sect. vii.

(13) Idem de capit. vuln. §. 28. Celſus Libro viii. Cap. iv. ſuadet, ubi calvaria pertuſa, protinus requirendum eſſe, num bilem is homo vomuerit, num oculi ejus obcoecati ſint, num obmutuerit, num per nares aureſve ſanguis ei effluxerit, num conciderit, num ſine ſenſu quaſi dormiens jacuerit. Hæc enim nonniſi oſſe fracto evenire. Atque ubi inciderunt, ſcire licet neceſſariam, ſed difficilem curationem

parte poſteriore, occipitium vocant, oſſibus fractis, capitis doloribus conflictantur acerbis, & quorum e naribus craſſa effluunt, malum eſt. Hi, dolore ante oculum ſuborto, rigore corripiuntur. Sic etiam oſſa pone tempora fracta nervorum diſtentionem inducere ſolent. (14)

Prognoſtica Faciei.

§. 2. De quibuſdam ex facie prædictionibus Cap. I. §. 10. & Cap. VIII. §. 1. mentionem feci. Hoc loco quædam ſingularia in medium proferam. Hippocrates (15) monumentis prodidit, faciem, ubi ea in magno morbo bona fuerit, bonum, at in parvo, malum ſignificare. Vultum bene coloratum, tetricum tamen, in morbo acuto, malum eſſe: & ſi inſuper frons contracta ſeu caperata, phrenitidem denunciare. (16) Vultum bene coloratum in ægro ſine febre ſudoribus diffluente, indicare vetuſta ſtercora ſubeſſe, aut eum inordinata victus ratione uti. (17) Ubi facies extumida evadit depreſſa, ac vox lævior & remiſſior, ſpiritus quoque rarior ac lenior ducitur; prænuncia hæc eſſe remiſſionis morbi poſtera die futuræ. (18) Hæc ex Hippocrate, qui-

nem eſſe. Si vero etiam torpor acceſſerit; ſi mens non conſtet, ſi nervorum vel reſolutio vel diſtentio ſecuta ſit, veriſimile eſſe, etiam cerebri membranam eſſe violatam, eoque in anguſto magis ſpem eſſe.

(14) Hippocrates Coac. Prænot. §. 188.

(15) De morb. vulg. Libr. VI. Sect. II. §. 26.

(16) Idem Coac. Præn. §. 213. & Prorrhet. Libr. I. §. 49.

(17) Coac. Prænot. §. 214.

(18) Ibidem §. 211. Libro de dieb. judic. ſcribit, *ſi faciei partes extenuentur, & venæ, quæ in manibus ſunt, & oculorum angulis ac ſuperciliis quieſcant; cum antea minime quieſcerent; Hinc ſi vox,* &c. ut ſupra.

quibus alia ex aliis auctoribus ſubjungam. Ubi facies & pedes ante decimum & quartum diem in morbo acuto intumuerint, malum ſignificat. Ubi facies turgida, aut palpebræ inferiores tument, hydropiſin denotant. (19) Faciei palpitatus multus ac vehemens, diu perſeverans, oris ſpaſmum proxime inſtare prænunciat. (20) Cujus facies in febre acuta fuerit torſa, is in brevi moritur. (21) Si facies fuerit dura & nigra, ejuſque venæ ultra modum tumidæ & in oculis rubor appareat, ſignificat talis ſanguinem eſſe corruptum. Et ſi forte evenit, ut alopeciam æger habeat, & ejus guttur infletur, ſignum hoc eſt lepræ incipientis. (22) Facies alba, oculi albi, vel nigri, lethiferum. Facies nigra, oculi albi, ſignificant ægrotum intra octo dies moriturum. Eadem ſi nigra, & oculi caligant, & ſudor inſtar aquæ defluit, portendunt ægrum quarto die vitam poſiturum. Facies nigra, labra livida, & verſa vice, mortis ſigna ſunt. Ubi facies nigreſcit, & æger obliquo lumine cernit, mortiferum. Si ægrotans habet tumorem & ejus facies fit nigra, mortem denunciant. Facies livida, & oculi flavi mortem brevi tempore affore ſignificant. Eadem ratio eſt, ſi facies flava vel nigra, & palma, potius vola, ſine lineis tumida appareat. Si facies flava & oculi coerulei poſt

(19) Haly Theoric. Libr. x. Cap. x. & Cap. III.

(20) Rhaſis ad Manſor. Libr. xv. Cap. VIII.

(21) Idem aphor. XXIX. Libr. v.

(22) Idem Libr. I. aphor. XII.

poſt novem dies æger decedet: verum ſi facies rubra, oculi coerulei, ſexto: ſi vero oculi albi, poſt decem dies, naturæ ſatisfaciet. Si facies tumet, & linguæ tumor coeruleus, octavo die vitam dimittet. Si facies non eſt clara, ſed colore inſtar terræ apparet; quarto die de vita exibit. Si nigredo in fronte & infra nares & in ambabus genis apparet, intra biduum ægrotus ex vita demigrabit. Mortiferum etiam eſt ſi ægrotantis aures, oculi, nares & os ſunt nigra, & lingua nigredine inficitur. Item, ſi capilli proinde ac ſtupa ſicca, & æger ad iram proclivior. Si in ægro capilli capitis erecti; denunciant tales ægrum XV. die moriturum. (23)

Prædictiones ex oculis ex Hippocrate deſumptæ.

§. 3. Magnum præſidium ad qualemcunque morbi eventum animo præſagiendum eſt oculorum inſpectio. Nam hi ut valuerint, ita & totum corpus valet. (24) Quinimo oculorum vis niſi valeat & conſtet, ſignificat mortem in propinquo eſſe. (25) Hæc generatim, ſigillatim vero dicunt, oculorum claritatem, ac eorum album ex nigro aut livido clarum fieri, multum ad criſin conferre: & quo ocyus illi clareſcunt, eo celeriorem; ex adverſo quo tardius, eo tar-

(23) Hæc Cleyerus de Medic. Sinenſ. Part. II. Pag. 52. & deinceps.

(24) Hippocrates de morb. vulg. Libr. VI. Sect. IV. §. 26. In eo enim, qui morbo frangitur, oculi plerumque apparent cavi, ſqualidi, decolores: qui vero robuſtior, ejus oculi florido colore vigent, pleniore mole conſtant, & ſplendido humore affluunt. Galenus Comm. V. §. 27. in hunc librum.

(25) Ibidem Libr. II. Sect. VI. §. 2.

tardiorem morbi ſolutionem indicari. (26) Ubi in febre oculorum rubor oritur, ſignum hoc eſt diuturnæ malignitatis alvi. (27) Ubi a vomitu oculi rubeſcunt & ſingultus inſequitur, malum eſt. (28) Ominoſa etiam res eſt oculorum cavitas, & vehemens oculi foras expreſſio, ſplendorque eliſus, adeo ut pupilla extendi nequeat, & cilia retorta. Perniocioſum eſt etiam, ſi oculi fixi, ſeu continenter connivent, ſi colorem mutant, ſi palpebras per ſomnum æger non claudit: (29) ſi oculi in ardente febre perverſiſſimi, aut diſtorti: (30) ſi in acutis oculi, i. e. palpebræ obſeratæ vel confractæ: (31) vel circum tenſæ: ſi quod in oculis inareſcit, tenuiſſimæ lanugini, aut aquarum aſpergini, ἄχνη Græce dicitur, fuerit ſimile. Si oculorum acies hebes ac retuſa: ſi oculi ſqualidi, ſi intro corrugantur, ſi concreti ſunt ac ægre vertuntur, & intro ſunt convoluti: ſi æger citra rationem invitus lacrymatur. Hæc omnia malum in morbis acutis portendunt. Si vero æger ultro ob ſonticam aliquam cauſſam illacrymat, hoc bonum & non inconveniens eſt. (32) Quibus cum lippitudine capitis dolor accedit, & is longo tempore perſeverat, metus de cæcitate eſt. (33) Ju-

(26) Idem Coac. Prænot. §. 217.
(27) Ibidem §. 219.
(28) Idem aphor. III. Sect. VII.
(29) Idem Coac. Prænot. §. 218.
(30) Idem Prorrhet. Libr. I. §. 81.
(31) Ibidem §. 84.
(32) Idem de morb. vulg. Libr. VI. Sect. I. §. 16. & aphor. LII. Sect. IV. & aphor. II. Sect. VIII.
(33) Idem Coac. Prænot. §. 223.

Juvat autem ad lippitudinem alvi dejectio: (34) & ad fluxiones in oculos tenues & diuturnas, ſi eæ maturæ per nares prodierint. (35) Ubi fœminæ oculorum caligo eſt, hæc crebris apparentibus menſibus ſolvitur. (36) Ubi erumpentes circa oculos eminentiæ ſunt, ægroto ex morbo ſe recreante, in ſpe alvi dejectionem habemus. (37) Plures ex læſa oculorum actione prædictiones deſcripſi ſupra capite VI. §. 11. quas B. L. cum his dictis conferre non gravabitur.

Item ex aliis in Medicina inclytis.

§. 4. Traditis oculorum ſignis, quæ vetuſtiſſimus auctor Hippocrates memoriæ prodidit, ſubjungam alia ab aliis in Medicina celebribus auctoribus obſervata. In malis ſignis annumeratur, ſi oculi ſine prævia alvi dejectione ſeu pervigilio, ſeu fame profundi vel concavi, vel alteruter contrahitur: ſi eorum album tenebricoſum, vel rubor vergit in colorem pavonis & cœruleum: ſi in acutis morbis alter altero minor: ſi ægrotus non videt: ſi oculi tortuoſi, vel ſtrabonis inſtar torvo lumine adſtantes cernunt. Signum mortiferum eſt, ſi æger lumen reformidat & loca tenebroſa amat, præterquam quod adſit oculorum tenſio vel dolor. Vomitum inſtare prodit oculorum nigredo cum ſplendore: at ſanguinis e naribus profluvium, rubor cum ſplendore. Malum eſt lippitudo ari-

(34) Ibidem §. 224. & Libro de Criſib. aphor. XVII. Sect. VI. Celſus Libr. II. Cap. VIII.

(35) Idem de morb. vulg. Libr. VII. §. 81.

(36) Idem Coac. Prænot. §. 552.

(37) Ibidem §. 220.

arida, & palpebræ ſiccæ. Lethiferum ſignum eſt, ſi ſuper pupillam aliquid aranei ſimile colligitur, ac deinde ad palpebram recedit, & lippitudo ita perſeverans ſuboritur: ſi ab adſtantis digito, vigilantis ægroti oculis admoto, palpebræ haud commoventur. Die decimo moriturum, ajunt, ſub cujus oculis appareat puſtula, lenti albæ ſimilis. (38) Oculorum venæ rubræ & magnæ, facieſque tumida cum dolore capitis, maniam portendunt. (39) Si album oculorum eſt rubrum, & venæ vel lividæ vel nigræ videntur, mortiferum eſt. Extantes eminenteſve oculi, niſi vomitus vel ophtalmia præceſſerit, in morbo acuto, malum minantur. Peſſimum eſt ſi oculi, in re quadam cernenda attenti, immobiles perſtiterint. Oculorum parvitas & jugis commotio aliquando tremorem, interdum mentis alienationem ſignificat. (40) Mente itidem ægrotus brevi tempore alienabitur, ſi obliquis oculis cernit. (41) Mortiferum ſignum eſt, ſi oculi introrſum demerſi, vel eorum palpebræ intra concidant. Si ægroti ambo oculi flaveant, ſignificant morbum curari adhuc poſſe: immedicabilem vero, ſi dentes nigri & oculi non fuerint clari. Si oculi in humeros quaſi retroacti, oblique cernant, die inſequente mors inſtat: at ſeptimo, ſi oculorum reti-

(38) Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXXIII. XXXIV.

(39) Haly Theoric. Libr. X. Cap. III.

(40) Conſtantinus Afer loc. Comm. Libr. X. Cap. X.

(41) Libr. Secret. Hippocratis.

retina introrſum acta. (42) Si oculus derepente citrinus aut niger fiat, & ægrum affligat ſuffocatio ſubita, ut ne ſalivam quidem devorare poſſit, præſentiſſimi periculi ſignum eſt. (43)

Prædictiones ex auribus.

§. 5. Capite VI. §. 9. & 10. de ſurditate & aurium tinnitu; & Cap. VII. §. 39. 42. de tuberculis aurium, ſcripſi: impræſentiarum memorabo prædictiones ex ipſis auribus, male ſe habentibus. Aures frigidæ, pellucidæ, contractæque exitium portendunt. (44) Auris dolor acutus cum febre continua & vehementi, gravis eſt. Periculum enim delirii & mortis ægro affert. Ex hoc morbo juniores, niſi puris copia ex aure, aut ſanguis e naribus prorumpat, aut aliud quoddam bonum ſignum adfuerit, ſeptimo die, aut citius moriuntur; ſenes vero multo tardius, aut minus. Nam in his aures ante ſuppurant, & febris & delirium eos minus infeſtat. Verumtamen in multis ſenibus contingit morbi reverſio, quo plurimi occumbunt: juniores vero, priuſquam auris ſuppurat, intereunt. (45) Aures, oculi,

(42) Cleyerus de Medic. Sinenſ. Part. II. pag. 52. 55. 56.

(43) Rhaſis ad Manſor. Libr. X. Cap. XXI.

(44) Hippocrates aphor. XIV. Sect. VIII. Coac. Prænot. §. 192. & Libro Prænot. aures frigidæ, contractæ, ac imis fibris ſuis inverſæ inter mortifera ſigna referuntur. Galenus in aphor. I. Sect. VII. non adeo abſurdum judicat, ſi in morbis diuturnis, qui in primis ſine febre, & hyeme & provectiori ætate, oboriuntur, nares, aures, pedes & extremæ manus frigidæ fiant: Exitiabile autem eſſe, ſi dictæ partes fuerint frigidæ in morbis acutis. Et Celſus Libr. II. Cap. VI. ad ultima jam ventum eſſe teſtari, ſcribit, ſi nares acutæ, collapſa tempora, oculi concavi, frigidæ languidæque aures, & imis partibus leniter verſæ.

(45) Libro Prænot. & Coac. Præ-

culi, nares, os ægrotantis, ſi fuerint nigra, & lingua nigredine infecta, mortem ſignificant. Item aures, oculi, genæ ſi rubeant, quinto die æger morte occumbet. (46)

§. 6. In acutis morbis Hippocrates Medicos hortatur ad nares inſpiciendas, num ex utriſque ſpiritus æqualiter ducatur. Si multus ex naribus feratur, convulſio ægris uſu venire aſſolet. Quæ ſi contingat, mortem non procul ab ægro eſſe; quam prædixiſſe, pulchre eſſe. (47) Inter ſigna mortifera etiam refert, ſi in febre non intermittente naſus pervertatur vel diſtorqueatur. (48) Vel ſi fuerit acutus ſeu compreſſus. (49) Quorum nares natura humidiores, & ſemen genitale humidius, eos minus valere, quam qui Ex naribus.

Prænot. §. 189. Celſus Libr. II. Cap. VII. ita Latine reddit. *Auris dolor acutus cum febre continua vehementius ſæpe mentem turbat, & ex eo caſu juniores intra ſeptimum diem moriuntur, ſeniores tardius: quoniam neque æque magnas febres experiuntur, neque æque inſaniunt: ita ſuſtinent, dum is affectus in pus vertatur.* Eadem habet Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXXVI.

(46) Cleyerus de Medic. Sinenſ. Part. II. Pag. 52. & 56.

(47) Hippocrates de Rat. Vict. in morb. acut.

(48) Idem aphor. XLIX. Sect. IV. & aphor. LXXIII. Sect. VII. Cauſſam, quæ naſum diſtorqueat, eſſe ſpaſmum ſcribit Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXXV. & mortem tum eſſe in propinquo.

(49) Idem Libro Prænot. Sed antequam aliquis prædictionem ex naſo inſtituat, oportet naſum, ut natura comparatus eſt, cum naſo, formam in morbo aliquo mutante, comparare. Namque ſi natura ſimus eſt, compreſſior prorſus is apparebit ægro in vicinitate mortis verſante. Eadem conditio eſt naſi aquilini, aut ſubrecti, a conſtitutione naturali in morbo quodam deflectentis. Quo magis igitur naſus a forma nativa recedit, eo deterior eſt talis habendus. Naſus autem compreſſus (qui ita appellatur, cum in ſummis ſeu in extremitate gracilentus eſt) apparet in primis in iis, qui longiore morbo extenuantur, aut labore conflictantur, aut quovis modo debilitantur, aut animo linquuntur, aut morte occubuere. Galenus in Progn. Hipp. Comm. I. §. 9. 10.

qui contra, ac dixi, ſe habent. (50) In quibus humor acris ex capite in nares deſtillat, undenon raro earundem dolor, ardor vel inflammatio; imo & exulceratio exoriri ſolet: in his hujuſmodi ſymptómata ſedari, ſimulatque humor cœperit concoqui, i. e. craſſeſcere. (51) Si humor aqueus in acutis ex naribus manat, malum portendere. (52) Si nares a cœna citra cauſſam manifeſtam implentur, & plenæ eſſe videntur, nullum mucum tamen emungendo emittunt, indicium eſſe nimii cibi aſſumpti, & hunc labores ſuperare. (53) Si nares rubent, ſignificare alvum fuſam. (54) Si in febribus ardentibus membrum aliquod palpitat, aut venæ, quæ in temporibus ſunt, pulſant, aut genæ vel naſus, vel oculus rubicundior factus, criſin morbi eſſe expectandam. Si æger ſine voluntate illachrymatur, aut ſibi videtur videre ſplendorem, & manum naribus velut ſcalpturus admoverit, tunc non erupturum, ſed jam erumpentem ſanguinem Medicus expectabit: nam ubi ille ſemel atque iterum nares ſcalpſerit, ſanguis ſtatim pro-

(50) Hippocrates aphor. 11. Sect. VI. & de morb. vulg. Libr. VI. Sect. VI. §. 20.

(51) Idem de Priſca Medicina, ubi ſubjungit eandem rationem eſſe acris humoris in oculos fluentis, quem etiam mitigari, ſimul ac humor incraſſeſcat & gramiæ ſeu *lemæ* in iis appareant.

(52) Avicenna Capite paulo ante allegato.

(53) Hippocrates de Vict. Rat. Libr. III.

(54) Idem Coac. Prænot. §. 215. Foëſius huic enuntiato non univerſalem, ſed ſingularem tribuit ſignificationem, ſi utpote narium rubor ex tenui ſanguine, aut vaporibus acribus ſurſum ab intemperatis viſceribus delatis, excitatur, quos, imbecillitate viſcerum accedente, alvum citam inſequi poſſe: verum ſi ab alia cauſſa fluxus ventris exortus, faciem plerumque pallere.

prorumpet. (55) Si æger ſine cauſſa manifeſta aſſidue digitum ad naſum admovet, mundandi vel mungendi ergo, malum ſignificat. (56) Si pueri crebrius nares ſcalpunt, indicium eſt eos a lumbricis vexari. Si in naribus abſceſſus, lenticulæ ſimilis, naſcitur, & is fit colore ſeu viridis ſeu niger, talis homo intra annum mortem obibit. Si in principio naſi abſceſſus nigricans cum acerbo dolore oboritur, is, cui talis contingit, derepente ante duos menſes morietur. (57)

§. 7. Os non modo amarum evadit in iis, qui inedia laborant; (58) ſed etiam in non febricitante, qui faſtidium cibi habet. In hoc caſu, ſi præterea ventriculi morſus, tenebricoſaque vertigo affuerint, e re ægri eſt, per ſuperiora purgare. (59) In numero ſignorum lethalium collocatur, ſi ægrotans ore hiante aſſidue dormiat, jaceatque ſupinus cruribus valde contortis & implexis. (60) Item ſi os inſtar piſcium apertum permaneat, ac id ipſum difficulter rurſus claudi poſſit, ac Ex ore.

(55) Galenus de art. curat. ad Glauc. Libr. I. Cap. XIV.

(56) Avicenna loc. cit.

(57) Rhaſis Libr. V. aphor. III. & XII. & Alſaharavius Tract. VI. Cap. XIX. ſcribit puſtulam inſtar lentis colore viridi vel nigro ſuper naſum enatam, portendere mortem intra annum, futuram. Puſtulas nigras ſuper naſum ſubito cum vehemente dolore exortas, ſignificare ægrum intra XXX. dies moriturum.

(58) Hippocrates de Priſca Medic.

(59) Idem aphor. XVII. Sect. IV.

(60) Idem Libro Prænot. Conſtantinus Afer loc. Med. Libr. X. Cap. X. ſcribit *os apertum habere, neque poſſe claudere, perditionem ſignificare videtur. Signat enim ſpaſmum aut defectionem virtutis contentivæ.* Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXXVIII. *ſi remaneat os apertum in ægritudinibus acutis, eſt ſignificatio mala,*

ac inſuper æger valde ſingultiat : aut ſi ore aperto & obliquo ſpiret. (61) Lethiferum quoque in morbis acutis eſt, ſi ægro anima admodum fœteat. (62)

Ex gingivis & dentibus.

§. 8. Gingivæ his malæ ſunt, & os graveolet, quibus magni lienes ſunt. (63) Si ſanguis ex gingivis profluit cum alvo humida, perniciem minatur. (64) Mortem portendunt ulcera & oris & gingivarum in hydropico oborta. (65) Abſceſſum ad gingivas enatum ſolvit dentis ſyderatio, σφακελισμὸς Græce dicitur. Ad dentis ſyderationem autem ſi vehemens febris cum delirio accedit, mortem minatur. Quod ſi ægri ſerventur, ulcera pus colligent, & oſſa abſcedent. (66) Malum ſignum eſt, ſi quis in febre acuta dentes ſuper dentes, more eorum, qui aliquid commanducant, moveat. (67) Quibus per febres glutinoſus humor dentibus obnatus, his febres fiunt vehementiores. (68) Si ægrotans præter conſuetudinem dentes identidem mundat, malum ſignum eſt. (69) Si ægroti dentes derepente nigreſcunt, hunc,

(61) Cleyerus de Medicin. Sinenſ. Part. II. pag. 53. & deinceps. pag. 56. tradit hæc. §. 31. *ſi fuerit os, ut os piſcis, & ſpiritus multi egreſſi, mors. Si abſolute os apertum, tertio die mortem.*

(62) Avicenna loc. cit. Rhaſis ad Manſor. Libr. x. Cap. XXI.

(63) Hippocrates Prædict. Libr. II. §. 31. & Celſus Libr. II. Cap. VII.

(64) Hippocrates Coac. Prænot. §. 241. & §. 648. *Humeſcente alvo ſanguis ex gingivis profluens, lethalis.*

(65) Avicenna Libr. III. Fen. XIV. Tract. IV. Cap. IV.

(66) Hippocrates Coac. Prænot. §. 236. 237.

(67) Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXXVII.

(68) Hippocr. aphor. LIII. Sect. IV. & de morb. vulg. Libr. IV. §. 10. *Quibus dentes undiquaque lentore obducuntur, malum ſuſpectare licet.*

(69) Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXXVII.

hunc, ſtatuunt Chineſes, XIII. die morituram. (70) Mortiferum itidem ſignum eſt, ſi in tetano, & emproſthotono maxillæ fuerint diſſolutæ. (71) Mortem in propinquo eſſe, portendit febrem acutam habenti maxillarum ſpaſmus vel obliqui oculi. (72) Si vehementes circa maxillas dolores exorti; periculum eſt, ut os fluctuet. (73)

§. 9. Vetuſtiſſimus Medicinæ auctor Hippocrates memoriæ prodidit, (74) linguam humorum ſerum, quale ſit, indicare, ac eampſe, prout aliquis ex humoribus rerum in corpore potitur, alio atque alio colore infici. Gratia exempli, ſi bilis abundat, linguam fieri pallidam: ſi ſanguis, rubicundam: ſi pituita, albam: ſi atra bilis, nigram. Neque vero dicta cujuſvis humoris copia ex linguæ inſpectione cognoſcitur tantum; ſed etiam hæc, prout omnifariam fuerit variis in corporis affectibus affecta, prodit qualemcunque corporis ægrotantis conditionem, ac morbi eventum. Verbi cauſſa, Lingua nigricans ardentem febrem portendit. Ex Lingua.

(70) Cleyerus pag. 56. §. 42.

(71) Hippocrates Coac. Prænot. §. 361.

(72) Libro, qui nomine Secretorum Hippocratis ſuperbit.

(73) Hippocrates Coac. Prænot. §. 239.

(74) De morb. vulg. Libr. VI. Sect. V. §. 13. 15. Galenus, Comm. V. ſtatuit, quodlibet ex narratis linguæ ſignis declarare aut febrem ardentem adeſſe, aut humorem, a quo ſit, abundare, vel eum in ventriculo contineri. Quamvis lingua quoquo pacto colorata dictam humorum exuperantiam ſignificet; inde tamen non inferendum eſſe; quod ſi ſanguinis multitudo adfuerit; linguam debere ideo rubeſcere; ſi bilis, flaveſcere &c. Nam ſæpenumero obſervatam fuiſſe linguam nullo colore infectam, cum tamen ex aliis ſignis innotuerit aliquem ex dictis humoribus mali, in corpore oborti, auctorem fuiſſe.

dit. (75) Quin & ſi aliquis tali febri correptus, lingua ejus exaſperata finditur, & ſiccatur, colore primum pallida eſt, at procedente tempore nigreſcit. Quod ſi ea per morbi initia nigreſcat, contingunt celeriores; verum ſi poſtea, tardiores febris judicationes. (76) Si lingua circa initia fuerit horrida, & in eodem colore perſeveraverit; procedente autem tempore exaſperetur, liveſcat, findatur, mortem denunciat. Quod ſi admodum nigreſcat, die XIV. judicationem promittit. Perniciem autem maxime minatur lingua nigra, & ex virore palleſcens. (77) Si lingua propter ſiccitatem denſa & aſpera, phrenitim portendit. (78) Si pleuritici lingua circa initia morbi141bilioſa, is intra ſeptimum diem judicatur; ſin vero tertio & quarto die taliter conſtituta, circa no-

(75) Galenus de locis affect. Libr. I. Cap. V.

(76) Hippocrates de dieb. Judic. & Libr. III. de morbis.

(77) Idem Coac. Prænot. §. 229. Fœſius Comm. in hunc §. horridam linguam eſſe dicit, ſive inæqualitas quædam indicetur in motu ab agitatione humorum ac ſpirituum, ſive a levi in ſuperficie cutis aſperitate inhorreſcat, quum humidi inopia, quo ſumma cutis continuitas exæquatur, exaſperatur aut ſtringitur. Caſulanus Libr. III. Cap. XII. de Ling. bifariam putat verbum poſſe exponi. Nimirum ſignificare aut aſperitatem quandam linguæ, qualem in corporibus nudis ab aëre frigido fieri, unde cutis quaſi milii granis conſperſa videtur, *Raccapricciamento* Itali vocant; aut motum cutis & partium ſenſiiium medium frigus inter & rigorem: aut utrumque ſimul, ſcilicet ſcabram, quaſi milio obſitam, & motum alicujus horroris. Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXXVIII. Nigrorem linguæ in morbis acutis habet pro ſigno malo. Si ea ab initio arida, & in ſtatu morbi ſcabra, poſtea autem nigricans evadit, talis mortem portendit. Malum ſignum eſt, ſi lingua fuerit valde ſicca. Si ſicca & aſpera, ſignificat talis phrenitidem.

(78) Idem Prædict. Libr. I. §. 3. & Coac. Prænot. §. 234.

nonum morbus finitur. (79) Quod ſi bulla aliquantum liveſcens in lingua ſuborta, qualis ferro candente in oleum intincto fieri ſolet, ſiquidem per initia fuit aſpera, difficilior morbi continget liberatio, & criſes ad XIV. diem procedent, ſanguinem tamen expuere neceſſe eſt. (80) In pulmonis inflammatione lingua primo plerumque flaveſcit; & deinceps nigreſcit. Quod ſi circa morbi initia lingua nigreſcat, ocyus morbus finitur, quam ſi ea tarde nigruerit. Tandem lingua dehiſcit, &, ſi digitum admoveris, adhæreſcit. (81) Si in peripneumonia lingua tota alba ſit ac aſpera, ſignum eſt, ambas pulmonis partes inflammatione vexari: ſin vero dimidia lingua taliter conſtituta, qua parte apparet, iſtic loci etiam inflammationem eſſe. (82) Si in febre linguæ biſulcum alba velut ſaliva obductum, indicat hæc febris remiſſionem, quæ continget eodem die, ſi, quod linguæ adnatum, craſſum fuerit; ſi id ipſum tenuius, poſtridie: ſi adhuc tenuius, perendie. Equidem eadem ſignificantur, ſi antedicta circa ſummam linguam accidant; veruntamen ſignificatio non adeo certa eſt. (83) Si lingua ita

(79) Idem Coac. Prænot. §. 383.

(80) Ibidem §. 384. & Libro III. de morbis.

(81) Libro III. de morbis & Libr. de dieb. decret.

(82) Idem Coac. Prænot. §. 400.

(83) Ibidem §. 231. Memoriæ mandandum eſt, veteres Medicos dixiſſe illos a febribus moleſtari, qui ſine inflammatione, vel abſceſſu, vel dolore, vel igne ſacro, vel ſine aliquo membro evidenter affecto, ægri eſſent. Quod ſi aliqui propter inflammationem ſeu lateris, ſeu pulmonis, ſeu alterius partis, febricitent, tales non febricitantes nomi-

ita natura eſt comparata, ut admodum humida ſit, ſignificat talis ventriculum itidem humidum eſſe, eidemque crebro diuturnum alvi profluvium comitari. (84) Si lingua præter rationem mollis facta, & æger ab alvo liquida nauſeat ſudoreque frigido manat, indicium eſt vomitionis nigrorum inſtantis. (85) Si lingua tremula, & nares rubeant; & alvus humida, & reliqua, quæ circa pulmonem ſunt, nullam judicationis ſignificationem præ ſe ferant, malum eſt, ac celerum perniciosarumque purgationum prænuncia ſunt. (86) In nonnullis lingua tremula alvum fore liquidam denotat: quod ſi in hoc caſu lingua nigricet, mortiferum eſt. In aliis lingua tremula inſtabilem mentem ſeu inſaniam portendit. (87) Si lingua derepente incontinens fit, aut aliqua corporis pars attonita ſtupet, ſignum eſt melancholicum. (88) Si juveni contingat linguæ gravitas, poſtquam antea humuerit, ſignum eſt mortis ſubitaneæ. (89) Si lingua puſtulis referta & partes corporis extremæ frigent, malum ſignum eſt. (90) Si in lingua febrem acu-

nominaſſe, nec dixiſſe eos à febribus moleſtari; ſed pleuriticos, aut peripneumoniacos, vel ſimili nominatione, veluti hepaticos & lienoſos, appellaſſe. Galenus in aphor. Hippocr. LXXIII. Libr. IV.

(84) Galenus in Hippocr. aphor. XXXII. Sect. VI.

(85) Hippocrates Coac. Prænot. §. 232.

(86) Ibidem §. 231.

(87) Ibidem §. 645. 233. & Prorrhet. Libr. I. §. 20.

(88) Idem aphor. XL. Sect. VII. Incontinens lingua nominatur, quæ aut infirma eſt, ut non poſſit articulatim verba proferre, aut quæ immobilis & omnino reſoluta eſt. Galenus putat ejuſmodi linguam non melancholicum quiddam duntaxat ſignificare, ſed potius pituitoſum & melancholicum ſimul.

(89) Rhaſis aphor. XVIII. Libr. V.

(90) Haly Theoric. Libr. X. Cap.

acutam habentis apparuerint puſtulæ, ciceribus magnitudine æquales, ſignificant hæ ægrum in principio diei ſequentis moriturum. (91) Si lingua ægrotantis inſtar ovi tumida, aut ſi linguæ tumor nigreſcit, mortem portendit. (92)

§. 10. *Prothus Caſulanus* compoſuit librum de lingua, in quo egit de ſignis linguæ, omnifariam affectæ. De hoc aliquid, quod ab aliis prætermiſſum vel aliter dictum videtur, depromam. Sed ad rem. Linguam, jubet, inſpiciendam, quæ nullo aſſumptarum rerum colore infecta ſit, quæ nec abluendo nec detergendo ab immunditie depurgata. Non modo ſuperiorem, ſed etiam partem ejus inferiorem, linguam utpote inflectendo, eſſe conſpiciendam; atque id clara die, vel, ſi locus, ubi æger cubat, obſcurus, candela accenſa. (93) Tempora morborum acutorum, putat, ex linguæ inſpectione cognoſci poſſe. Etenim, albicantem eſſe linguam morbi in principio: pallidam, in augmento; flavam vel nigram, in ſtatu. (94) Bonum omen eſſe, ſi lingua nec ſicca, nec aſpera, nec fuliginoſa, ſed naturæ congruenter fuerit, & quaſque ſibi fami-

Quædam de lingua e *Caſulano*.

Cap. x. Conſtantinus Afer Libr. x. Cap. x. *Nimiæ puſtulæ in lingua in ægritudine acuta, mortis vicinitatem ſignificant.*

(91) Rhaſis ad Manſor. Libr. x. Cap. xxi. Conſtantinus Afric. loc. cit. *Si puſtulæ quaſi ciceres appareant in lingua, & corporis refrigeſcat extremitas, mors eſt vicina, quia mori & ſtomachum ſignificat ſimiliter habere puſtulas.* Vide etiam Avicennæ Libr. iv. Fen. ii. Tract. i. Cap. xxxviii. & Alſaharav. Libr. Theoric. Tract. vi. Cap. xviii.

(92) Cleyerus de Medic. Sinenſ. pag. 56. §. 43. 44.

(93) Libro ii. Capit. iv.

(94) Libr. iii. Cap. ii.

miliares actiones, prout uſus exigit, perficiat. Malum ex adverſo eſſe ſi lingua fuliginoſa, arida, aſpera, inflammata, tumida; præſertim ſi talis præſente animi defectione. Linguam ſiccam, aſperam, vel nigram in principio febris acceſſionis denotare cruditatem morbi: aridam ſine ſiti cum ciborum faſtidio mortem. Licet fuliginoſa ſiccaque lingua plerumque malis ſignis annumeretur, ſe tamen ſæpenumero obſervaſſe, ſcribit, (quod & a majoribus Medicinæ factum) complures ejuſmodi linguam in febre acuta habentes in tutum evaſiſſe. (95) Linguam ſiccam febrem acutam & ſitim inexplebilem denotare. (96) Pejorem eſſe aſperam ſiccam, cujuſmodi habere febre ardente, *cauſon* dicta, vel peripneumonia, vel phrenitide laborantes. (97) Linguam ſiccam ſolito rubicundiorem circa poſtremam ejus partem cum voce obſcura, anginam ſignificare. (98) Exertam, in pulmonis &c. inflammatione, ſignificare intenſum cordis caldorem. (99) Si lingua magna, nigra ſine voluntate per os feratur more eorum, qui aliquid mandunt, malum. (100)

Prædictiones ex faucibus. §. 11. Ex faucibus quoquo modo læſis Medici etiam varia præſentiunt, quæ vel in earundem curatione, vel in præſagiendo alicujus eventu, magno nonnunquam uſui ſunt.

(95) Libro II. Cap. I. & Libr. V. Cap. IV.

(96) Libr. III. Cap. IV.

(97) Ibidem Cap. V. & Libr. III. Cap. XIV.

(98) Ibidem Cap. VII. & XI.

(99) Ibidem Cap. X.

(100) Ibidem Cap. XIII.

ſunt. Hinc Hippocrates Medicinam facientibus auctor eſt, ut, ſi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore exoriuntur, inſpiciant alvi dejectiones. Has enim, ſi bilioſæ fuerint, indicare corpus una ægrotare: ſi vero ſanis ſimiles ſint, tutum eſſe corpus nutrire. (101) Cæterum fauces, quæ cum labore, moleſtia, ſtrangulatu, ſine tumore vehementer dolent, præceps exitium minantur. (102) Vehementes faucium dolores nonnunquam aurium tubercula & convulſionem excitare ſolent. (103) Fauces leviter exaſperatæ, & alvus inanibus deſidendi laboribus fatigata, frontiſque dolores in ægris palpantibus, & more inveſtigantium ſenſim contrectantibus, aut dolore conflictantibus, ſi quæ ex his increſcunt, moleſtiam exhibent. (104) Faucium gracilium dolores, ſuffocationem inferentes, convulſionem minantur; tum vero præcipue, ſi ex capite ortum ducant. (105) In morbis acutis, ubi fauces dolent, parvæ ac graciles ſunt: ubi os hiat, & gracile apparet, nec facile contrahi poteſt, timenda eſt mentis alienatio. Pernicioſa eſt phrenitis, quæ dictis ſuccedit.

(101) Hippocrates aphor. xv. Sect. II. Galenus putat aphoriſmum hunc ita legendum. *Ubi fauces ægrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore; inſpicere excretiones oportet. Si enim bilioſæ fuerint; corpus una ægrotat, neque tutum eſt ipſum nutrire: ſi vero ſimiles ſanis, corpus non una ægrotat, & tutum eſt ipſum nutrire.*

(102) Hippocrates Coac. Prænot. §. 265. & Prorrhet. Libr. I. §. 86.

(103) Coac. Prænot. §. 268. & §. 264. traditur moderata aurium tubercula in iis excitari, quibus ad fauces irritamenta vel morſus fiunt.

(104) Coac. Prænot. §. 267. & Prorrhet. Libr. I. §. 109.

(105) Prorrhet. §. 104. & Coac. Prænot. §. 262.

dit. (106) Periculum denunciandum eſt, ſi fauces febricitantis exulcerantur, in primis vero ſi aliud ſignum gravius, ut virium defectus, corporis jactatio, inquietudo, &c. affuerit. (107) Quibus fauces ſanguine crebro & noctu & interdiu replentur, dummodo nec capitis dolor prægreſſus, nec tuſſis, nec vomitus, nec febris, nec pectoris aut dorſi dolor affuerit; in his nares & fauces inſpiciendæ ſunt, utrum eo in loco aliquod ulcus, aut hirudo compareat. (108)

Ex labris. §. 12. Medici etiam tradiderunt varia præſagia, ex labiis alio atque alio modo affectis, deſumpta. v. g. labiorum aut narium puſtulæ in tertiana obortæ indicant febrem finiri. (109) Labia ſciſſa in febribus acutis ſignificant vehementem inflammationem. Si contracta & frigida, malum portendunt. Quando aliquis in febre acuta alterum ſuper alterum labrum ſublevat, malum eſt. (110) Labrum contractum, (inferius tradit Fœſius) denunciat bilioſæ alvi eruptionem. (111) Mortiferum eſt habere labra reſoluta, pendentia, frigida, exalbida. (112) Gravidæ brevi pariturae labra ſi livida,

(106) Coac. Prænot. §. 275. & Prorrhet. Libr. I. §. 11. ubi inſimul mentio fit ſtrangulatus.

(107) Ibidem §. 276. & Libro Prænot.

(108) Prædict. Libr. II. §. 17. Celſus Libro II. Cap. VII. hæc ita de Græco in Latinum convertit. *Cui fauces ſanguine & interdiu & noctu replentur, ſic ut neque capitis dolores, neque præcordiorum, neque tuſſis, neque vomitus, neque febricula præceſſerit, hujus aut in naribus, aut in faucibus ulcus reperietur.*

(109) Avicenna Cantic. Part. I. §. 479.

(110) Idem Libro IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXXVIII.

(111) Hippocrates Coac. Prænot. §. 240.

(112) Idem Libro Prænot. & aphor. XII. Sect. VIII. *Labia*

da, ſi aures & ſummus naſus albeſcant, indicant hæc, fœtum ſin mortuum, ſaltem morbidum eſſe. (113) Malum eſt ſi labia livida, vel cœrulea & corpus frigidum. Morbum immedicabilem indicant labra cærulea-ta, quæque ſubito areſcunt. Peſtiferum eſt, ſi labia ægrotantis tumida, & dentes quaſi aduſti fuerint. (114) Labiorum rimæ diuturnæ ſunt, nec facile coaleſcunt, & ſignificant magnam interiorum viſcerum impuritatem & intemperiem. (115) Dictis pauca de ſignificatione genarum ſubjungam. Hippocrates genarum ruborem & oculos cavos & ungues digitorum manus curvatos numerat inter ſigna, quibus purulentos cognoſcimus. (116) Sinenſes ſtatuunt genas, ſi nimis rubicundæ ſint, indicare morbum diuturnum: ſi in morbo pulmonum malæ rubeant & labia flaveant, hæc mortem portendere. (117)

§. 13. Ex collo & cervice Medici has prædictiones habent. Si febricitantis collum de- E collo & cervice.

bia livida aut etiam reſoluta, & inverſa, & frigida lethalia. Rhaſis ad Manſor Libr. x. Cap. xxi.

(113) Hippocrates Libro de ſuperfœtatione.

(114) Cleyerus de Medicin. Sinenſ. pag. 54. 56. §. 33. 41.

(115) Fœſius in notis ad §. 10. Sect. 1. Libr. 11. de morb. vulg. Hippocr.

(116) Hippocrates Libro Prænot. Cæl. Aurelianus Libr. v. Cap. x. Chronic. & Aretæus de ſign. & cauſſ. diut. morb. Libr. 1. Cap. x. Malarum ruborem referunt inter ſigna abſceſſum pulmonis ſpeciatim indicantia. Avicenna Libr. 1. Fen. 11. Doctr. 111. Cap. 1. ſcribit rubicundas malas pulmonis abſceſſum portendere, & ungues aduncos ulcus pulmonis ſignificare. Galenus in Progn. Hipp. Comm. 11. Cap. x. §. 60. arbitratur genas propter pulmonis calorem, & aſſiduam tuſſim rubere: utraque enim vultum & totum caput calefacere.

(117) Cleyerus de Medic. Sinenſ. Part. 11. pag. 54. & 57. §. 54.

derepente invertitur, & vix devorare poteſt, ſine ullo in collo vel faucibus tumore, lethiferum eſt. (118) Equidem cervicis dolor in omni febre malum portendit: in his vero peſſima quæque minatur, in quibus etiam de vehemente inſania metus eſt. (119) Si febres comitentur, aut ſine his accidant cervicis capitiſque dolores & gravitates, deſinunt hæc in phreniticis, quum convulſiones emergant: in primis vero ubi ægrotans vomitu ærugini ſimilia rejecerit. (120) Cervicis cubitorumque dolores convulſiones minantur: ex facie autem ad fauces iſta procedunt. (121) Cervicis ac dorſi algores, qui etiam univerſum corpus pervadere videntur, convulſiones denunciant in iis, in quorum urina hordei toſti non exacte moliti craſſioribus fruſtulis ſimilia continet. (122) Cervix

(118) Hippocrates aphor. xxxv. Sect. iv. & aphor. lviii. Sect. vii. & Coac. Prænot. §. 278. Collum neque converti poſſe, neque devorare, plerumque lethale. Celſus Libr. ii. Cap. vi. ita mentem Hippocratis exprimit. *Neque is ſervari poteſt, qui ſine ullo tumore febricitans, ſubito ſtrangulatur, aut devorare ſuam ſalivam non poteſt: cuive in eodem febris corporiſque habitu cervix convertitur, ſic ut devorare æque nihil poſſit.*

(119) Hippocrates Coac. Prænot. §. 272. & Prorrhet. §. 73. Galenus hoc enuntiatum non ut univerſale, ſed ut ſingulare, habet. Pro malo quidem ſigno habet, ſi dolor vel propter affectum cerebrum, vel propter medullam ſpinæ, vel ipſas cerebri membranas, exortus: minime vero ſi affectus a partibus, quæ extrinſecus vertebram circumjacent, fuerit productus. Quod autem ad inſaniam pertinet, non mirum, hanc mali ominis eſſe. Quippe ipſa inſania vix quiſpiam affectus deterior eſt.

(120) Hippocrates de morb. vulg. Libr. i. Sect. ii. §. 7.

(121) Idem Coac. Prænot. §. 270. & Prorrhet. i. §. 114.

(122) Ibidem §. 263. & Prorrhet. cxiii. mentio fit urinæ ſpumantis & animi defectionis, & ἀμαύρωσι©. i. e. oculorum hebetationis, quæ cum cervicis &c. algoribus ſignificare, convulſionem in propinquo eſſe.

vix dura cum dolore, & maxillarum connexio, juguli que venarum vehemens palpitatio cum tendinum diſtenſione, perniciem minantur. (123) Cervicis dolor & oculi admodum rubri ſanguinis erupturi prænuncia ſunt. (124) Si venæ, quæ eſt in cervice, pulſatio & dolor in febribus contingant, hæc inteſtinorum difficultatem prænunciant. (125) Perniciem minantur dolores ſenſim ingraveſcentes, ſi ad jugulum & partes ſuperiores tendant. (126) Si in collo apoſtema nigrum, & puſtulæ cum mentis alienatione vel vigiliis, vel malo anhelitu appareant, malum. In collo vulnera cum febre continua malum ſignificat: in primis vero ſi alia ſigna mala adſint. (127)

§. 14. Multum etiam facit cervix ad bonam capitis conſtitutionem. Caput enim bene conſtitutum ſequitur lata toroſaque cervix: parvum, vertebrarum tenuitas: & oblongum, cervicis latitudo. Oblonga cervix debilitatem, ampla & brevis, robur corporis, ſignificat. Ex cervice etiam dotes animi æſtimamus, quemadmodum Divus Paulus fecit, appellans Judæos σκληροτράχηλους, i. e. homines dura vel indomita cervice. Quin & hebetes, ſtupidos, molles, & ad quævis munia ineptos, longa ſpina infamamus. E cervice, ſpina & vertebris.

(123) Coac. Prænot. §. 261.
(124) Idem Prorrhet. Libr. I. §. 137.
(125) Idem Coac. Prænot. §. 324. Fœſius putat hæmorrhagiam ſignificari. Interim non negat poſſe & dyſenteriam indicari, ſi utpote materia morbi ad partes inferiores deponatur.
(126) Ibidem §. 70.
(127) Conſtantinus Afer loc. Comm. Libr. x. Cap. x.

mus. (128) De ſpina hæc prognoſtica in medium proferam. Quod ſi ſpina pervertatur, & ſpirandi difficultas adſit, his ſanguinis profluvium ſuperveniens auxilio eſt. (129) Si ſpinalis medulla, aut ex caſu, aut ob quandam cauſſam externam, aut ſponte ſua laborarit, & crurum impotentiam faciat, ut ne tactum quidem & ventris, & veſicæ æger percipiat, neque primis diebus ſtercus aut urinam, niſi coacte, reddat: imo ſi morbo inveteraſcente & ſtercus & urina ægro inſcio prodeunt, tum is tandem brevi tempore mortem obibit. (130) Si vertebræ in partem interiorem prolapſæ vel pervertantur, quod ad urinæ ſuppreſſionem & ſtuporem attinet, lethale eſt. Quod ſi exteriorem in partem incurvantur, eorum plurima minus ſunt noxia, quam quæ concutiendo non exciderunt; eo quod illa in ſeſe morbi diſcrimen recipiant, hæc vero in magnam corporis partem gliſcant, & in præcipuis partibus eveniant. (131) Hippocra-

(128) Fœſius in Libr. II. Sect. I. §. 10. de morb. vulg. Hippocr. Plura habentur apud Rhaſin ad Manſor Libr. II. de Re Med.

(129) Hippocrates Coac. Prænot. §. 311. Fœſius putat ſanguinis profluvium eam ſpinæ converſionem juvare poſſe, quæ ex inflammatione orta eſt, & ex qua ſpiritalium partium compreſſione, ſpirandi difficultas pendet.

(130) Idem Prædict. Libr. II. §. 17.

(131) Idem Libr. Mochlic. §. 18. ſcilicet ſpinæ ad interiora inclinatio longe periculoſior eſt, quam quæ fit ad exteriora & Libro de artic. §. 22. & Celſus Libr. VIII. Cap. XIV. tradit notas eorum, quorum in ſpina vertebræ exciderunt. Poſt variorum ſymptomatum funeſtorum narrationem hoc prognoſticum ſubjunxit. *Ex ejuſmodi caſibus, ut tardius quam ex capitis, ſic tamen intra triduum homo moritur.* Et poſt paulo. *Nonnunquam nervorum imbecillitas efficit, ut quamvis non exciderit vertebra, paulum tamen in priorem partem promineat. Id non jugulat, ſed abuse-*

crates inter affectus, quibus pueri ætate provectiores obnoxii ſunt, refert vertebræ, quæ ad occipitium eſt, interiorem in partem impulſiones. (132)

§. 15. Contingit nonnunquam, ut ex morbo ſpinæ vertebræ gibbum inferant. Is, ubi in ſuperiore ſpinæ parte fuerit enatus, vix curationem admittit: ſi vero infra ſeptum tranſverſum, ſubortis in cruribus inque poplite aut ad inguina varicibus vel diuturna dyſenteria, interdum ſolvitur. Gibbus, qui adulto jam corpori contingit, morbi præſentis ſolutionem quidem affert, verum progreſſu temporis ſpirandi difficultatem & compluria alia incommoda inducit: quamque iſta plerumque minus maligna ſint. Quid? quod multi facile ac ſatis incolumes gibbum ad ſenectam uſque ſuſtinuere, præſertim ii, quorum corpus carnoſum & pingue erat redditum: licet interea non negandum ſit, paucos ex iis annum ſexageſimum ſuperaſſe, ſed pleroſque citius mortuos fuiſſe. (133) Qui ex aſthmate aut tuſſi gibber fit, ante pubertatem moritur. (134) Prognoſtica gibberis.

§. 16. Corporis ægritududines, quæ ex dorſi dolore initia ducunt, difficiles ſunt. (135) Sic etiam rigores, qui ex dorſo prove- Dorſi.

interiore parte non contingi quidem poſſe, ab exteriore ſi propulſum eſt, plerumque iterum redit, niſi (quod admodum rarum eſt) vis nervis reſtituta eſt.

(132) Aphor. XXVI. Sect. III. Celſus Libr. I. Cap. I. ex Græco in Latinum vertit, vertebrarum, quæ in ſpina ſunt, aliquæ inclinationes.

(133) Hippocrates Libro de artic. §. 16. & Mochlic. §. 18.

(134) Idem aphor. XLVI. Sect. VI.

(135) Idem Coac. Prænot. §. 309.

veniunt, graviores ſunt & moleſtiores; (136) nec non crebri ex dorſo horrores, ſubinde locum commutantes, graves ſunt & difficiles; laborioſam quippe urinæ ſuppreſſionem minantur. Peſtiferum eſt, ſi ex hoc caſu ægri tenuiter exudant. (137) Laborioſum itidem exitum in dorſi ac pectoris dolore affert cruentæ mictionis ſuppreſſio. (138) De cætero Hippocrates, (139) in dorſi coxendicumque doloribus commendat ſanguinis miſſionem ex vena poplitum & malleolorum exteriorum.

Thoracis & pectoris.

§. 17. Ex inſpectione thoracis Medici animo præſagiunt qualemcunque corporis conſtitutionem, vel principiorum id conſtituentium, temperiem. v. gr. Thoracem hirſutum, putant, indicare plurimum in corde caloris eſſe, & talem hominem eſſe audacem. Thoracem undique latiſſimum, venas amplas, arterias magnas valideque pulſantes, & plurimos per univerſum corpus pilos, æqualem corporis temperiem denotare. Thoracem anguſtum & glabrum, cutem mollem & albicantem &c. frigidam corporis conditionem prodere; quin & talem hominem eſſe timidum ac ſegnem. (140) Bene conſtituti pectoris notas præterea eſſe, ſi id ipſum quadratum ac hiſpidum, ſi ejus car-

(136) Ibidem §. 11.

(137) Ibidem §. 8. & 46. & Prorrhet. I. §. 75.

(138) Idem Coac. Prænot. §. 272.

(139) Libro de Natura homin. & Libro de glandul.

(140) Galenus de Temperam. Libr. II. Cap. XII. Avicenna Libr. III. Fen. XI. Tract. I. Cap. III. & deinceps. & Ætius Tetr. I. Serm. IV. Cap. LXXVII. & deinceps.

cartilago exigua & admodum carnoſa: e diverſo pectus, quod modo memoratæ conſtitutioni e diametro oppoſitum eſt, in tabidis cum maxime exitioſum eſſe. (141) Quid? quod Medici obſervarunt, quibus pectus anguſtum eſt, eos ad phthiſin eſſe proclíviores: quinimo tales, ſi ea corripiantur magis, quam alios periclitari. (142) Quantum ad pectoris, male ſe habentis, prognoſtica pertinet, a majoribus obſervatum eſt, pectoris dolorem cum febre, & alvum perturbatam cum torpore, nigras dejectiones ſignificare. (143) Dolorem in pectore fixum cum torpore, malum denunciare; & ægrum, ſi inſuper febris accedat, celeriter mortem oppetere. (144) Cui vulnus in thoracem inflictum, ei, ubi externa vulneris pars ſaneſcat, interna autem nequaquam, ſuppurationem impendere: ſin vero cicatrix vulneris interni tenera ſeu debilis fuerit, talem ex facili, a levi quadam cauſſa, delacerari. (145)

§. 18. Præſenſiones rerum futurarum Medici etiam ex mulierum mammis capiunt. Ex. gr. ſi mammæ mulieris gravidæ impro- Mammarum.

viſo

(141) Hippocrates Prædict. II. §. 6. Celſus Libr. II. Cap. VIII. ita vertit *corpus id, quod minime tenue maximeque lati pectoris atque ſetoſi eſt, cujuſque cartilago exigua & carnoſa eſt.*

(142) Galenus in Hippocr. aphor. XXXIV. Sect. II. & in aphor. XIII. Sect. III. ſcribit, qui anguſto ſunt pectore, & quibus a capite ad pulmones, deſtillatio fit, eos in tabem inclinare.

(143) Hippocrates Coac. Prænot. §. 274. Fœſius huic aphoriſmo non univerſalem, ſed ſingularem ſignificationem tribuit.

(144) Ibidem §. 315. & Prorrhet. I. §. 70.

(145) Ibidem §. 430.

viſo gracileſcunt, de abortione metus eſt. (146) Si mulieri partum geminum gerenti altera mamma gracilis fit, alterum abortiet. Et quidem ſi dextra gracileſcit, marem: ſi ſiniſtra, fœminam. (147) Si lac copioſum e mammis gravidæ mulieris effluit, fœtum infirmum indicat: ſi vero mammæ fuerint ſolidæ, valentiorem fœtum ſignificant. (148) Si mulier, quæ nec utero gravis eſt, nec peperit, lac habet, ei menſtrua defecerunt. (149) Si ad mulieris mammas ſanguis in tumorem colligitur, furorem portendit. (150) Si mammarum papillæ & rubra circa eas circumferentia pallent, ſignificatur uterum eſſe morboſum. (151) Si quæ mammarum doloribus ex febre torquentur, eas a dolore liberat ſanguinis concreti expuitio non fæculenta. (152)

Præcordia quid.

§. 19. Antequam de præcordiorum ſignificatione ſcribam, admonere lectores debeo de *homonymia*, ſeu ambiguitate nominis: ſiquidem veteres per vocabulum præcordiorum

(146) Idem aphor. XXXVII. Sect. V. Celſus Cap. VIII. Libr. II. *Mulieri gravidæ, ſi ſubito mammæ emacruerint, abortus periculum*, & aphor. LIII. Sect. V. In quibus futurum eſt ut abortiant, earum mammæ, extenuantur. Si vero duræ reddantur, dolor erit vel in mammis, vel in oculis, vel in genibus, & tales mulieres non abortabunt. Conſtantinus Afer & Haly Libr. X. Cap. III. eadem memorant.

(147) Idem aphor. XXXVIII. Sect. V.

(148) Idem aphor. LII. Sect. V.

(149) Ibidem aphor. XXXIX. Celſus loc. cit. *Quæ neque peperit, neque gravida eſt, ſi lac habet, a menſtruis defecta eſt.*

(150) Ibidem aphor. XL. Celſus Cap. VII. Libr. II. *ſuffuſæ quoque ſanguine mulieris mammæ, furorem venturum eſſe teſtantur.*

(151) Hippocrates de morb. vulg. Libr. VI. Sect. V. §. 17.

(152) Idem Coac. Prænot. §. 353.

rum varias res indicarunt, ut exta; affectiones animi, hypochondria, ſeptum tranſverſum. (153) Nos, Celſi & plerorumque Medicorum auctoritatem ſequentes, per id ſignificabimus hypochondria. Vocabant autem veteres, quæ ſub ventriculi ore ad partem exteriorem apparent, hypochondria. Sic etiam idem vocabulum imponebant interioribus viſceribus, quoniam & ipſa ſub cartilaginibus coſtarum notharum poſita ſunt: verumtamen exteriores partes potiſſimum ita nominabant. (154)

§. 20. Quod ad præcordiorum prognoſtica pertinet, Hippocrates ea in morbis optima eſſe ſcribit, quæ ſine dolore mollia, & tum dextra tum ſiniſtra parte æqualia ſunt: incenſa vero aut dolentia, aut intenſa, aut in-

Prædictiones ex præcordiis omnifariam affectis.

(153) Ita Cicero Tuſc. Quæſt. Libr. I. §. 96. de Thereomene, poſtquam venenum ebibiſſet, ſcribit. *Luſit vir egregius extremo ſpiritu, cum jam præcordiis.* i. e. *viſceribus, conceptam mortem contineret.* & de finib. bon. & mal. §. 92. de Polycrate Samio annulum in mare abjiciente. *Felix rurſus cum is ipſe annulus in præcordiis.* i. e. extis, *piſcis inventus eſt.* & Tuſc. Quæſt. Libr. I. §. 20. *Plato iram in pectore, cupiditatem ſubter præcordia.* i. e. ſubter ſeptum tranſverſum in jocinore, *locavit.* Quando poëtæ canunt præcordia ferrea, inquieta, flagrantia &c. ecquis ignorat per hæc omnis generis animi affectiones ſignificari. Nam ut habent Servius ad Libr. VII. Æneid. & Iſiodorus Orig. Libr. XI. Cap. I. *Præcordia ſunt loca cordi vicina, quibus ſenſus percipitur: & ducta præcordia, eo quod ibi ſit principium cordis & cogitationis.* Plinius Hiſt. Nat. Libr. XXX. Cap. V. ſcribit præcordia vocari uno nomine exta in homine. & Libr. XI. Cap. XXXVII. Exta homini ab inferiore viſcerum parte ſeparari membranis, quæ præcordia appellantur, quia cordi prætenduntur, quod Græcos appellare phrenas. Hoc idem eſt quod Medici diaphragma ſeu ſeptum tranſverſum nominant.

(154) Galenus Introduct. Cap. IX. Ruffus Epheſus de part. appell. Libr. I. Cap. XI. ſpuriarum coſtarnm extremitates χόνδρει, cartilagines ſunt: muſculoſæ autem partes ſubter cartilagines collocatæ ὑποχόνδρια, quaſi dicas *ſubcartilaginea.*

inæqualiter dextra parte ad ſiniſtram affecta; hæc omnia eſſe animadvertenda. Si pulſatio in præcordiis inſit, hanc, ſi oculi crebro moveantur, perturbationem animi, aut delirium portendere. (155) Ita etiam præcordia tumida, dura ac dolentia, ſi per totum ita fuerint affecta, maximum malum minari: ſi vero altera parte duntaxat, minus periculi ægro eſſe ex ſiniſtra. (156) Dolores, qui in præcordia ingruunt, pravos equidem eſſe, verum tum maxime ſi alvus fuerit humida. Deteriores eſſe, ſi brevi tempore fiant. Quin minus ſuborta inde ad aures tubercula aliaſque ſuppurationes malignitatem præ ſe ferre. (157) Malignas etiam eſſe febres, ex præcordiorum dolore exortas. Peſtiferum eſſe, ſi una adfuerit ſopor profundus. (158) Præcordiorum dolores in febre cum loquendi impotentia, ſi ſine ſudore finiantur, malum ſignificare. His ad coxendices dolores decumbere. (159) Si præcordiorum doloribus, ſine inflammatione obor-

(155) Libro Prænotion. & Coac. Prænot. §. 279 282.

(156) Idem Coac. Prænot. §. 280. Celſus Libr. II. Cap. III. inter bona ægrotantis ſigna refert, ſi præcordia ejus ſine ullo ſenſu doloris æqualiter mollia in utraque parte ſunt. Quod ſi paulo tumidiora ſint, ſed tamen digitis cedant, & non doleant, hanc valetudinem, ut ſpatium aliquod habuerit, ſic tutam fore. Mali autem morbi teſtimonium eſſe, Cap. IV. ſcribit, ſi præcordia inflammata, dolentia, dura, tumida, intenta: magiſque ſi hæc dextra parte quam ſiniſtra ſint. Periculoſiſſimum tamen eſſe, ſi venæ quoque ibi vehementer agitentur.

(157) Coac. Prænot. §. 284.

(158) Ibidem §. 31. & Prorrhet. I. §. 56.

(159) Ibidem §. 297. & Prorrhet. §. 9. ubi tamen poſterior aphoriſmi pars ita legitur: *In his dolores ad coxendices cum ardente febre atque alvus affatim prorumpens, perniciem oſtentant.* Eadem habentur. Coac. Præn. §. 299.

ortis, febris ſuperveniat, dolorem finiri. (160) Si in febribus præcordiorum dolori cum aliquo murmure ſuccedat lumborum dolor, alvum, niſi flatus eruperit, aut urina copia prodiverit, plerumque reddi humidam. (161) Si ex præcordiorum doloribus alvus aliquantum viſcida paulatim tranſmittat, eam tum ſtercorea pauca demittere, ac fortaſſis ſanguinem profundere. (162) Si quos derepente ſine febre præcordiorum, aut oris ventriculi aut crurum & partium inferiorum dolor affligat, eis venæ inciſionem, aut alvi dejectiones ſolutionem doloris afferre. In hoc caſu febricitare noxium eſſe. Uſu enim non raro venire, ut longæ vehementeſque febres, & tuſſis, & ſpirandi difficultas atque ſingultus dicto dolori ſuccedant: hæc autem, ubi ad ſolutionem tendant, ſolere acerbum coxarum crurumve dolorem, aut expuitionem purulentæ materiæ, aut viſus orbitatem ſubſequi. (163) Qui præcordiorum, oris ventriculi, jecoris, ac partium, quæ circa umbilicum ſunt, doloribus conflictentur, eos a doloribus liberari, ſi cruenta alvi dejectio ſuperveniat; ſecus ſi accidat, eos morituros. (164)

Ma-

(160) Idem aphor. XL. Sect. VI.

(161) Aphor. LXXIII. Sect. IV. & Coac. Prænot. §. 291.

(162) Coac. Prænot. §. 293.

(163) Ibidem §. 294. Eadem fere Libro de Criſib. *Quibus dolores derepente oriuntur, præcordia ſurſum attolluntur, ſi dolores vehementes ad notham coſtam contingant, his venæ ſectio & deorſum purgatio ſolutionem adfert.*

(164) Ibidem §. 295. Fœſius non perpetuum eſſe, ſtatuit, ut hujuſmodi partium dolores finiantur alvo cruenta dejiciente: nec mortem ideo inſtare, quamquam alvus nulla cruenta egeſſerit.

Malum eſſe, ſi ea, quæ præcordiis aut pulmoni dolores inferebant; ad ſuppurationem tendant. (165) Malum aliquod gravidis mulieribus inſtare, ubi præcordia indoleant. (166) Quod ſi *Cynanchico* præcordiorum dolor cum impotentia & torpore obveniat, latenter eum ægro mortem inferre, tametſi admodum pulchre ſibi eſſe videatur. (167) Malum minitari præcordia tumida, inflata, in altum ſublata, dum alvus ſuppreſſa. Periculoſum magis eſſe, ſi talia fuerint in his, qui ex longo intervallo contabeſcunt; ac quorum alvus eſt fuſa. (168) Quorum præcordia inflammatione laborant, atque ex hoc caſu pus colligunt; eorum alvum ſub mortem nigra dejicere. (169) Si præcordia intenta & tumida, arteriæque in manibus valide pulſent, facieſque ægri ſanorum ſimilis fuerit, ſignificare hæc morbum fore diuturnum; quem fere non, niſi convulſio, aut copioſum ſanguinis e naribus profluvium, aut coxendicum dolor ſubſequatur; finiri. (170) Multi enim morbi per μετάπτωσιν ſolvuntur; materia morbi aliorſum ad partem ignobiliorem delata: vel vitio ex anguſtiore ſede in latiorem tranſeunte. Ut in angina fauces liberantur, rubore & tumore in præcordiis orto. (171) Animadvertit talem & Hippocrates, ut ſupra Cap. III. §. 24. in-

(165) Ibidem §. 216.
(166) Ibidem §. 523.
(167) Ibidem §. 374.
(168) Ibidem §. 287. 301. 442.
(169) Ibidem §. 288.
(170) Idem de morb. vulg. Libr. II. Sect. VI. §. 1. Coac. Præn. §. 296.
(171) Celſus Libr. IV. Cap. IV.

indicavi. Proinde optime conſulit Medicis ut etiam præcordiorum ſucceſſiones, ex quibus & quales fiant, ſpectent; obſervent quoque alias, quantum eæ in viſcerum inflammationibus valeant, ſive ex hepate in ſplenem, ſive contra ferantur, & quæcunque hujuſmodi fuerint. (172) Si hypochondria & abdomen ſentiantur verſus ſuperiora attrahi, interdum vomitum, aut capitis dolorem in febribus, aut ſanguinis e naribus eruptionem, aut permutationem materiæ & abſceſſus ad ſuperiora, ſignificant: ſin vero verſus inferiora trahantur, ventris dejectionem, quam dolor pungens una prodit, aut materiæ morboſæ per urinas amandationem, indicant. (173) Si hypochondria tenſa, & alterum altero magis emineat, & tactu durius aut mollius percipiatur, mali morbi teſtimonium eſt. Si præcordiorum diſtenſio eſt cum dolore, materia morbi ad inferiora: ſi ſine dolore, ad ſuperiora potius verget. (174) Malum eſt, ſi hypochondria ſint ſubtilia. Malum item eſt, ſi indoleant, & tumeant; quippe vomicam quandam latere indicant. Malum eſt, ſi in diarrhoea ſub hypochondriis partes emacreſcant. (175) Cui dolent hypochondria, præcipue vero ſiniſtrum, ac adeſt inſuper inflatio ejus manifeſta, is cito conſumetur, ac ter-

(172) Hippocrates de morb. vulg. Libr. VI. Sect. II. §. 20.

(173) Avicenna Libr. III. Fen. XIII. Tract. V. Cap. XXII. & Libr. III, Fen, XV. Tract, I. Cap. XVI.

(174) Idem Libro IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XLIV.

(175) Conſtantinus Aphoriſ. loc. comm, Libr. X. Cap. X.

tertio die mortem obibit. (176) Si gravitas & diſtentio in dextro hypochondrio circa coſtas dorſi eſt, indicant hæc epar male ſe habere. (177)

Prognoſtica oris ventriculi.

§. 21. Licet vocabulum Græcum καρδία plerumque cor ſignificet: veteres Medici tamen idem nomen nonnunquam ſuperiori ventriculi ori imponebant, quod deinceps ætate Galeni aſſolebat nominatione ſtomachi cooptari. (178) Hoc ubi dolet & præcordia pulſant in febre, in qua totus corporis habitus perfrigeſcit, malum prænunciat: privatim vero ſi talia cum ſudoribus tenuibus eveniant. (179) Stomachi dolor cum præcordiis contenſis, & dolore capitis, malignum quippiam, & ſuſpirioſum quendam affectum indicant. (180) Si dolentibus lumbis oris ventriculi dolor acceſſerit, futuræ per hæmorrhoidas ſanguinis eruptionis ſignum eſt; aut etiam eam præceſſiſſe ſignificat. (181) Oris ventriculi dolor, ſi ſeniorem

(176) Rhaſis aphor. IV. Libr. V.

(177) Alſaharavius Theoric. Tract. VI. Cap. XX.

(178) Galenus de loc. affect. Libr. V. Cap. V. & in aphor. LVI. Sect. VII. Appellabant autem os ventriculi cor, quia illud ſimilia, quam hoc, inferre videtur accidentia, ut ſyncopen, ſoporem, morbum comitialem &c.

(179) Hippocrates Coac. Prænot. §. 283.

(180) Idem Prorrhet. I. §. 72.

(181) Ibidem §. 130. & Coac. Prænot. §. 312. Galenus in Prorrhet. I. Comm. III. §. 37. Vero ſimile eſſe, inquit, in hoc paragrapho de non febricitante mentionem fieri. In hoc enim, ſi per plures dies lumbi atque os ventriculi ſine ulla manifeſta cauſſa indoluerint, eruptionem ſanguinis per hæmorrhoidas eſſe expectandam: præcipue vero in eo, qui natura eſt malancholicus, quem ejuſmodi doloribus ob inhibitum fluxum non raro conflictari. Quid? quod & præſente ſanguinis per ora venarum, quæ in ano ſunt, profluvio, dictæ partes indoleant, ob tenue ac acre ſanguinis

rem crebro affligit, repentinam mortem minatur. Oris ventriculi dolores cum inteſtinorum cruciatu, interaneorum animalia dejiciunt. (182) Hæc autem, & memoratam cardialgiam autumnus ſua feritate & malignitate producere ſolet. (183)

§. 22) Ventrem bonæ notæ eſſe ſtatuit Hippocrates, (184) ſi in quovis morbo mollis, ſi mediocriter tumeat. Bonum etiam ſignum in ſingulis morbis eſſe, ſi partes, quæ ad umbilicum ad imum ventrem tendunt, craſſitudinem quandam præ ſe ferant: verum ſi eæ ipſæ tenues, & macie quaſi extabuerint, malum. (185) Ventrem circum tenſum, ſi neceſſitate vel vi, liquida demittat, ac celeriter tumeſcat, ſpaſticum quippiam ſignificare. (186) Si circa ventrem palpitationes contingant, & præcordia in oblongum diſtendantur, ac inſimul intumeſcant, denunciare hæc ſanguinis e naribus eruptionem, eamque interdum cum horrore futuram. (187) Mortiferum eſſe, ſi ex diu- *Prædictiones ex ventre plurifariam affecto.*

guinis ſerum in ventrem confluens, atque ad ejus orificium pertingens, iſtic loci cardialgiam efficiens. Eadem ratio eſt dicti ſeri ad inferiores partes, ad lumbos delati, quod & iis dolorem importare, aptum eſſe.

(182) Idem Coac. Prænot. §. 286. 285.

(183) Idem de morb. vulg. Libr. VI. Sect. I. §. 13.

(184) Libro Prænotion.

(185) Idem aphor. XXXV. Sect. II.

(186) Idem Libro Prædict. I. §. 99. & Coac. Prænot. §. 86. ventris tumores, qui præter rationem in morbis longis fiunt, convulſiones afferre. Galenus in I. Prorrhet. Hippocr. §. 7. Comm. III. habet hoc placitum in dubiis, quæ aliquando eveniunt. Quod cum ita ſit, non vult inter univerſalia, ut ab auctore prorrheticorum factum, ſed inter ſingularia id referri.

(187) Prædict. Libr. I. §. 144. Hoc enuntiatum Coac. Prænot. §. 298. aliter profertur. Nempe, *Quæ contingunt in febre circa ventrem palpitationes, mentis emotionem adferunt. Quin*

diuturno ventris affectu bilioſa vomentibus, ac cibum faſtidientibus, copioſus ſudor cum repentina virium impotentia oboriatur. (188) Ventris dolorem ſignificare, ructum quodammodo revulſum, intro convolutum, potum ægre cum difficultate ſpirandi tuſſi conjuncta devoranti, ſupervenientem. (189) Ex doloribus ventris eos, qui ad loca ſublimia tendunt, leviores ſeu brevis temporis eſſe: ex adverſo, qui ad inferiora, vehementiores eſſe. (190) Si ex magno ventris dolore febris ardens exoriatur, hanc exitium ægro minari. (191) Quod ſi venter a partu doleat, ſignum eſſe in puerpera materiam purulentam expurgari. (192) Hactenus Hippocratis, nunc aliorum obſervata perſcribam. Ubi dolor in imo ventre & in coxis eſt, aqua inter cutem inſtat. (193) Ubi venter in morbis acutis inflatur, ac parum rurſus oborta alvi dejectione detumeſcit, mortem prænunciat; in primis vero ſi quando puſtula ampla coloris fuſci in eo inſuper exoritur. Ubi abdomen non a flatibus cum ſiccitate inflatur, ſignificat intus aliquem abſceſſum eſſe. (194) Qui tormina habent, & circa umbilicum cruciatus, & lumborum dolorem, qui nec medicamento nec aliis præſidiis ſolvitur, is tandem in hydro-

& ſanguinis ex naribus profluvium cum horroris ſenſu interdum accedit.

(188) Coac. Prænot. §. 638.

(189) Ibidem §. 632.

(190) Idem aphor. VII. Sect. VI.

(191) Idem Coac. Prænot. §. 130.

(192) Ibidem §. 520.

(193) Celſus Libr. II. Cap. VII.

(194) Avicenna Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XLIV.

dropem ſiccum confirmatur. (195) Si umbilici tumor derepente evaneſcat, mortem ægro portendit. (196)

§. 23. De lumbis varie affectis veteres Medici varia ſigna literis tradiderunt. Conferam hæc, quoad potero, ad compendium. Qui Coacas prænotiones & librum primum prædictionum collegerunt, ſuadent in ægris, qui lumborum dolore, & anxietate citra vomitum conflictantur, & paulisper ferociter deſipiunt, conſiderandum eſſe, num nigra per alvum dejicienda ſint. (197) Equidem lumborum dolorem diu diuque cum æſtu moleſto, tenui circa caput & thoracem oborto ſudore, perſeverantem, exitium minitari: Veruntamen præter hæc eſſe advertendum, num ex his tremor fiat, & vox, velut in rigore uſu venit, tremula evadat. (198) Quæ ex lumbis in cervicem & caput redundant, & levis ſiderationis in modum reſolutionis ſenſum (παραπληκτικὸν τρόπον) inducunt, hæc quidem convulſionem ac quandam mentis alienationem minari: videndum tamen eſſe, an talia convulſionibus ſolvantur, an in hujuſmodi ægris al- Ex lumborum dolore.

(195) Hippocrates aphor. XI. Sect. IV. & Coac. Prænot. §. 304. ubi tamen nulla torminum mentio fit. Eadem Haly Theoric. Libr. X. Cap. III.

(196) Cleyerus de Medic. Sinenſ. Part. II. pag. 56. §. 39.

(197) Coac. Prænot. §. 319. & Prorrhet. Libr. I. §. 85. Galenus in Prorrhet. Hippocr. Comm. II. §. 53. dubium ſolvit. Nempe non in omnibus, ſed in quibuſdam, talia eſſe futura.

(198) Prorrhet. I. §. 42. Prior aphoriſmi pars habetur etiam Coac. Prænot. §. 323. Manca eſt ſententia Coac. Prænot. §. 318. quæ ita ſe habet. *Qui lumborum dolore conflictantur, ii male habent. Num his tremores fiunt, & maculæ rubentes, quales in tibiis cum rigore?*

alvus male ſe habeat, an memorata ſymptomata diutius perſeverent. (199) De lumbis Hippocrates annotavit, (200) quod ſi eorum & partium inferiorum dolores, præſente una febre, relictis inferioribus ad ſeptum tranſverſum tranſeant, tales admodum exitiales eſſe: in primis vero ſi inſuper aliquod ex malis ſignis acceſſerit. Quod ſi nullum reliquorum ſignorum aliquod periculum oſtenderit, de ſuppuratione futura metum eſſe. Lumborum doloris ad latus recurſum, & tubercula putrida, quæ σήψ dicuntur, malum ſignificare. (201) Si ex recurſu doloris in lumbis oculorum perverſio aut diſtortio oriatur, malum eſſe. (202) Si lumborum dolor ſine cauſſa manifeſta crebro ægrum invadit, ſeu crebrior ejus doloris

(199) Coac. Prænot. §. 313. & Prorrhet. I. §. 118. Galenus in 1. Prorrhet. Comm. II. §. 26. monumentis prodidit, ſe ſemel vidiſſe talem ægrum, in quo obſervavit ejuſmodi ſymptomata alternare. Scilicet prægreſſis lumborum colique doloribus ſucceſſiſſe manus totius tum ſenſus tum motionis cujuſdammodi orbitatem, paraplectico modo, cum non eſſet vera paraplegia. Superveniente autem convulſione illam mox ad ſenſum ad motum expeditiorem fuiſſe factam: quam placata convulſione deteriore conditione iterum fuiſſe: & ſic non ſemel ex dictis accidentiis alterum alteri viciſſim ſucceſſiſſe.

(200) Libro Prænotion. & Coac. Prænot. §. 108. Celſus Libr. II. Cap. VII. videtur ſententiam Hippocratis hoc pacto expreſſiſſe. *Si a coxis & ab inferioribus partibus dolor in pectus tranſit, neque ullum malum ſignum acceſſit, ſuppurationis eo loco periculum eſt.* Galenus in Progn. Comm. II. §. 70. ſcribit Hippocratem voluiſſe indicare, quod ſi morbus in thoracem tranſeat, e duobus memoratis alterum contingere par eſſe: fore enim, ut æger aut ſubito intereat, aut, ſi aliquanto melior ejus conditio fuerit, prorſus evadat purulentus. Utrum autem horum eventurum eſſe? indicari ſignis, quæ ſi non prava, ſuppurationem; ſin vero prava fuerint, mortem prænunciare.

(201) De morb. vulgarib. Libr. VI. Sect. VIII. §. 3.

(202) Idem Prorrhet. I. §. 69. & Coac. Prænot. §. 314.

ris reverſio eſt, ejuſmodi malignitatem morbi indicare. (203) Si lumborum dolor in caput recurſat, & manus ægrotantis torpore affectæ, habeatque idem oris ventriculi dolorem, aut aurium ſonitum, ſignificare hæc, copioſam ſanguinis effuſionem, nec non alvum fuſam, & ægrum perturbatione animi tentari. (204) Enimvero lumborum dolores ſanguinis fluxum, & hunc quidem copioſum, excitare ſolent. (205) Si in eo, qui febrem, ad tertianæ naturam propius accedentem, habet, diuturni lumborum dolores magis magiſque in dies ingraveſcant, in ſpe habemus ſanguinem concretum per locum quendam inferiorem ſecluſum iri. (206) Si lumborum dolores diuturni, qui ſenſim fiunt, circa præcordia involuti cum ciborum faſtidio & febre fuerint, eos, ubi acerbum capitis dolorem intulerint, celeriter ægrum quadam convulſionis ſpecie perimere. (207) Si lumborum dolores ad os ventriculi recurſent, infeſtante febre atque horrore: ſi ex hoc caſu ægri tenuia & aquoſa vomitu rejecerint, delirarint, voceque priventur, eos poſt nigrorum vomitionem deinceps mori. (208) Lumborum & capitis ac oris ventriculi dolorem cum valida excrea-

(203) Idem Coac. Prænot §. 322.

(204) Ibidem §. 308. & Prædict. 1. §. 139.

(205) Ibidem §. 306. 307.

(206) Ibidem §. 305. Fœſius ſtatuit hujuſmodi ſanguinis grumos non modo per alvum; ſed & per urinas e corpore educi.

(207) Ibidem §. 317. & Prædict. 1. §. 100.

(208) Ibidem §. 316. Eadem fere repetuntur Prorrhet. 1. §. 83.

creatione, convulſionem facere ſuſpectam. (209) Si qui lumborum & lateris doloribus ſine ulla occaſione conflictentur, eos in morbum regium incidere. (210) Si lumbi propter menſium mulierum copiam contendantur, ſignificari his ſuppurationem futuram: quam adeſſe, denunciare excreta per uterum varia, glutinoſa, graveolentia, ſtrangulatum inducentia. (211) Si tempore hyemali lumborum frigus & gravitas ex levi occaſione orta ſit, & alvi ſuppreſſio, ventre interim ſuperiore muniis ſuis probe fungente, ex hoc caſu aut coxendicum vel renum dolorem, aut veſicæ ſtillicidium eſſe expectandum. (212) Quantum vero ad curationem pertinet, Hippocrates vult non febricitantes, ſi tormina & genuum gravitatem & lumborum dolores habeant, per inferiora eſſe purgandos; (213) aſt in vehemente lumborum dolore, & largiore alvi ſubductione, crebram ſpumoſorum vomitionem, ab aſſumpto veratro proritatam, prodeſſe. (214)

Et coxendicis.

§. 24. Quantum ad coxendicis dolores attinet, Hippocrates exiſtimat, ſeniores, quibus vehementiſſimus torpor eſt, & lumbi ac crura frigeſcunt, quique pudendum erigere non valent, ac quorum alvus non niſi coacta egerit; redditque plurimum excre-

(209) Prorrhet. I. §. 106. & Coac. Prænot. §. 320. ubi tamen nulla capitis doloris fit mentio.

(210) Coac. Prænot. §. 325.

(211) Ibidem §. 324.

(212) Ibidem §. 487.

(213) Aphoriſm. XX. Sect. IV.

(214) Coac. Prænot. §. 310.

crementum mucoſum, diu ex hoc affectu laboraturos: eundemque ex quo cœpit, minimum per annum duraturum, deque ejus curatione non niſi vere aut æſtate ſperare Medicum debere. At enimvero juvenes, tametſi ejuſdemmodi doloribus obnoxii ſint, ocyus, intra XL. dies utpote, ab hoc malo liberari; nec adeo torpore, ac crurum lumborumque algore tentari, ut ſenes. Animadvertendum præterea ægrum, cui cauſſa morbi non neceſſe eſt continenter cubare, num quicquam ejus in coxa concreſcat, an inguine tenus dolor perveniat. Quod ſi utrumque fuerit, ſignum hoc morbi diuturni eſſe. Porro ex ægroto ſciſcitari Medicum oportere, num femoris torpor ad poplitem uſque pertingat, & an is ipſe per tibiam ad primam ſummi pedis partem, *tarſon* vocant, feratur. Quod ſi multa ex his ægrotans fateatur, recte tum ipſi Medicus prædicet, fore ut crus modo calidum modo frigidum ſit. Si affectus relictis ſuperioribus, quæ juxta lumbos ſunt, ad partes inferiores tendat, bonum: e contrario, ſi ſupra verſus coxendicem & lumbos, malum ſignum eſſe. (215) Si febrem ardentem habenti ſuper-

(215) Prædictionum Libro II. §. 34. Celſus Libr. II. Cap. VIII. ita latine reddit. *In coxa doloribus, ſi vehemens torpor eſt, frigeſcitque crus & coxa, alvuſque niſi coacta non reddit, idque, quod excernitur, mucoſum eſt, jamque ætas ejus hominis quadrageſimum annum exceſſit, is morbus erit longiſſimus, minimumque annuus, neque finiri poterit, niſi aut vere, aut autumno.* N. Hippocrates non autumno, ſed æſtate ſcripſit. Cæterum poſtquam Celſus in medio dicti capitis memoraſſet affectus, qui facilius a teneris ætatibus depelluntur, hoc pacto ſcriptionem perſequitur. *Eadem ætas prodeſt & in coxæ dolore, & humero-*

perveneriț coxendicis dolor, aut oculorum perverſio vel cæcitas, aut teſtium tumor, aut mammarum elevatio, hæc dictam febrem ſolvere. (216) Si propter longum coxendicis dolorem, articulus coxæ e loco ſuo excidat, ac iterum recipiatur, obſervatum eſt mucoſum humorem ibi loci colligi. Quod ſi ob diuturnum coxendicis dolorem femoris caput ſuo loco excidat, futurum eſſe, ut ægrotantis crus tabeſcat, ac is ipſe, niſi uratur, ex hoc affectu claudicet. (217) Arabis hæc obſervata monumentis mandarunt. Si cui in coxa abſceſſus cum magno ardore contingit, is ſeptimo menſe moriturus. (218) Si cuipiam *ancha.* i. e. coxendix, indoleat, & in coxa appareat locus magnitudine trium digitorum admodum rubicundus ſine dolore, ſi idem locus poſtmodum valde pruriat, & æger olera deſideret, ſignum eſt, hunc intra XXV. dies moriturum. (219)

Prædictiones ex femore, genibus, pedibus.

§. 25. Pergam partium inferiorum, quæ ſub coxa ſunt, ſigna prognoſtica ſcribere. Femoris dolor cum febre ad ſeptum tranſverſum uſque pertingens, mortifer eſt; maxime vero ſi alia ſigna mala præſto fuerint.

merorum, & in omni reſolutione nervorum. Et quibus coxa ſine torpore eſt, ſi leviter friget, quamvis magnos dolores habet, tamen & mature & facile ſanatur. & Cap. VI. ſcribit, dolores circa coxas & inferiores partes ortos, ſi ad viſcera tranſierint, ſubitoque deſiverint; mortem ſubeſſe teſtari, magiſque ſi alia quoque ſigna acceſſerint.

(216) Hippocrates Libr. de Judicationib.

(217) Idem aphor. LIX. LX. Sect. VI.

(218) Rhaſis aphor. XVI. Libr. V. & Alſaharavius Tract. VI. Cap. XIX. *Quando apparuerit apoſtema calidum inflammatum in coxa infra duos dies morietur.*

(219) Avicenna Libr. III. Fen. XXII. Tract. II. Cap. V.

rint. Dolor enim in dicta parte cum febre minatur abſceſſum calidum. Quod ſi dolor ad diaphragma pertinuerit, propter conſortium, quod huic cum cerebro intercedit, fieri ſolet mentis alienatio, quæ plerumque lethifera eſt. Si in eo, qui dolorem in femoribus habet, appareant puſtulæ putridæ, malum portendunt. (220) Si, poſtquam femoris dolor evanuerit, urinæ enæorema innatat, ſignificat futuram mentis alienationem, & talia, cujuſmodi circa aurium ſonitus contingunt. (221) In febre non modo convulſio, ſed & manuum ac pedum dolores malignum quiddam prænunciant. Ejuſdem notæ eſt doloris ex femore impetus, & genuum, & ſurarum dolores, & mentis alienatio; quæ ſingula tum præcipue exitiabilia ſunt, ubi quippiam ſublime, a Græcis enæorema dictum, urinæ innarit. (222) Si cuipiam genuum dolor eſt, & laſſitudo; &, cum ſurgere ipſi animus fuerit, dolorem habet magnum, hæc nervorum reſolutionis prænuncia ſunt. (223) Si ſuræ tumidæ, & genua inſtar vaſis cujuſdam inflata, mortem ſignificant. Peſtiferum itidem eſt, ubi ſuræ tumidæ & vomitus atque capitis dolor fuerint. (224) Anxietatis indicium eſt, ſi æger habuerit pedes nudos, haud admodum calidos, & manus, cervicemque atque crura inæqualiter diſperſa & nuda.

(220) Conſtantinus Afer loc. comm. Libr. x. Cap. x.

(221) Hippocrates Prædict. I. §. 37.

(222) Coacar. Prænot. §. 30. & Prorrhet. I. §. 36.

(223) Rhaſis aphor. XIV. Libr. V.

(224) Cleyerus de Medic. Sinenſ. Part. II. pag. 57. §. 47. 51.

nuda. (225) Malum eſt, ſi æger pedes ſurſum verſus pectus elevat; & poſtea eos retro projicit. (226) Si pedes flavo humore turgent, & alvus immemore ægro exoneratur, ac labia ejus everſa, prænunciant hæc mortem poſt unum diem affuturam. (227) Ubi pedes turgent, longæ dejectiones ſunt. (228) Quibus pedum dolores ſunt, in his tales citra inflammationem diebus quadraginta deſinunt. (229)

Ex articulis.

§. 26. De articulorum vitiis hoc prognoſticum Hippocrates literis mandavit. Si ſenes ſuper articulos quoddam topho ſimile, aut callos induratos habent, aut laborioſe vitam cum alvo ſicca tolerant, hos omnes, putat, humana arte convaleſcere non poſſe. Attamen ad hos ſanandos plurimum opis eſſe in dyſenteria, inque aliis alvi dejectionibus, morbo articulari ſupervenientibus. Juniores autem, quibus nondum circa articulos calli enati, quibus victus ratio curæ eſt, quique ad labores impigri, habentque alvum, ut vitæ inſtitutum poſtulat, munere ſuo fungentem, eos, ſi Medici prudentis curantiæ ſe commiſerint, revaleſcere. (230) Cel-

(225) Hippocrates Libr. Prænot:

(226) Rhaſis ad Manſor Libr. x. Cap. xxi. & Alſaharavius Theoric. Tract. vi. Cap. xviii. *ſi æger ſuos pedes uſque ad pectus contraxerit, deinde eos jactaverit, mortale ſignum.*

(227) Cleyerus pag. 54.

(228) Celſus Libro ii. Cap. vii.

(229) Hippocrates Libro de Judicat. & aphor. xlix. Sect. vi. Podagrici morbi intra diem quadrageſimum ſedata inflammatione finiuntur.

(230) Prædiction. Libr. ii. §. 7. Celſus Libr. ii. Cap. viii. ita Hippocratis ſenſa ſcribendo exprimit. *Articulorum vitia, ut podagræ chiragræque, ſi juvenes tentarunt, neque callum induxerunt, ſolvi poſſunt, maximeque torminibus leniuntur, &c.*

Celſus tradit, dolorem articulorum, prout in pedibus manibuſve, aut alia qualibet parte ſic eſt, ut eo loco nervi contrahantur, aut ſi id membrum ex levi cauſſa fatigatum, æque frigido calidoque offenditur, podagram chiragramve, vel ejus articuli, in quo id ſentitur, morbum futurum eſſe, denunciare. (231) Rhaſis literis prodidit, ſi alicujus articulis ſubito ſtupor ſenſus inferatur, hunc brevi tempore mente alienari. Quod ſi commiſſurarum dolor ſine cauſſa manifeſta fuerit, prænuncium hunc brevis curriculi vitæ eſſe. (232)

Et ano & verendis.

§. 27. Ex ano partibuſque hominis pudibundis, plurifariam affectis, Medici etiam varias prædictiones hauſerunt. Obſervatione enim invenerunt, quæ circa anum cum dolore ſuppurant, hæc alvum ad exonerandum irritare. (233) Si anus ipſe, vel os vulvæ in febre acuta procidit, malum portendere.

& ex quocunque modo venter fluit. Et poſt varia variorum affectuum prognoſtica, hæc rurſus memorat. *Articuli, qui ſic dolent, ut ſuper eos ex callo quædam tubercula innata ſint; nunquam liberantur: quæque eorum vitia vel in ſenectute cœperunt, vel in ſenectutem ab adoleſcentia pervenerunt; ut aliquando leniri poſſunt; ſic nunquam ex toto finiuntur.* Et Libr. IV. Cap. XXIV. „ Quibus articulorum „ dolor certis temporibus re- „ vertitur, hos ante & curio- „ ſo victu cavere oportet, ne „ inutilis materia corpori ſu- „ perſit, & crebriore vomitu, „ & ſiquis ex corpore metus „ eſt, vel alvi dejectione uti, „ vel lacte purgari. Et poſt „ paulo. Quum ex toto con- „ valuerit æger, periculoſe „ vitæ genus ſubito mutabit, „ & inordinate aget. Paula- „ tim ergo debebit omiſſis „ his legibus eo tranſire, ut „ arbitrio ſuo vivat.

(231) De Re Medica Libr. II. Cap. VII.

(232) Libr. V. aphor. XXX. Dictiones auctori propriæ hæ ſunt. *Cui articuli cito mortui fuerint, cito rationem amittit.* Et aphor. XV. *Dolor juncturarum ſine cauſſa, parvam vitam prognoſticat.*

(233) Hippocratis Coac. Prænot. §. 630.

dere. (234) Si mulieri ex inguine febricula orta eſt, neque cauſſa apparet, ulcus in vulva eſſe. (235) Si in ventre percipitur uteri duritas, quæ oneris aut lapidis incumbentis pondus præ ſe fert, hanc celerem perniciem minitari. Si cuidam venter tumet, atque inguen rubet, hanc muliebribus purgamentis albis ſubito procedentibus, diuturna febre interire. (236) Si ſerpentia ſupra inguen ulcera juxta laterum inanitatem & propter pubem enata, hæc alvum male affectam denunciare. (237) Si teſtes & pars pudibunda ſurſum contrahuntur, ea acerbiſſimos dolores & mortis periculum portendere. (238) Si teſticulus dexter frigidus & ſpaſticus evaſit, lethiferum eſſe. (239) Si teſticuli in febre ardente contenduntur, tales criſis ſignificationem facere. (240) Malum ſignum eſſe, ſi in morbis acutis teſticuli fuerint lenes, aut ultra modum tumidi. Extinctionem caloris innati ſignificari, ſi teſtes & penis ob dolorem acerbum in morbo aliquo contrahantur. Si in morbi principio contingat ſine venere, ſine nocturnis imaginibus, ſeminis profuſio, indicare hanc morbi longitu-

(234) Avicenna Libr. IV. Tract. I. Fen. II. Cap. XLV. XLVII.

(235) Celſus Libro II. Cap. VII.

(236) Hippocr. Coac. Prænot. §. 528. 530.

(237) Ibidem §. 628.

(238) Ibidem §. 494. & Libro Prænotion. Aiſaharavius Tract. VI. Cap. XVIII. *Extenſio teſticulorum & virgæ in acutis ægritudinibus, aut exitus ani mortale eſt.* & Rhaſis ad Manſorem Libr. X. Cap. XXI. *Si tentum & teſtes in morbis acutis contrahantur, perniciem arguit.*

(239) Hippocrates aphor. XI. Sect. VIII.

(240) Idem de Rat. Vict. in morb. acut.

tudinem: verum ſi in declinatione morbi eveniat, eampſe melioris notæ eſſe. (241) Si diuturnam tuſſim habenti ſuperveniat teſticulorum tumor, bonum eſſe. Hoc autem fieri, quoniam partibus reſpirationi inſervientibus cum genitalibus quoddam conſortium eſt. (242)

§. 28. Sequitur, ut humerorum, cubiti, manuumque proprias notas explicem; quæ vel ſpem vel periculum oſtentant. Hippocrates, cujus memoriam plerique omnes Medici venerantur, memoriæ tradidit, humerorum dolores; qui ad manus tendunt, iiſque torporem ac dolorem inferunt, haud abſceſſum aliquem efficere, verum eos atræ bilis vomitione ſolvi: dolores autem, qui in humeris perdurant, & uſque ad dorſum pertingunt, puris aut bilis vomitum effugere. Uter horum eveniet hoc pacto perdiſcendum eſſe. Qui facile ſpirant, & extenuati, eos potius vomitione bilem atram rejecturos. Qui difficulter ſpirant, & quorum in facie color ſubrubicundus, aut niger, antea non viſus, apparet; præſertim vero ſi pedes quoque intumuerint, eos pus expuitione reddituros. Hujuſmodi morbum in primis viros adoriri ab anno quadrageſimo aduſque ſexageſimum. (243) Chinenſes obſer- Ex humeris & cubito.

(241) Avicenna Libro IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XLVI.

(242) Conſtantinus Afer locor. Medic. Libr. X. Cap. XI.

(243) Hippocrates Libro II. Prædiction. §. 33. Celſus Libr. II. Cap. VIII. ita orationem Hippocratis contraxit. *Humerorum dolores, qui ad ſcapulas vel manus tendunt, vomitu atræ bilis ſolvuntur.* Et deinceps, in fine capitis fere. *Difficilis æque curatio eſt in eadem ætate, quæ hominis quadrageſimum annum exceſſit, ubi humerorum dolor*

ſervarunt, quod ſi humeri concidant, (quod ſignum eſſe ſingultum advenire, atque ideo illos moveri) & ægrotus oculos contra aſtantes obliquaverit, labiaque ejus fuerint livida vel nigricantia, eum e vita migraturum. (244) Quod ad cubitum pertinet, de eo auctori prorrheticorum compertum eſt; ſi cubitus atque cervix indoleant, hæc convulſionem minari. Prodire autem iſta ex facie, adeſſeque crebro in faucibus ſonitum cum ore ſalivoſo: in hoc caſu ſudare in ſomno, bonum eſſe. Conſentaneum enim eſſe plurimos ſudore levari. Quod ſi dolores occupent partes inferiores, eos tum toleratu faciles evadere. (345)

E manibus & pedibus, eorundemque unguibus.

§. 29. Ex inſpectione manus atque pedum Medici hæc ſigna hauſerunt. Manus, ſi palpitant, ſignificant febrem fore admodum longam, aut brevem, *criſi* ad pejorem conditionem tendente. (246) In acutis, ſi manus tremulæ fuerint, in ſpe habemus fore, ut ſanguinis e naribus eruptio fiat. Verum ſi eæ ita fuerint in ægrotis, qui ætate vegeta, atque bono corporis habitu præditi, delirium aut nervorum diſtentionem portendunt. (247) Quorum manus tremunt, caput & cervix dolent, aureſque leviter obſurdeſcunt, atque veſica denſum ac ſubnigrum lotium reddit: in his nigrorum venturorum progreſſum oportet ſuſpectum habe-

lor vel ad manus pervenit, vel ad ſcapulas tendit, torporemque & dolorem creat, neque bilis vomitu levatur.

(244) Cleyerus de Medic. Sinenſ. Part. II. pag. 53.

(245) Hippocrates Prorrhet. I. §. 114.

(246) Hippocrates Libro de Judicationib.

(247) Idem de Vict. Rat. in morb. acut.

bere. (248) A quibuſdam obſervatum eſt, quod ſi in palma dolor cum ardore fuerit, ægrum intra octavum menſem deceſſurum. (249) Si in vola nullæ lineæ appareant, mortiferum eſſe. (250) Si manuum pedumque tumores flammei coloris appareant, tales perniciem ægro minitari. (251) Si corpus ægroti grave, & ungues ac digiti liveſcant, mortem in propinquo eſſe. Verum non adeo peſtiferum eſſe, ſi digiti & pedes omnino fuerint nigri: & quidem præcipue tum, ubi æger malum facile ferre videatur, & materia morboſa ad partem minus nobilem deferatur. Sin vero hæc non fuerint, nigredinem tum partium emorientium ſignum eſſe, quam, præterquam quod pars citra jacturam vitæ amputari poſſet, mors ſubſequi ſolet. (252) In numero ſignorum, qui-

(248) Idem Prorrhet. I. §. 95. & Coac. Prænot. §. 176. ubi poſterior prorrhetici pars ita legitur. *Ii ſi nigra vomitione refuderint, pernicioſe habere ſuſpicandi ſunt.*

(249) Rhaſis Libro I. aphor. XXI.

(250) Cleyerus de Medicina Sinenſ. Part. II. pag. 54. & pag. 56. §. 38. tradit, ſi ægrotantis palma tumefacta ſine lineis, mortem portendi.

(251) Hippocrates Coac. Prænot. §. 63.

(252) Idem Libro Prænot. vide etiam Galeni Comm. II. in Progn. Hipp. §. 8. 9. qui tali modo Hippocratem exponit. Et Celſus Libr. II. Cap. VI. in numero indiciorum mortis collocat ungues digitoſque pallidos. Rhaſis ad Manſor. Libr. X. Cap. XXI. videtur ad Galeni locum, jam modo prolatum, reſpexiſſe, cujus verba hæc ſunt. *Si ungues extremi fuſeo ſuffundantur colore, aut manus, pedeſque in totum ejuſdem fuerint coloris, viribus integris adhuc, idque in die decretorio, tantum abeſt, ut malum ſignificet, ut etiam ægrum evaſurum portendat.* Etiam a Sinenſibus memoriæ proditum, ut refert Cleyerus pag. 54. & 56. ungues cœruleos mortis prænuncios eſſe: quin etiam ſi ungues manuum & pedum infra habeant carnem nigram, ſignificare tales ægrotum ſpatio octo dierum morte obiturum.

quibus deprehendimus ſuppurationem, quæ oculis nondum patet, collocantur etiam adunci manuum ungues, digitorum, maximeque ſummorum pallor, & pedum tumor &c. (253)

(253) Vide Celſum de Re Med. Libr. II. Cap. VII. Avicenna Libr. I. Fen. II. Doctr. III. Cap. I. tradit ſingulariter ruborem genarum portendere pulmonis ſuppurationem: & ungues aduncos pulmonis vomicam jamdiu factam prodere.

F I N I S.

DE

DE DIALOGO
CONSCRIBENDO.

Q*Uandoquidem poſt Hiſtoriæ Medicæ ante quinquennium editionem reſcivi; nonnullos meum Dialogos ſcribendi modum reprehendiſſe, quaſi vero in hoc cummaxime deliquerim: non ingratum proinde, B. L. fore, exiſtimavi, ſi, antequam paulo poſt tradendus dialogus edatur, præfatus fuerim, quid dialogus ſit, & quem modum veteres in eo conſcribendo obſervaverint. Non convenit inter auctores, quis primum dialogos ſcripſerit.* Diog. Laertius *Libr. III. ſcribit famam eſſe, Zenonem Eleatem fuiſſe primum: alios ſtatuiſſe Alexamenum Syreum, vel Tejum: Platonem vero, id ſcribendi genus, quod adhuc rude eſſet, expoliviſſe atque perfeciſſe. Dialogum autem eſſe ex interrogatione & reſponſione compoſitum, de re, quæ vel ad Philoſophiam, vel ad Reip. partes pertinet, cum decenti & congrua perſonarum, quæ aſſumuntur, expreſſione, & accurata verborum compoſitione.* Fab. Quintil. *Orator. Libr. IX. Cap. II. eſſe quoſdam, ſcribit, qui ſermones hominum aſſimulatos dicere dialogos malunt, quam, quod Latinorum quidam dixerunt, ſermocinationem.* Sigonius *autem diſſert. de Dial. annumerat dialogum in his, quæ imitationem habent, ut Comœdia, Tragœdia &c. De quarum fabularum compoſitione*

fuſe egit Ariſtoteles *Libro de Poetica. Statuit enim Cap. II. & V. Comœdiam eſſe imitationem pejorum: aſt Tragœdiam meliorum. Et Cap. VI. ſcribit Tragœdiam imitationem eſſe non hominum, ſed actionum & vitæ & felicitatis & infortunii: vel eſſe imitationem actionis probæ & perfectæ, magnitudinem habentis, ſuavi ſermone ſeparatim ſingulis formis in partibus agentibus; & non per enarrationem; ſed quæ per miſericordiam & metum inducat talium perturbationum purgationem. Et Cap. XIII. Conſtitutionem Tragœdiæ pulcherrimæ, ſcribit, oportet eſſe non ſimplicem; ſed nexam eamque terribilium & miſerabilium imitationem.* Lucianus in diſſertione Prometheus es in verbis, *ſcribit* veterum comœdia, ſe totam Dionyſio tradens, in theatro converſabatur, ſimulque ludebat, & ridicula erat; gaudebat ſalibus & dicacitate, & cum numeroſitate quadam ad certamen & palmam veniebat. Dialogi ſectatores ac ſocios plurimum irridebat ac ſubſannabat, curarum exercitatores, ac vanos ſublimium rerum diſceptatores &c. eos appellabat. *Dialogo autem hunc uſum eſſe, pergit, ut domi vel apud ſe, vel in ambulacris cum paucis quibuſdam diſputationes ſuas haberet; & has quidem de rebus maxime gravibus & venerabilibus, ut de natura rerum, de virtute philoſophorum &c. Quanquam hæc ſe ita habeant, Lucianus tamen vendicavit ſibi primum introducere aliquam & Comœdiæ & Dialogi mixtionem, ut videre eſt in dialogis Deorum & meretricum, in quibus heroicam dialogi perſonam & Tragicam gravitatem Comico*

mico riſu temperat. De qua dialogum innovandi libertate ſe in citato Prometheo excuſat. A colloquio familiari differt dialogus materie & dicendi genere. In illo enim requiruntur argumenta familiaria, & genus dicendi ſin humile, ſaltem mediocre: in hoc autem, quæ illi oppoſita ſunt. Bifariam Dialogi plurimum componuntur: unus modus eſt, cum res narretur, quaſi in ſcena agatur, i. e. quaſi perſonæ præſentes eſſent: alter, cum narretur ita, ut aliorum etiam aſſimulata extet oratio; ea autem habita ſit tempore præterito: hinc, cum perſonam aliquid enarrantem introducerent, indicabant id auctores Latini verbo inquam, inquit, *raro autem* ait; *nunquam, quantum mihi conſtat, utebantur verbis* dicebat, loquebatur *&c. Duæ potiſſimum dialogo partes ſunt, altera prologus, altera contentio dicitur. In prologo traduntur perſonæ, qui & quales ſint, quo tempore, & loco, & qua ratione ad eam diſputationem pervenerint. Ex perſonis damus alii proponendi vel docendi, vel confutandi; alii objiciendi; alii confirmandi; alii audiendi partes. Veroſimilia igitur ſint, neceſſe eſt, quæ unumquemque dixiſſe ſenſiſſeve narramus. Sic obſervamus perſonarum decorum, quod eſt actio ei conveniens, quam nobis vel natura vel judicium impoſuerit. Platonem in hoc deliquiſſe tradit Laërtius: ſcribit enim Socratem, quum audiſſet Platonis Lyſidem recitari, dixiſſe; Proh Dii immortales, quam multa de me mentitus eſt adoleſcens. In contentione res proponuntur & probantur: argumenta itaque idonea ſunt in medium proferenda,*

da, quibus vel noſtram confirmamus, vel alterius opinionem, ſeu ſententiæ dictionem refellimus. Qui Dialogos ſcripſerunt, ſive Græci fuerint, ſive Latini, prolixe admodum & copioſe præfantur: epilogum autem habent brevem & abruptum, perinde ac is ſeu Comœdiæ ſeu Tragœdiæ eſſe ſolet. Inter veteres Lucianus interdum occaſionem dialogi omittit, ſed eum abrupte incipit, & perſonas illico introducit loquentes: quem morem tamen vix quiſpiam ſervavit. Hæc quidem generalia dialogum ſcribendi præcepta ſunt: ſed hæc video non ſemper ab auctoribus obſervata. Nam, quantum ad materiam dialogi attinet, non ſumpſerunt ſemper aliquam, quæ ad Philoſophiam, vel ad Remp. pertineret tantum, ut Laertius ſtatuit; neque eam in modum diſputationis pertractarunt; ſed & aliam ſibi elegerunt tractandam, quam in modum Hiſtoriæ vel narrationis, citra ut perſonæ de hac diſputarent, literis tradiderunt. Sic Ciceronis Brutus eſt Hiſtoria de claris Oratoribus: ſic Varronis libri de re ruſtica ſunt modo præcepta de agricultura, re pecuaria &c. ſic Athenæi Deipnoſophiſtarum Libri continent omnis generis materias, quæ in menſa apponuntur, vel in conviviis apparent: ſic in Macrobii Saturnaliorum Libris exhibentur potiſſimum varia de variis auctoribus & aliis rebus judicia: ſic Severus Sulpicius in dialogis narrat de Martini, deque Monachorum Orientalium virtutibus: cuncti autem perſcripti ſunt in modum narrationis, ubi qualibet perſona ſuam ſententiam proponit ſine contentione: ſeu ut alter alteri aliquid, quod

ad-

adverſarium eſſet, objiceret. Nec Plutarchus, qui complures edidit dialogos, eundem modum ſervavit. Namque in ſeptem ſapientum convivio perſonæ inter ſe de variis rebus confabulantur, & omnis generis quæſtiones proponunt: in Sympoſiacis omnis generis quæſtiones proponuntur, & deciduntur: in reliquis tamen dialogis plerumque antedicta præcepta obſervavit. Xenephontis Libri de factis & dictis Socratis, hiſtoria ejus vitæ eſt, in qua Socrates, cum aliis de variis rebus diſputans, ſæpenumero introducitur. Sunt qui addubitant de dictis Libris in dialogorum numero collocandis: quia Librorum principium & finis ſtilo hiſtorico conſcripta ſunt. Quantum ad numerum perſonarum attinet, obſervavi raro duas modo ad dialogum aſcitas, ſed plerumque tres vel & plures, ita tamen ut earum numerus ſeptenarium non excederet. Aliquando ab auctoribus in dialogum aſſumpti ſunt homines e vita exceſſi; interdum adhuc viventes nomine gentili omnibus noti: ſubinde aliqui, quibus nomina ficta ſunt impoſita. Comparet B. L. velim, hæc, quæ de dialogos conſcribendi ratione dixi cum meis in lucem editis. Nullum mihi dubium eſt, quin aſſenſurus ſit, me non tantopere, quantopere nonnulli putant, a via aberraſſe. Equidem me haud fugit mihi ab aliquo exprobrari, quaſi nec meum ipſius, nec aliorum, decorum ſemper obſervaverim; quoniam me, vel & alios introduxi aliquem de re quadam interrogantes, quam oportet me vel alios ſciviſſe, niſi velimus iſtarum rerum rudes haberi. Verum

is reſponſum ſibi habeat, me in his Ciceronem & alios fuiſſe imitatum, qui potiſſimum ſibi ipſi ignobiles ſeu minores: reliquis autem, quoad a vero ſimili non deflecterent, partes celebriores, dederunt.

DIA-

DIALOGUS

DE OPTIMA

MEDICORUM SECTA.

ROterodami nuper cum eſſem (ſoleo enim ad hanc Urbem, in mercatura florentiſſimam, ſi per valetudinem perque otium licet, quotannis, cognatos inviſendi cauſſa, proficiſci) commoratus ſum ad VOLKHARDI *van* HALM, cognatione mecum conjuncti, & ex animo amici, ſuburbanum *Walenburg* vulgo dictum. Accidebat poſtridie ejus diei, qua adveniſſem, ut ejus filium JACOBUM HALMIUM Juriſconſultum, Virum mihi chariſſimum & amiciſſimum, viſeret Medicus quidam, quo jamdudum ille familiariter uſus eſt. Nos cum pauca in Xyſto locuti eſſemus, tum eodem in ſpatio conſedimus.

Hic cognatus meus, ſæpenumero mecum cogitavi, inquit, Medicinam, artium longe celeberrimam, per tam longam annorum ſeriem in varias ſectas diſtractam; imo Medicorum animos etiamnunc in contrarias diſtrahi ſententias: &, quod magis eſt, num diſſenſionum, quæ inter eos ſunt, finem tandem aliquando in ſpe habere poſſimus.

Tute ipſe, inquam, Cognate, non ignoras homines raro inter ſe conſentire, & ſua quemque delectari ſententia. Conſidera cum animo tuo omnis generis ſeu ſententias ſeu artes, quantam quælibet opinionum ſententiarumque produxit diverſitatem. Quid? quod nulla fere fuit tam præpoſtere, tam incondite, tam monſtroſe excogitata, quæ non habuerit ſui admiratores, qui ei ſint non tantum aſſenſi; verum eampſe mordicus tenuerint, atque aliis, ut ei aſtipulentur, quoquo pacto obtruſerint. Tu ſectas & diſſenſiones in Medicos exprobras. Sed dic, amabo, numne & ſectæ inter Juriſconſultos unquam fuerint?

Fateor equidem, inquit HALMIUS, in Juriſprudentia Sectas fuiſſe; ſed hæ non tamdiu durarunt, quamdiu Medicorum Sectæ: quarum aliquæ adhuc vigent, & fortaſſis continenter vigebunt.

Sed da, quæſo, inquam, quomodo vos Juriſperiti vocabulum Sectæ finiatis, & quot Sectæ fuerint?

De Sectis Juriſconſultorum.

Secta JCtorum, inquit HALMIUS, ſunt familiæ ſeu ſcholæ, quarum quælibet idem ſentit: altera tamen ab altera opinionum diſſenſione diſcrepat. Diſſenſiones autem, quæ inter Juriſconſultos quondam obortæ, videntur initium cepiſſe a Fori diſputationibus, quæ erant JCtorum de jure controverſo, & gravi, ac perplexa aliqua quæſtione contentiones, quæ aut extra judicium, aut in judicio fiebant. Hujuſmodi diſputationes, cum aliquandiu

ſe

ſe intra concordiæ terminos continuiſſent, tandem in apertum diſſidium, & contrarias Sectas, eruperunt; quarum duces & auctores fuere Attejus Capito & Antiſtius Labeo: hic Proculejanæ ſeu Pegaſianæ, ille vero Sabinianæ, ſeu Caſſianæ, Sectæ conditor extitit. Tam fervidum partium ſtudium cujuslibet familiæ addictis erat, ut non modo alter alterius ſententias refelleret; verum etiam eas rideret, & exploderet. Hæ partium concertationes maxime circa Veſpaſiani tempora, & deinceps inter Juriſconſultos & Profeſſores, acerrime ac vehementiſſime de pleriſque Juris locis diſputantes, agitari cœperunt. Remiſit autem iſta diſſentiendi diſputandique libido poſt Hadrianum & Antoninum Pium. Ab horum obitu enim Juriſconſulti non amplius ſe Sectis addixerunt; verum id operam dederunt, ut diſſidentes veterum ſententias conciliarent, vel mediam ſententiam ſequentes, ex pluribus contrariis opinionibus, quaſi erciſcandi & miſcelliones, unam conficerent. (1)

Plura verba Cognatus meus feciſſet, niſi Medicus alius ex urbe veniens, villæ portam præteriens, interruptæ ſermocinationis cauſſa extitiſſet. Hunc cum cognatus conſpexerit prætereuntem (poteramus enim e Xyſto,

(1) Hæc e longe Clariſſimo *Corn.* van ECK princip. Jur. Civil. &c. Libr. I. Tit. II. §. 42. & deinceps. N. Miſcelliones appellantur, ut habet Feſtus de verborum ſignificat. qui non certæ ſunt ſententiæ, ſed variorum, mixtorumque judiciorum ſunt.

Xyſto, ubi ſedebamus, proſpicere in viam villæ contiguam) illico ſermonem abrupit, de ſella exilivit, ad Medicum excucurrit, rogavit ut intro ad nos veniret. Ille, quanquam negotiorum multitudinem cauſſaretur, tandem annuit, it intro ad nos. Rogamus, ut nobis aſſideret. Dolet mihi, inquit, quod mea cauſſa colloquium veſtrum eſt abruptum.

Id nullo negotio, inquit HALMIUS, redintegrare valemus, & , ut id ad finem perducamus, Tu peropportune veniſti. Incepi enim paulo anteſ, quam Tu advenires, quæſtionem habere de Medicina in varias Sectas diſtracta; cui pro tuo ſtudio, non eſt alienum te intereſſe. Siquidem & Tu & iſti, (peritiam enim veſtram in Medicina compertam habeo) eam, ſi volupe fuerit, decidere poteſtis.

Tum ille. Atqui mihi quoque videor, inquit, veniſſe, ut dicis, opportune. Delector enim in iſtiuſmodi quæſtionibus. Sed quam rem putas e Medicina pertractandam?

De Sectis, inquit HALMIUS, mentionem feci. Sum cupidus a vobis audiendi, quamnam ex Medicorum Sectis optimam arbitremini.

Hanc quæſtionem, Cognate, inquam, non licet e veſtigio dirimere, niſi prius Medicinæ origo, ejuſque in Sectas diviſio, atque Sectæ cujuſlibet decreta, fuerint indicata.

Tu igitur, inquit HALMIUS, da no-

nobis hæc breviter. Non faceſſitum tibi tantum negotium, ut id exequi non poſſis. Confer modo quædam, quæ in Hiſtoria Medicinæ copioſe dicta, ad compendium.

Eruditioni meæ nimium tribuis, inquam. Verum ut dicto tuo audiens ſim, conabor ea obiter proferre, quæ deſiderium tuum implere poſſunt. Cogitanti mihi cum animo primordia generis humani videtur ex Medicinæ partibus Chirurgia eſſe vetuſtiſſima: verſatur enim potiſſimum circa ea, quæ a vi quadam exteriori hominibus illata, vel quæ a materia acri, corruptelam parti cuipiam inducente, enata ſunt. His adhibere curationem, quoniam pars læſa ſub ſenſum cadebat, non adeo difficile erat opus. At enimvero majoris momenti erat Diæteticen vel Clinicen inveniſſe. Hæc præcipue originem ab obſervationibus duxit. Nam ægrorum, qui ſine Medicis erant, alii propter aviditatem primis diebus protinus cibum aſſumpſerunt: alii propter faſtidium abſtinuerunt: eorum, qui abſtinuerant, levatus magis morbus eſt, quam qui eum aſſumpſerant. Quin etiam alii in ipſa febre aliquid ederunt; alii paulo ante eam; alii poſt ejus remiſſionem: obſervatum deinde eſt, qui poſt finem febris id fecerint, his optime ceſſiſſe. Eademque ratione alii inter principia ſtatim uſi ſunt cibo pleniore, alii exiguo, gravioreſque ii facti, qui ſe implerent. Hæc ſimiliaque, cum quotidie inciderent, diligenter homines notarunt, quæ plerumque melius reſponderent; deinde ægro-

Chirurgiæ inventio.

Diætetica quo pacto inventa.

grotantibus ea præcipere cœperunt. Sic Medicina orta eſt, ſubinde aliorum ſalute, aliorum interitu, perniciosa diſcernens a ſalutaribus. (2) Remediorum inventionis eadem ratio eſt. Ab obſervatione itaque Medicina rudimenta cepit, per hanc adolevit, perque hanc in dies incrementa capit. (3) Medicina, quæ modo occupata eſt in corpore hominis integro conſervando, & læſo inſtaurando, jamdudum in tres partes diviſa eſt, ut in Chirurgiam, Diæticam, & Pharmaceuticen. Ex his tribus Medicinæ partibus ut difficillima, ſic etiam clariſſima eſt ea, quæ morbis medetur. Hujus autem, quæ victu utpote morbos curat, longe clariſſimi auctores extiterunt: quorum aliqui altius quædam agitare conati, rerum quoque naturæ ſibi cognitionem vendicaverunt, tanquam ſine ea trunca & debilis Medicina eſſet: aliqui autem uſum & experimenta tantum ſibi vendicarunt. Sic ea Medicina, quæ victu curat, in duas partes, vel Sectas, primum diviſa eſt: quarum altera Rationalis ſeu Dogmatica: altera Empirica appellabatur. Tertia, quæ Themiſonem auctorem habet, quæque Methodica dicitur, longe poſt ante dictas inventa eſt; & inſiſtit communibus quibuſdam, ut in laxo ſtringendo, & ſtricto laxando. Omnes dictarum trium Sectarum profeſſores una mente conſentiebant, præcepta evidentia, obſervationem, hiſtoriam, μετάβασιν, uſum habe- re:

Medicinæ in tres partes diviſio.

Sectæ in Medicina olim tres fuerunt.

(2) Ita Celſus in Præfat. Libr. I.

(3) De quibus vide Bagliv. Prax. Med. Libr. I. Cap. XI. §. 6.

re: hiſtoriam ſine judicio non eſſe admittendam: neceſſe eſſe ſcire inſtrumentorum remediorumque adhibendorum modum: alia ex aliis deprehendi: præſentibus iiſdem malis eadem eſſe facienda: ſanitatis conſervationem & morborum curationem, in adjectione rei deficientis, & in *ablatione* rei exuperantis, poſitam: ea, quæ utrilibet fini adverſantur, fugienda: experientiam ad remedii adhibendi cognitionem multum poſſe, atque adeo utilem eſſe. Hanc enim cuncta, quæ vel nutriunt, vel non nutriunt; quæ purgationem efficiunt &c. aut quæ mortifera ſunt, docuiſſe. (4)

De quibus inter Sectatores conveniebat.

Mihi videntur hæc, inquit HALMIUS, de quibus inter Medicos id temporis conveniebat; ſufficere Medico morbo Medicinam facturo.

Hoc loco unus ex Medicis, qui de familia Rationalium erat. Licet dicta, inquit, mihi minime diſpliceant, tamen hæc ſola ſciviſſe non ſatis eſt Medico: ſed noſſe præterea oportet abditas & morbos continentes, deinde evidentes cauſſas, poſt hæc naturales actiones, noviſſime partium tam interiorum, quam exteriorum magnitudinem, figuram, poſitum, compoſitionem &c. Abditas cauſſas voco, in quibus requiritur, ex quibus principiis noſtra corpora ſint, quid ſecundam, quid adverſam valetudinem faciat. Neque enim credere poſſum, eum ſcire quomodo morbos curare conveniat, qui, un-

Rationalis Medicinæ decreta.

(4) Galenus de optima ſecta. Cap. vi. §. 7.

unde hi ſint, ignorat. Eum vero recte curaturum, puto, quem prima origo cauſſæ non fefellerit. Neque vero inficior, experimenta quoque eſſe neceſſaria; ſed ne ad hæc quidem aditus fieri poteſt, niſi ab aliqua ratione. Neque enim quidlibet antiquiores viri ægris inculcarunt, ſed cogitarunt, quid maxime conveniret, & id, quod ante conjectura aliqua duxerint, uſu explorarunt. Nec intereſt, an nunc jam pleraque explorata ſint; ſi a conſilio tamen cœperunt. Quid? ſæpe etiam nova incidunt genera morborum, in quibus nihil uſus adhuc oſtendit. Ideoque neceſſarium eſt animadvertere, unde ea cœperint, ſine quo nemo mortalium reperire poteſt, cur hoc quam illo potius utatur. Evidentes vero cauſſas, quarum cognitionem & ipſi Empirici neceſſariam ducunt, appello, in quibus quærimus, initium morbi, calor attulerit an frigus, fames an ſatietas, & quæ ſimilia ſunt. Is enim vitio occurſurus, qui originem non ignoravit. Naturales corporis actiones voco, per quas ſpiritum trahimus & emittimus, cibum potionemque & aſſumimus & concoquimus: itemque per quas eadem hæc in omnes membrorum partes digeruntur. Requirere quoque oportet, quare venæ noſtræ modo ſubmittant ſe, modo attollant: quæ ratio ſomni, quæ vigiliæ quæ animi perturbationum, quæ ſanguinis reliquorumque corporis humorum motionis & ſecretionis, ſit. Præter hæc, cum in interioribus partibus & dolores & morborum va-

varia genera naſcantur, neminem, arbitror, his adhibere poſſe remedia, quæ ipſe ignoret. Neceſſarium ergo judico incidere corpora mortuorum, eorumque viſcera atque inteſtina ſcrutari. Nempe rimari oportet partium tum exteriorum tum interiorum poſituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, lævorem, contactum; proceſſus deinde ſingularum & receſſus, & ſive quid inſeritur alteri, ſive quid partem alterius in ſe recipit, & complúria alia, quæ hoc tempore ab Anatomicis docentur. Quis enim, cum dolor intus incidit, ſcire poteſt quid doleat, qui, qua parte quodque viſcus inteſtinumve ſit, non cognoverit. Nec curare aliquis id, quod ægrum eſt, poteſt, qui, quid ſit, ignorat. (5) Contingit equidem nonnunquam, ut in curatione morborum Medico quædam occurrant, quorum natura in obſcuro poſita eſt; verum tum utimur *analogiſmo*, qui eſt comparatio & perceptio cauſſarum juvantium per ſimilitudines: (6) vel eſt ratio, quæ ab evidenti auſpicatur quidem, ſed quæ rei obſcuræ exhibet cognitionem. (7) Ex *analogiſmo* enim juvans percipitur, quando morbi cauſſa quidem deliteſcit, nulla ejuſdemque obſervatio habetur; ſed affectus quam ſimillimus ex ſymptomatibus eſt. (8) Utimur

(5) Hæc e Celſi Præf. Libr. I. maxima ex parte adſcripſi.

(6) Galenus de optima ſecta. Cap. IX. §. 11.

(7) Idem in Prognoſtic. Hippocr. Comm. 1. §. 9.

(8) Idem de optima Secta Cap. IX. §. 10.

Dd

mur etiam indicatione, quæ eſt perceptio animi de rebus, quæ ad ſanitatis tuitionem & ad morborum curationem conferunt, acquiſita ſine demonſtratione, ſine obſervatione, ſed ratione duntaxat. (9) Ponamus exempli gratia aliquem febrem hecticam habentem. In hac, quantum ad agendorum indicationem attinet, tria conſideramus, febrem ipſam, cauſſam efficientem, & facultatem naturalem. Et illa & iſta extinctionem; hæc vero conſervationem ſui poſtulat. (10)

Tum alter Medicus. Licet non ſim neſcius, inquit, quanta ignominia & dedecore Empirica hoc tempore notetur; non pertimeſco tamen de honore ac fama mea, ſi quis mihi exprobat, me Empiricæ ſoli indulgere ac deditum eſſe: habeo enim varias cauſſas, quæ me ad iſtam amplexandam impellunt.

Profer, ſi lubet, inquit HALMIUS; arrectus nobis animus eſt ad eas audiendas.

Doctrinæ fundamenta quædam veterum Empiricorum.

Tum ille. Quia Empirica, inquit, verſatur in iſtis rebus, quæ ſæpiſſime ſecundum idem, atque eodem pacto eveniſſe obſervatæ ſunt: (11) & ex his, quæ in ſenſus externos incurrunt, theoremata ſua haurit. Valde equidem ejus cauſſa volo, mihi in manu eſſet aliquis ex veteribus Empiricis, ex quo Sectæ iſtius decreta depromere poſſem: verum, quoniam illi, quantum mihi conſtat, (præterquam quod aliquis manu ſcri-

(9) Ibidem §. 11. & de ſubfigurat. Empiric. Cap. 11.

(10) Idem de Method, Medend. Libr. x. Cap. 1.

(11) Idem Finition. Medic. Cap. 1.

ſcriptus liber in bibliotheca quadam extaret) injuria temporum periere: ea de cauſſa id, quod ab aliis didici, impræſentiarum proferam. (12) Sed ad rem. Tria ſunt, quæ ve-

(12) Hiſtor. Medic. MDCCX. a me editæ Dialog. VII. ſcripſi, me mirari, quod antiquorum Empiricorum ſcripta deperdita ſint &c. Hanc opinionem impugnavit Doctiſſimus Reinmannus in des Dritten Theil vierten ſtück / Verſuch einer einleitung zu der Hiſtoriam literariam pag. 555. hiſce verbis: Der Herr Barkhauſen ſcheinet einen kleinen gedächtnis fehler begangen zu haben / indeme er ſetzet / es wären alle ſcripta derer alten Empiricorum verlohren gangen. Den wir haben von denſelben noch des Scribonii Largi compoſitiones Medicas, undt des Marcelli Burdigalenſis Librum Medicamentorum übrig. Undt vermeine ich ſo wohl aus der hiſtoria der dahmaligen zeiten/als aus der Vorreden dieſer ſcribenten ſolche zeugniſſen gefunden zu haben / damit ich behaupten könne / daß ſie beyderſeits zu den Empiricos mitt gehören. Quibus reſpondeo, mihi dictos auctores legenti non videri, eos inter Empiricos eſſe referendos. Siquidem non profitentur ſe iſti Sectæ fuiſſe addictos. Poſthæc, quantum ad Scribonium pertinet, videtur mihi is de familia Rationalium fuiſſe. Namque in Præfatione ad Caliſtum, appellat *Hippocratem Conditorem noſtræ profeſſionis*: cum e diverſo ex Empiricis alii ſtatuerent Serapionem; alii Aeronem Agrigentinum, Empedocli æqualem, qui longe ante Hippocratem vixerunt, ſuæ ſectæ conditorem. Capite XXI. §. 84. ubi eos vituperat, qui, ut ne ſanguis amplius erumpat, ſolent artus conſtringere laqueo, rationes in medium profert, quibus contendit illos præpoſteri facti convincere; & laudat inſuper Aſclepiadem illorum factum pluribus argumentis reprobantem. Capite XXIII. §. 101. ſcribit Hieram Pacchii ad pectoris & lateris dolores prodeſſe ex qualibet cauſſa factos, ſive latente & occulta, ſive manifeſta. In peroratione operis memorat eadem Medicamenta in iiſdem vitiis interim melius deteriuſve reſpondere, propter corporum varietatem, differentiamque ætatum, temporum aut locorum. Eandem enim rem non diſſimiliter diſpoſitis corporibus non poſſe eoſdem effectus exhibere. Marcellus de ſanguine erumpente Cap. XVII. eodem modo ratiocinatur, ut Scribonius. Eodem Capite mentionem facit Sabinæ, quam conducere, ait, ſi ſanguis per abundantiam nimiam ex quocunque corporis loco exuberet. Ex dictis loquendi formulis nos colligere poſſe, arbitror, neutrum ex memoratis auctoribus eſſe in Empiricis annumerandum. Quod ſupereſt, fac utroſque

veteres Empirici magni faciebant, αὐτοψίαν, hiſtoriam & μετάβασιν. Autopſian appellabant, quod aliquis proprio intuitu ſæpenumero obſervavit. (13) Hiſtoriam dixerunt eſſe rerum circa eadem probatarum narrationem. (14) Metabaſin eſſe comparationem affectus cum alio affectu, remedii cum remedio, loci cum alio loco, ipſi ſimile. Scilicet ſi morbus vel pars quædam affecta incidebat, cujus natura ipſis eſſet incognita, conferebant hanc cum alio morbo vel parte nota, quibuſcum ipſis intercedit quædam ſymptomatum vel ſtructuræ ſimilitudo; & tum hujus ratione illi incognitæ Medicinam faciebant: vel ſi remedium aliquod non in promtu eſſet, v. g. cotoneum, in ejus locum aliud ejuſdem virtutis. v. g. meſpilum, ſubſtituebant. (15) His tribus Empirica potiſſimum fundata erat. Hæc tria erant Sectæ inſignia. (16) Magni etiam faciebant Epilo-

gi-

raro, vel nunquam cauſſas Phyſicas virtutum remediorum, a ſe deſcriptorum, attuliſſe: an efficitur ex hoc illos eſſe in numero Empiricorum ponendos. Quod ſi ita res ſe habet, debemus tum ſingulos auctores, qui Medicamentorum tam ſimplicium quam compoſitorum vires manifeſtas tantum deſcripſerunt, vel qui modo Medicamentorum compoſitiones tradiderunt ſine ulla virtutum, quas habent, mentione facta, in Empiricorum numero collocare: cujuſmodi concluſio tamen veritati adverſatur. Non opus eſt auctores allegare, qui dicto modo Medicamenta literis mandarunt; cum tamen Sectæ Dogmaticæ eſſent addictiſſimi; quippe de his inter pleroſque omnes, qui de Re Medica ſcribentium cujuſdammodi nōtitiam habent, liquet.

(13) Galenus de Sectis Cap. I. §. 2.

(14) Idem de optima Secta Cap. XII. §. 14.

(15) Ibidem Cap. IV. §. 5. & de Sectis Cap. I. §. 3. N. Qui Galenum e Græco in Latinum converterunt, μετάβασιν Latine reddiderunt tranſitum vel tranſgreſſionem ad ſimile. Celſus videtur idem ſignificaſſe per verba *Confert ſimilitudo.*

(16) Ibidem Cap. XIV. §. 20.

&

giſmum, qui eſt ratio rerum evidentium abs quovis homine approbata. (17) Συνδρομὴν per eminentiam appellabant concurſum eorum, quæ ex longa obſervatione ita ſimul convenire comperta ſunt, ut pariter incipiant, augeantur, vigeant, declinent, retrocedant. Hanc Symptomatum congeriem morbum nominabant; vel potius in dictorum accidentium concurſu morbi naturam ponebant. (18) Comprehenſionem ſtatuebant eſſe veram ac firmam rei alicujus cognitionem. Incomprehenſibilium rationem illi eſſe e diametro oppoſitam: hanc diſſenſionum, & de rebus obſcuris contentionum, cauſſam eſſe. (19) Præceptum vel placitum vocabant memoriam eorum, quæ ſemel atque iterum ac ſæpe eidem affectui profuerunt. Ex complurium talium collectione opinabantur, Medicinam eſſe ortam, &, qui talia collegit, eſſe Medicum: (20) Experientiam vero eſſe ejus, quod crebro & eodem modo viſum eſt, comprehenſionem atque memoriam. (21) Hæc Experientia tantum uſum in Medicina habet, teſte Galeno, Medicinæ Rationalis antiſtite, (22) ut ea facillime de controverſiis inter Medicos, ut de juvantibus ac nocentibus judicare poſſit.

Experientiæ laus.

& Introduct. Cap. II. & de ſubfigur. Empir. Cap. III.

(17) Idem in Prognoſtic. Hippocr. Comm. I. §. 9. & aliis in locis, ejuſdem generis Epilogiſmi deſcriptionem fere tradit.

(18) Idem de ſubfigur. Empiric. Cap. V.

(19) Idem de Sectis Cap. III. §. 12.

(20) Ibidem Cap. I. §. 2.

(21) Idem de optima Secta. Cap. IX. §. 11.

(22) Libro IX. Cap. XI. de Hippocr. & Platon. Dogmatib.

poſſit. Ad hanc ſolam etiam ipſi Dogmatici in rationalibus methodis pervenire coguntur, miſſis inanibus quæſtionibus, ut de ciborum in ventriculo attritu &c. ad medendi Rationem non pertinentibus. (23) Empirici quidem abditarum cauſſarum indagationem rejiciebant, ſed non evidentium. Ex his aliquæ per ſe innoteſcunt, & ſenſu dijudicantur, ut album, & atrum: aliquæ non per ſe, ſed per ſigna percipiuntur. Poſteriorum judex eſt obſervatio: priorum autem ſenſus. Facultatem Mehercule irridendi ſui dant aliis, qui de illis non ſenſibus; ſed aliqua demonſtratione, ſententiam ferre conantur. (24) Quantum vero ad obſcurarum cauſſarum & naturalium actionum quæſtionem attinet, contendebant Empirici eam eſſe ideo ſupervacuam, quoniam incomprehenſibilis natura ſit. Non poſſe vero comprehendi, patet ex eorum, qui de his diſputarunt, diſcordia. Quid? quod de iſta re neque inter Sapientiæ profeſſores, neque inter ipſos Medicos convenit. Conſideretis enim, velim, cum animo veſtro Dogmaticorum diſcrepantiam, ut alius ab alio non modo olim, verum etiam hodie, opinionum diſſenſione diſcrepet. Conſideretis vobiſcum, inquam, & contemplemini quam diverſi plerique Dogmatici inter ſe fuerunt in ponendis fingendiſve rerum, ad corporis noſtri conſtitutionem ſeu compoſitionem facien-

Dogmaticorum diſſenſio.

(23) Idem de Compoſit. Pharmac. Secund. Loc. Libr. VIII.

(24) Idem de Optima Secta Cap. II.

cientibus, primordiis. Alius unum, alius duo, alius tria, alius quatuor, alius quinque &c. comminiſcebatur. Suos quiſque habebat Sectatores. Suam quiſque opinionem, tanquam ſi unice vera eſſet, amplectebatur, aliiſque, ut ei aſſentirentur, obtrudebat. Verum tamen, quomodocunque dictorum corporis principiorum numerus fuerit, nullum mihi dubium eſt, quin alia curatione opus ſit, ſi ex quatuor principiis vel ſuperans aliquid, vel deficiens adverſam valetudinem creat: alia ſi in humidis: alia ſi in ſolidis: alia ſi in ſpiritu: alia ſi in conſtrictione & laxatione: alia ſi in acido & alkali: alia ſi in motu præpoſtero &c. omne vitium eſt. Ecquis veſtrum mihi non aſtipulatur hiſce & aliis hypotheſibus, quibus tantopere hodie delectamur, nihil eſſe incertius: & has nil niſi meras conjecturas eſſe, ob quarum ſimilitudinem in varias; imo nonnunquam in contrarias, partes adducimur. Quid? quod Medicinæ ſtudioſorum animi commentis opinionum, quibus ſemel imbuti, aſſiduitate exercitationis & uſu uſque adeo aſſueſcant, ut ea poſtmodum in Medicina facienda non modo ut probabilia, ſed tanquam certa adhibere haudquaquam dubitent. (25) Sunt & alia, quæ Medicinæ tironum memoriæ, perinde quaſi ſcitu maxime neceſſaria eſſent, a profeſſoribus inculcantur, quorum tamen ratio maxime dubia & controverſa eſt. Ex. gr. de generatione ho-

(25) Baglivus Praxeos Medicin. Libr. 1. Cap. 1. §. 8. 9.

hominis quantopere non diſſident inter ſe Medici. Ex his alii ſtatuerunt fieri utriuſque ſexus genituræ mixtionem: alii ovulum muliebre a liquore genitali per halitum quaſi fœcundari: alii a plurimis vermiculis: alii ab uno vermiculo, ovulo muliebri incluſo, hominem generari. Et quantum ad conceptum attinet, alii eum fieri arbitrati ſunt in utero: alii in mulierum teſtibus, *Ovariis* hoc tempore dictis. Quod ad ipſum fœtum pertinet, alii putarunt eum duabus: alii tribus, membranis includi; eundemque nutriri per os, alii per umbilicum: alii per utraque. Alii aiunt, alii negant eum reſpirare. Sunt plures hujus generis inanes quæſtiones de natura fœtus, de quibus controverſia eſt, quas ad vos, qui harum non rudes eſtis; referre tædet. Sed non poſſum, quin memorem alia, ſine quorum notitia neminem putarunt vel occurrere vel mederi morbis inter hæc naſcentibus poſſe. Ex his prima in mentem venit reſpiratio. De hac contenderunt aliqui eam fieri agentibus; aliqui patientibus, pulmonibus. Alii ſtatuerunt aërem a pulmonibus attrahi: alii vero eundem ad ipſos ab athmoſphæra incumbente impelli hujus gratia, ut corporis nutritio & refrigeratio fiant, vel ut ſpiritus animales nutriantur, vel anima corroboretur, vel fuligines corporis interiores expellantur, vel ſuperfluum humidum abſorbeatur, vel ſanguis refrigeretur, condenſetur, vel ut idem ſanguis probe per univerſum corpus circumagi poſſit, vel ut chylus in pul-

pulmonibus in ſanguinem convertatur &c. Sequitur ciborum concoctio, quos alii contendunt in ventre atteri, alii putreſcere, alii per calorem concoqui, alii ob acidum ventriculi fermentare: alii ventriculum ex alimentis chylum extrahere. Hunc chylum deinceps veteres crediderunt in epate, ex recentioribus alii in corde, alii a ſolo ſanguine, alii a quodam cum ſanguine fermentandi actu, alii in exiliſſimis pulmonum arteriis, in ſanguinem transformari. Ab hoc ſanguine poſtmodum omnis generis humores ſecerni, & hos quidem ob ſuam cuique viſceri facultatem attrahendi, vel ob ſuum cuique parti fermentum, vel ob peculiarem partium ſecretioni deſtinatarum, & ipſius partis ſecretionem efficientis, figuram: vel ob vaſis diametrum modo majorem, modo minorem. Fateor equidem, ſi morbi originem a ſolidis vitiatis duntaxat ducerent, nos facile per principia Mechanicorum ejus cauſſam, ſymptomatumque rationes indagare poſſe: verum enimvero quoniam potiſſima morborum pars originem ſuam humidis varie affectis debet; minime mirum proinde nobis debet videri, nos ſubſidio iſtiuſmodi principiorum veram morborum cauſſam inveſtigare non poſſe. Quotus enim quiſque eſt, qui, ſive Chemicorum ſive Mechanicorum ratiociniis inſtructus, gloriari audet de cognitione deque inventione particularum ſingularium, humorem quemvis corporis conſtituentium. Nonne quilibet cogitur fateri, ſe minima, quæ corporis humani na-

turæ aut congruum, aut adverſarium humorem efficiunt, ignorare; eademque vix ulla arte, ullaque cogitatione, inveſtigare unquam poſſe. (26) Mea faciam, quæ habet Baglivus. (27) *Nos latet, æternumque latebit minima illa, ac ſubtilis, non ſolum a ſenſibus, ſed ab humanæ mentis acie remota, ſolidarum æque ac fluidarum corporis viventis partium textura.* Profecto Natura ſubtiliſſimo quoque Mathematico ſubtilior eſt. De cætero quanta diſcordia eſt concitata inter Medicos de ſtructura ſeu conformatione, deque partium corporis uſu; pro quibus alter cum altero acerrime litigavit: perſeverante interea concertatione in eodem dubio, ut antea erat. Quid dicam de rebus ac verbis peregrinis, ac pæne inauditis, in Medicinam introductis. Hic fere nihil in medium profert, quam humorum putredinem, ſanguinemque ultra modum calefactum; ille tartarum, mercurium, ſulphur &c. alius *Archæum*, *Blas*, *Gas*, *Duelech* &c. Alius, acidum, *Alkali*, viſcidum, *fermentationes*, *præcipitationes* &c. alius ætherem peregrinum, poros foras intus ſpectantes &c. alius *elaterem*, *oſcillationes*, *preſſiones*, motus *tonicos*, & quam plura vocabula mutua a Mathematicis ſumpta, quibus recentiorum Medicina ſuperbit. O belliſſima Medicina! quam pulchre a tuis cultoribus, ſi Dîs placet, nunc exornata incedis. Oportet ſane

Te

(26) Idem hujus generis profert Libro I. Cap. XI. §. 7.

(27) Ibidem Cap. II. §. 5.

Te olim, cum hujuſmodi orationis lenocinio careres, ſin difformem, ſaltem incomptam, fuiſſe. Verum ne Medicorum diſputationes facetiis ludere videar, portenta opinionum, & obſcurum inconditumque quorundam dicendi genus, miſſa faciam. Attamen facere non poſſum, ut nihil dicam de iis, quæ majorem veri ſpeciem habere videntur. Hæc Medicis miniſtravit Anatomia, quam alius pro præcipua Medicinæ parte, alius pro fundamento, ſuper quo Medicina extructa ſit, habet. Mihi videntur utrique, qui Anatomiæ tale elogium poſuerunt, naturam Medicinæ oſcitantes allucinati fuiſſe. Namque Medicina verſatur in ſanitate conſervanda, & in morbo profligando. Quæcunque igitur ſive ſcientia ſive ars eo collineat, atque maxime efficit, ut propoſitum Medicinæ finem aſſequamur, ea ſuo beneficio promerita eſt, ut pars vel præcipua Medicinæ pars appelletur. Veteres æque ac recentiores memorant Medicinam eſſe in tres partes diductam, ut in Chirurgiam, Diæteticam & Pharmaciam; quoniam quælibet in alterutro Medicinæ fine conſequendo verſatur. Nemo artis peritorum quiſquam quartæ partis, Anatomiæ puta, mentionem fecit. Docet quidem Anatomia aliqua, quæ futuro Chirurgo; aſt pauca, quæ Medico Clinico in morborum curatione, ex uſu ſunt. Veteres tam Chirurgi quam Clinici corporis affectibus medicinam faciebant citra ut exactam partium corporis notitiam haberent. Quæ ſi ea tan-

Anatomia an ſit pars Medicinæ.

ti

ti momenti eſſet, oportet Anatomicos, a tot inventis, quæ veteres ignorarunt, inſtructos, majores in Medicina facienda longe longeque præcellere, quod tamen compertum non habemus. Namque poſt inventum ſanguinis circuitum, poſt repertos ductus lymphaticos, & canaliculos glandularum ſecretioni deſtinatos, poſt inventas ſubſtantiæ *corticalis* cerebri glandulas &c. quæ eos tantopere ſupinant, non certiorem cauſſarum febrium, phthiſis, apoplexiæ aliorumque morborum notitiam curationemque habemus, quam ea majoribus noſtris fuit. Non magnum momentum ad Medicinam faciendam habet cognitio conformationis partium ſolidarum; ſed ſcire ea, quæ organa corporis movent ut humores ut ſpiritus (de quibus tamen vix aliquid, quod certum eſſet, cognitum habemus) hæc uſum habent. (28) Nec majus præſidium ad partem affectam dignoſcendam nobis dedit cadaverum inſpectio: quæ quidem aliquando mortis, ſed raro morbi, cauſſam primariam, prodit. Quoties enim cadavera hominum, apoplexia defunctorum, perſcrutata ſunt, in quorum cerebro tamen, quia tale & in aliis obſervatum eſt, nihil, quod exploratum eſſet, repertum eſt. Quoties Anatomici invenerunt in cordis ventriculis polypos notabilis magnitudinis; hominibus interea, cum viverent, de nulla cordis palpitatione, deque

(28) Hujus generis argumenta profert *Monſieur le Clerq dans l'Hiſtoire de la Medecine* Part. II. Livre II. Chap. VII.

que nulla reſpirandi difficultate &c. conquerentibus. Quid? Nonne ſæpenumero uſu venit, ut ægri variis ſymptomatibus conflictati ſint, quæ credidit Medicus ob aliquam ſibi cognitam partem fieri, cum tamen eam, exacta cadaverum inſpectione, culpa carentem obſervavit; advertit autem illa eveniſſe ob conſortium quoddam, quod alii cum alia corporis parte intercedit. (29) Quinimo cauſſæ ſæpenumero apparent, utpote vulneris, lippitudinis &c. nec tamen ex his patet Medicina. Si ſcientiam hanc non ſubjicit evidens cauſſa, multo minus eam ſubjiciet, quæ in dubio eſt. Miſſa faciamus incerta & incomprehenſibilia, ſed potius a certis & exploratis petamus præſidium; id eſt his, quæ Experientia in ipſis curationibus docuit, ſicut in cæteris omnibus artibus. Confeſſa enim res eſt, ne agricolam quidem, aut gubernatorem diſputatione, ſed uſu, fieri. Nolim tamen putetis me ſtatuere conſilio Medicum non egere, & irrationabile animal hanc artem poſſe præſtare; ſed indicare volo antedictas latentium rerum conjecturas ad rem non pertinere. Quippe ad ægrotum nihil intereſt, quid morbum faciat, ſed quid tollat. Nihil refert ſcire quomodo, ſed quid optime digeritur. Neque quærendum eſt quomodo ſpiramus, ſed quid gravem tardumque ſpiritum expedit. Neque quid venas movet, ſed quid

(29) Plura hujus generis argumenta habet Eruditiſſimus Bohnius Diſſertatione de Experientia fallaci Anno MDCCX. Lipſiæ habita §. 60. & deinceps.

quid quæque motus genera ſignificant. Hæc experimentis cognoſcuntur: de omnibus autem ejuſmodi cogitationibus in utramque partem diſputari poteſt. In his quidem ingenium & facundia vincunt: verum morbi non eloquentia, ſed remediis, curantur. (30) Medici Clinici eſt, non philoſophari, ſed morbum per ſigna noſſe, hinc remedium adhibere, quod Experientia approbavit. Hoc ad utilitatem ægrotantis magis ſpectat, quam ſexcenta ratiocinia de abditis morborum cauſſis, de parte affecta &c. (31) Videmus ſæpe aliquos, qui Medicinæ cognitionem non habent, uno atque altero remedio probato, ægrotis majus ſolatium afferre, quam potuit Eruditiſſimus quiſque Medicorum, qui rationibus philoſophicis nimis confidit, deque his tantopere ſibi placuit. Videmus nonnunquam aliquos ex plebe variis corporis exterioris affectibus, ut membro aduſto vel claudicanti, vel oſſi, quod e loco excidit, diffractumve, vel ulceribus inveteratis &c. melius medicinam facere, quam Chirurgum ab Anatomia inſtructum. Imo quod hi Ratione duce non potes fuere, id illi Experientia conſequuntur.

Clinici Munia quæ.

